OPVSCVLORVM

DE

DVOBVS DIONYSIIS

PARS ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS LAVNOII CONSTANTIENSIS PARIS. THEOLOGI

RESPONSIONIS AD DISSERTATIONEM DE DVOBVS DIONYSIIS DISCVSSIO,

IN QVA

PROBATVM IAM VTRIVSQVE diſcrimen ex inueniendi aſſerendíque veri legibus defenditur.

Accedit vtriuſque Dionyſij vita, ex optima fidei ſcriptoribus collecta.

Editio altera auctior & correctior.

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM MARTINVM,
viâ Iacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LX.

Digitized by Google

Theodoretus in Epiſtola xxcviii.

Veritate nihil eſt potentius, poteſt enim illa etiam cum paucis vincere.

Idem in Epiſtola cxxxv.

Oportet autem non tempori accommodare ſermones, ſed rectam ſemper & nuſquam inflexam veritatis normam conſeruare.

Digitized by Google

BEATISSIMIS EPISCOPIS ET MARTYRIBVS DVOBVS DIONYSIIS, VNI ATHENIENSI ALTERI PARISIENSI.

MVLTA *ſunt, Beatiſſimi Epiſcopi & Martyres, quibus ad clientelam veſtram & iudicium lucubratio hæc referenda eſt: inprimis tuenda veritas occurrit, ſancitum videlicet ab ipſa natura vtriuſque veſtrûm diſcrimen, quod à*

Digitized by Google

quibuſdam auferri, ſed fruſtra, tentatum eſt: Quos enim natura ſecreuit, & diuina gratia duabus diſiunctiſſimis Eccleſiis præfecit, hominum omnium nemo in vnum confundet. Deinde accedit iuſtitia, quæ prohibet, ne quod vnius eſt, alteri ab æquis rerum æſtimatoribus detur. Suus vnicuique veſtrûm ſufficit bonos, quem exantlati in ædificanda domo Dei labores promeruerunt. ſua vnicuique ſatis eſt palma, quam diuerſa pro Chriſti nomine prælia pepererunt, & nulla vnquam temporum circunſcriptio metietur. Tum interuenit ſuis vindicata legibus Eccleſiæ traditio, quæ vos notis diſtinguere clarioribus vix potuit. Inauſpicatò peruiderunt iſtud aduerſarij, qui traditionem hanc vt eluderent, eludendis ceteris viam imprudenter aperuerunt. Sic illi ſuum æmulis dum inuident ſuffragium, denegant illud veritati. Denique ſuccedit veſtrum in cælo patrocinium, quod non vnum, ſed duplex omni retrò ætate

Digitized by Google

ſacri faſtorum codices exhibuerunt : quod exhibitum Gallicanæ Eccleſiæ fideliter agnouerunt : quod agnitum nocturnis precibus & vigiliis efflagitarunt. Quoties benignè audiuiſtis Narbonenſes, Venetenſes, Carnotenſes, Ambianenſes, & alios, qui diuerſa vobis officia conſecrarunt, & conſecrata celebri poſtmodum veneratione perſoluerunt? Efficite igitur, quæſo, beatiſſimi Cælites, vt qui contrà ſentiunt, patiantur illo duplici nos vti patrocinio, quod habuerunt maiores noſtri, quod idonea Eccleſiæ traditio demonſtrat, quod iuſtitia publicæ Gallorum pietati vindicat, quod aduerſus nonnullorum artes per ſeipſam defenſa veritas atteſtatur. Efficite, vt pij quidem, ſed incauti ſcriptores deſinant traditionem iis machinis oppugnare; quibus ceteræ traditiones commouentur, quibus iuſtitia læditur, quibus veritas torquetur, quibus alter nobis Patronus è cælo deturbatur. Efficite, vt iuſtitia, quæ ſuum cuique partitur, aduerſariorum voluntates ſic temperet, vt debi-

Digitized by Google

tum vobis honorem tribuant, neque ſuperſtitioſum ducant ampliùs, quod omnis retrò ætas religioſum duxit, vt aſſertam veritatem tueantur, vt veſtrum duplex patrocinium colant, vt illuſtrem Eccleſiæ traditionem locis communibus non obſcurent. Efficite tandem, vt quos in hac cauſa veritas obnunciatores habuit, defenſores obtineat, vt veſtrum patrocinium agnoſcant, vt Eccleſiæ traditionem obſeruent, & ſummam erga cultum veſtrum exhibeant æquitatem.

Digitized by Google

PRÆFATIO LECTORI PERNECESSARIA.

DVo ſunt, quæ à te efflictim poſtulo, ERVDITE LECTOR: vnum eſt, vt Germani Milleti in reſpondendo methodum conſideres, cuius totam in hac præfatione imaginem amplector: alterum, vt meum in examinanda illius reſponſione conſilium inſpicias, quod hîc quoque ante oculos breui oratione propono.

Imprimis aduerſarius in reſpondendo totus eſt, ſed in probando nullus, nec inſuper ſatagit, quid reſpondeat, dummodo aliquâ dicendi facultate exornet, quæ & paginam implere, & qualiſcumque reſponſionis rationem habere poſſint. De tribus illud hîc æſtimare licet.

Primum ſic ſe habet: Capite III. Diſſertationis conquerenti Iac. Sirmondo, quòd in codice Vſuardi apud Monaſterium S. Germani eraſum fuerit, quicquid v. Nonas Octobr. de Areopagita legebatur, ad

Digitized by Google

idem caput paragrapho 11. reſpondet, neque Vſuardi codicem illum eſſe, neque quod expunctum eſt mentionem vllam Areopagitæ feciſſe; & præterea ex ſeptimo Idus Octobris videri, Martyrologium fuiſſe Bedæ, quod ab inimico veritatis malè habitum eſt. At quibus quæſo ſpecillis cerni poteſt, nullam Areopagitæ fieri mentionem, ſi quod antea cernebatur, nunc *antiquiſſimâ*, vt ait, *liturâ* expunctum eſt? Deinde ſi Vſuardi non ſit, ſed Bedæ Martyrologium, nónne iſtud diſertiſſimam Areopagitæ mentionem habet quinto Nonas Octobris? *Natale Sancti Dionyſij Areopagitæ*, &c. *Ex ſimilibus*, inquit, *quæ innumera ſunt, exemplaribus patet*, nullam in illo codice factam eſſe mentionem Areopagitæ. otiosè omnino. Vel enim ſimilia ſunt illa exemplaria, quà codex ille, cuius Sirmondus meminit, Bedæ tribuitur, vel quà in eo deletum eſt quicquid de Dionyſio Athenienſi legebatur: ſi primum velit aduerſarius, mentio fit Areopagitæ, vt vidimus, & mentitur egregiè qui negat: ſi ſecundum, innumera exemplaria in falſariorum manus incidiſſe dolendum eſt, & ſic viderit, quinam fuerint falſarij; monachíne, an clerici, vel laici?

Digitized by Google

Secundum colligitur ex reſponſione ad caput quartum Diſſertationis paragrapho quinto. Vbi primum inter Latinos opinionis ſuæ teſtem appellat Bedâm, cuius Martyrologium, quia nobis fauet, in Vindiciis lib. 2. cap. 4. vti *corruptum* repudiat, & *ex eo deceptum fuiſſe Vſuardum*, muliebriter indignabundus vociferatur.

Tertium ex collatis duobus inter ſe locis facilè concluditur. Alter locus eſt in reſponſione ad caput quintum paragrapho tertio, vbi ſcribit, *Areopagitam egregia ſua opera Athenis lucubraſſe*. Alter verò in reſponſione ad caput octauum paragrapho tertio, vbi tradit, Areopagitam *ſeipſum liquidò teſtari, ſuperſtitem Sancto Ignatio fuiſſe, qui Traiani anno vndecimo martyr occubuit.* Ex quo manifeſtum eſt, Areopagitam à Clemente mitti non potuiſſe, quamuis Milletus ab eodem miſſum vehementiſſimè contendat. Clemens ſiquidem anno Traiani tertio mortuus eſt, & Areopagita (vt illi placet) libros de diuinis nominibus ſcribens Athenis epiſtolæ meminit, quam Beatus Ignatius ad Romanos miſit, cùm anno Traiani decimo Romam peteret. Hæc & ſimilia Reſponſionis titulum & auctoritatem ementiuntur.

Digitized by Google

Secundò, an illæ quibus vtitur rationes, ſint oppoſitis efficaciores vel inefficaciores, nuſquam attendit, ſatis eſſe ratus, ſi vel infirmiſſimæ reſponſiones amplificentur, & aliquâ dicendi pompâ efflorescant: quaſi ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex narrátio veritatis non antecellat. Profectò longè mihi gratior eſt ſexcentis etiam inquinata ſolœciſmis veritas, quàm mendacium rhetoricæ coloribus excultum vniuerſis. Non vnam vel alteram, ſed omnes fermè reſponſiones in exemplum adducerem, ſi hoc exempli natura pateretur. Quæ partem ad vtramque rationes faciunt, expendendæ ſunt, vt in Areopago, *ἄνευ προοιμίου ϗ πάθους*, & quæ præponderant, iis continuò aſſentiendum, ſed ſtudia priuata bonum hoc publicum impediunt.

Tertiò, quibus vtitur monimentis, ea nullatenus examinat, ſiue falſa, ſiue dubia ſint, ſuos in vſus omnia cupidiſſimè deriuat.

Sic geſta conuentus Pariſienſis, qui ſub Ludouico Imperatore propter imagines habitus eſt, ſummam in auctoritatem admittit, licèt illa magnæ non ſint apud Theologos plures auctoritatis. Exinde miror fuiſſe, qui in hac reſponſione *omnia*

Digitized by Google

fidei publicæ & veritati conſona ſe deprehendiſſe teſtentur.

Sic in epilogo citat Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum cap. 80. vbi de Vrſino Bituricenſi ita ſcribit, *Bituriga vrbs primùm à Sancto Vrſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit.* Diſſimulat verò quæ lib. 1. Hiſtoriæ cap. 29. cogitatiùs ea de re tradit: *De horum* (Gatiani & aliorum collegarum) *diſcipulis quidam Biturigas ciuitatem aggreſſus ſalutare omnium Chriſtum Dominum populis nunciauit.* Hæc duo loca conciliare oportuit, aut velut diſcrepantia præterire, aut certè primis ſecundas cogitationes anteponere: ſed horum nullum contradicendi cupiditas permiſit.

Sic tempus, quo miſſum ad Arelatenſes Trophimum, & ad Viennenſes Creſcentem diſputat, implicatum relinquit, cùm capiti ſecundo Diſſertationis reſpondet, & parag. 8. ex Adonis libello de feſtiuitatibus contendit, Trophimum in Gallias miſſum eſſe ante Creſcentem: cùm tamen Ado in Chronico ætate ſexta an. 59. diſertè ſcribat, *eo tempore, quo creditur Paulus ad Hiſpanias perueniſſe, & Arelatæ Trophimum,*

Digitized by Google

Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe. Debuit iſta omnia priùs euoluere quàm ex vno Adonis opere certum aliquid ſtatuere. Hîc in me non recipio, quæ de Trophimo & Creſcente ſcripſit Ado, ſed quale ſit Milleti iudicium, oſtendo.

Quæ verò alij obiiciunt, non tam examinat, quàm examinando illudit. Sic in Vindiciis lib. 2. cap. 4. vetus Romanum Martyrologium, cui Roſuueidus lucem dedit, vt dubium in fide ſuſpectúmque reiicit, quia inter cetera *Pariſiis* pro *Pariſius* repræſentat. Nunc ſecundùm iſta eò modeſtiæ deuenit, vt in reſponſione ad cap. 4. parag. 5. affirmet, *alios* (qui legitimè veritatem quærunt) *adunco ſuſpendentes omnia naſo ſibi videri belliſsimè triumphare.*

Quartò, locis communibus ita indulget, vt in nullam propemodum paginam incidas, quæ non aliquem præ ſe ferat : ſed locis communibus omnia cùm probentur, probari nihil viri prudentes cenſuerunt. Quò fit, vt hunc diſputandi modum acriter redarguant Tertullianus, & Hieronymus. Etenim nulla traditio eſt quamlibet teſtatiſſima, quæ eiuſmodi locis communibus non interturbetur : verbi cauſâ, ſi

quid ex Martyrologiis Eccleſiarum probare velis, ſtatim occurret Milletus in Vindiciis ſcribens, *nulla ad nos niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut imitatione Græcorum Martyrologia corrupta perueniſſe.* Item ſi ex iiſdem Martyrologiis contendas hunc Martyrem, vel illum Confeſſorem hoc aut illo die mortuum, quia ibi natalis eius hoc illóve die memoratur, reclamabit in Reſponſione ad cap. 3. parag. 3. aſſerétque, *nomine natalis quamlibet ſolemnitatem, & cuiuſcumque inaugurationis, aut naturalis obitus, aut martyrij, aut tranſlationis memoriam ſignificari.* Quòd ſcilicet apud Auguſtinum ſermone 15. de Sanctis Natalis Cathedræ Beati Petri colatur. Atque ita quæ nominis ſignificatio ex ſubiecta materie, vel ex adiunctis definitur, ex illis auulſa, cothurno verſatilior euadit. Sic aduerſarius non aliter, quàm atramenti effuſione ſepia, & limi commotione torpedo ſeſe tutatur.

Quintò, in iis, quæ ad præcipuam controuerſiam ſpectant, incertum rumorem hiſtoriæ, & recentiſſimos ſcriptores antiquiſſimis non opponit modò, ſed & ſæpiſſimè præfert, cùm nemo neſciat recentiſſimos auctores à ferendo de rebus antiquis teſtimonio per ætatem prohiberi. Sic

Digitized by Google

fucum facit in iis, quibus definitam Se-
ueri epocham de primis Galliæ martyri-
bus ſolicitat, quibus Saturnini Martyris
hiſtoriam, & Gregorij auctoritatem quoad
Dionyſium impugnat.

Sextò, in perpetuam ἀσυλλογιστίαν incur-
rit; quod vnum ſi obſerues, de Milleti Iu-
dicio, & Reſponſione penitus actum erit.
Nam vbi miſſum à Clemente Dionyſium
reperit, tunc eum Areopagitam fuiſſe ſta-
tim concludit, quaſi alium ab Areopagita
Dionyſium non potuiſſet Clemens mit-
tere. Cur quæſo miſſus à Clemente Dio-
nyſius erit potiùs Areopagita, quàm miſ-
ſus à Petro Dionyſius? Quippe vita San-
cti Memmij, Rabanus & Notkerus in lo-
cis ab aduerſario citatis legatum à Petro
Dionyſium tradunt. Non hoc perinde ob-
ſeruamus, ac ſi miſſum à Clemente vel
Petro Dionyſium probemus, ſed vt rhe-
toris noſtri ἀσυλλογιστίαν oſtendamus.

Deinde, ex quibuſdam Martyrologiis,
quæ vnum duntaxat Dionyſium habent
nono die Octobris, colligit eundem fuiſſe
Areopagitam, tametſi nec Areopagita,
nec Athenienſis, nec ab Apoſtolo Paulo
conuerſus dicatur. Quaſi verò non poſ-
ſet vnicus in illis exhiberi Dionyſius, qui

ſub Decio in Galliam venerit. Caduca ſunt eiuſmodi Martyrologia, & dirimendæ quæſtioni nequicquam inſeruiunt.

Septimò, Sulpitium Seuerum ſuperbè contemnit, virum de Eccleſia, de Gallia, & de ordine monaſtico bene meritum. De eo ita decernit in reſponſione ad cap. 1. parag. 8. *Quem ſola penè vetuſtas commendat.* Quòd ſi ſola penè vetuſtas commendet Seuerum, non fides vel accurata ſcriptio, iam de tota Martini hiſtoria, de epiſtolis, de Dialogis, & de ſacræ Hiſtoriæ Breuiario dubitari iuſtiſſimè licet. Seuerum non commendo, quem Paulinus, Gennadius, Idatius, Guibertus Abbas Gemblacenſis, & alij copioſè commendarunt. Nec præterea is eſt, qui minùs moderatum vnius monachi ſtilum reformidet. Immo idipſum, cuius gratiâ hic homo Seuerum tam malè accipit, nominatiſſimi in paucis Scriptores in ſe receperunt Robertus Bellarminus, Nicolaus Faber, & Dionyſius Petauius. Primus quidem in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vbi ſecundam Martialis epiſtolam repudiat, ob memoratum in ea Valeriæ cuiuſdam virginis martyrium; quia *id repugnat*, inquit, *Sulpitio lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ, qui ſcribit temporibus M. Antonini pri-*

mùm intra Gallias martyria viſa. Secundus in Schediaſmate de Dionyſio, vbi de Seuero ſic loquitur: *Seuerus Sulpitius Primuliacenſis presbyter & beati Martini diſcipulus, teſtis eſt, perſecutione demùm quintâ martyria in Galliis viſa fuiſſe, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ.* Tertius denique Rationarij temporum partis primæ lib.5. cap.9. ſcribens, Soteri ſubrogatum eſſe Eleutherum anno circiter M. Aurelij 17. *Quando in Galliis ferali Imperatorum edicto Chriſtiani complures occiſi ſunt, inter quos Lugdunenſes martyres excelluerunt, ac tum primùm (ait Seuerus) intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ.* Hos auctores eò lubentiùs adfero, quòd quicquid Seuero contrarium Milletus iactitat, ſpreuerunt potiùs, quàm non legerunt, & pleno iudicij notitiæque ſilentio poſtponendum cenſuerunt.

Octauò, Gregorium Turonenſem ignominiosè traducit, ſcriptorem quoque de Eccleſia, & de Gallia bene meritum. Et primò quidem in Reſponſione ad caput 2. parag. 1. vbi *Sancto,* inquit, *viro facilitatem eius & hallucinationem ſatis frequentem obiicimus.* Deinde in epilogo his verbis: *& certè ſi vel in vno Epiſcopo veram non eſſe con-*

ſtat narrationem, nihil erit, cur in reliquis impetrare fidem mereatur. Sed quæ cauſa fecit, vt Milletus Gregorium tam immaniter accuſaret, eadem eſt propter quam tres memorati ſcriptores illum laudarunt. Vnus quidem loco iam citato: *Primus,* inquit, *auctor harum epiſtolarum dicit, ſe cum Chriſto vixiſſe, antequam crucifigeretur. Martialis autem Epiſcopus primus Lemouicenſium miſſus fuit ad eam vrbem, Decio Auguſto & Grato Conſulibus, vt Gregorius Turonicus teſtatur lib.* 1. *Hiſt. cap.* 28. Alter verò loco etiam citato: *Gregorius,* inquit, *Turonenſis Epiſcopus diligentiſſimus Hiſtoriæ ſcriptor & antiquiſſimus, ex hiſtoria martyrij Sancti Saturnini tradit Dionyſium Pariſienſem veniſſe in Gallias, Decio ſecundùm & Grato Conſulibus, Lutetiæque Epiſcopum factum.* Tertius tandem eodem lib. ſed cap. 13. *Eodem,* inquit, *imperante Decio, eiúſque anno primo, vel ſecundo, Chriſti* 250. *hoc eſt Decio & Grato Conſulibus, ait Gregorius Turonenſis Sanctum Saturninum Toloſæ Epiſcopatum iniiſſe, cum eóque miſſos eſſe Gatianum Turonorum, Dionyſium Pariſienſium Epiſcopum.* Iudicet nunc æquiſſimus cenſor, an Milletus emunctioris ſit naris in olfaciendis Gregorij erroribus, quàm Bellarminus, Faber & Petauius,

Digitized by Google

qui in hunc hiſtoriæ locum meditatè incubuerunt?

Nonò. Plura de Creſcente Viennenſi, & de Trophimo Arelatenſi congerit, quàm de Dionyſio Pariſienſi, qui vel vnicum, aut certè præcipuum Reſponſionis argumentum eſſe debuit, πάρεργον μεῖζον τοῦ ἔργου. Hoc autem vitioſum eſſe differendi genus, quis ignorat?

Decimò. Tametſi commentitia genuinis, incerta certis, & falſa veris aliquando miſceat, in tota tamen Reſponſione nullum probatæ fidei ſcripore m adducit, quo ante Carolum Magnum conſtet, Dionyſium Pariſienſem eundem fuiſſe cum Areopagita. Hoc vnicum obſeruaſſe, viciſſe eſt. Ergo veriſſima illa eſt epocha, quam nouæ opinioni fixit Nicolaus Faber his verbis: *Beatum Dionyſium Pariſienſem eundem fuiſſe, qui in Areopago à Beato Paulo cum vxore ad Chriſti fidem conuerſus eſt, nemo ante Caroli Magni tempora & Ludouici Imperatoris eius filij, ſcriptis, quæ ad nos peruenerint, aſſeruit, immo verò omnes contrà ſenſerunt.* Ceterùm Faber, ſeu optimarum artium ſcientiam, ſeu Eccleſiaſticæ & ciuilis antiquitatis cognitionem, ſeu quæſitam apud eruditos omnes exiſtimationem

attendas, infinitis Milletis antecellit. At *maior*, inquit Athanaſius, *honos habendus eſt vel vni probatæ fidei viro, quàm decem aliorum millibus qui ſe inſolentiùs iactitant.* Quales ſunt ſine dubio Milletus, & quidam hodierni fautores illius, quos non veritatis inquiſitio, & ſuis aſſerta legibus Eccleſiarum traditio, ſed ſplendidæ tantùm librorum inſcriptiones in politiori charta delectant, ſed

Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν.

En tibi ſumma totius collatitiæ Reſponſionis, quam Milletus ad v. cl. Iacobi Sirmondi Diſſertationem de duobus Dionyſiis apparauit. Ex quo planum eſt, virum grauioribus ſtudiis occupatum in publicam vtilitatem peccaturum, ſi de confutanda iſtiuſmodi Reſponſione cogitaret, ne ceteroqui reſpondendo dignus fieret aduerſarius, qui vinceretur. Ego verò ad Reſponſionis iſtius Diſcuſſionem non appuliſſem animum, niſi vt reſponderem, in epilogo ſub finem cap. 6. me prouocaſſet arrogantiùs. Ecce igitur adſum, ſed caueat, ne tandem Theocriti Menalcas habeatur.

Quod autem pertinet ad meæ Diſcuſ-

ſionis conſilium, illud ſic ſe habet: Imprimis totam aduerſarij Reſponſionem ad inueniendi aſſerendíque veri regulas expendam, quæ, nî fallor, ſunt, vt verbi gratiâ Sulpitius Seuerus nulla in re falſitatis arguatur, niſi per eos ſcriptores, qui rem controuerſam meliùs nouerint, antiquiores ſcilicet, æquales, vel ſuppares: ſed cum hoc diſcrimine.

Antiquiores, ſi generatim loquaris, Seuero ſemper antepones, niſi forſan prompta ex adiunctis ratio nonnunquam aliter ſuadeat. Hic qui in Gallia de rebus Galliæ ſine affectu ſcribit, maiorem illo ſi diſſiderent, fidem meretur, qui in Aſia degens, vel in Hiſpania de iiſdem Galliæ rebus paulò ante Seuerum, aut illius ætate ſcripſiſſet.

Si plures æquales eiuſdem potiſſimùm doctrinæ & regionis ab Seuero diſſentirent, illi abſolutè præferendi ſunt. Sin vnus tantùm, non continuò præferendus, ſed cum primis diiudicandum, vtri ex circunſtantiis perſonæ, eruditionis & præſertim loci fides potior habeatur. Quod vbi præſtari non poterit, tunc ſatius eſſe ſuſpendere iudicium, quàm quod neſcias temere pronuntiare, viri prudentes decreuerunt.

Suppa-

Digitized by Google

Supparibus demùm ſcriptoribus, niſi plures ſint, nulla præ Seuero, aut exigua fides tribuenda eſt, ſi aliunde non conſtet eos æqualium vel antiquiorum commentariis vti.

Deinde Vindicias pro Gregorio Turonenſi, cui Gallia noſtra plurimùm debet, duobus maximè in locis, & alibi paſſim oblatâ occaſione repetam; in Hilduino, Milleto, atque aliis, qui *ſimplicem* illum vocare amant, longè grauiores errores oſtendam, quàm quos vnquam admiſerit Gregorius. Qua in re facturum me ſpero, vt iactatam de Gregorio victoriam relinquant, eámque inſuper Cadmeâ multò peiorem ſentiant. Vnde ſiquid paulò duriùs dictum offendatur, id repetitæ pro Gregorio, & aliis eruditis hominibus Vindiciæ permittent. Præterea ſæpius aduerſario reponam, non quæ ſunt mea, ſed quæ ſua, & quæ mihi quamlibet inuito ex contagioſa librorum illius lectione adhæſerunt. Quamquam ego ſemper perſuaſum habui, bonæ cauſæ tuendæ diſceptantium modeſtiam non obeſſe; ſed nonnumquam inducenda eſt ferro ſanitas.

Tum in excutiendis teſtimoniis, quæ citat, & in explicandis auctoribus, quos

Digitized by Google

adducit, locos communes auctori ſuo reddam, non ignarus, quanti vir modeſtus æſtimet ſua; ſed quoniam non omnes fortaſſis æſtimant quæ æſtimat, aliquid de meo ſubiungam. Quòd ſi in frequenti & iterata locorum communium redditione moleſtus ſim, indulgeat lector, quem ſcire cupio me id in gratiam aduerſarij, qui me deuinctum habet, præſtaturum. Hinc enim ſua à nobis diſſimulari queritur, inde non ſemper meminit, quid ipſe legerit, ſcripſeritque. Sic & præterea importunis diuerſarum paginarum replicationibus occurram, & quod maximè notandum eſt, efficiam, vt ſuos aduerſarius communes locos habiturus ſit inſtar adulterinæ monetæ, quam qui cudunt, dare quidem volunt aliis, ſed recipere nunquam.

Deinde ludentem in parergis hominem *ſequar quocunque ierit*, vt cum Hieronymo dicam, *aut pariter in luto hæſitabimus, aut pariter expediemur.* Quamobrem multa de Creſcente, de Trophimo, de Epiſt. Cypriani LXVII. de quibuſdam Zoſimi Papæ Epiſt. de Libello ſupplici Epiſcoporum Prouinciæ ad Leonem primum, & de aliis diſſeram, quæ ſine vllo de Dionyſij quæ-

Digitized by Google

ſtione diſpendio prætermitterentur, ſi cum vitiligatore mihi res non eſſet. Quam ergo diſputandi legem imponit, accipiam, ſatius eſſe credens à recta ſcribendi methodo nonnihil deflectere, quàm vt vllum veritas detrimentum patiatur, aut etiam pati exiſtimetur.

Denique quod parerga faſtidium creare poterunt; rerum, quæ de Dionyſio iam diſputatæ ſunt, & in hac Diſcuſſione diſputabuntur, duplici compendio leuabo. Vnum varias ex præmiſſis concertationibus in re hiſtorica vtilitates dabit. Alterum ex veræ traditionis legibus diſtinctum ſemper ab Areopagita Dionyſium noſtrum demonſtrabit. Sic quibus & aduerſarij & mea parerga non placebunt, ea ſine damno poterunt ineuoluta relinquere.

Ceterum illa omnia ſi rectè obierim, tuum erit, Lector, videre, cuia ſit veritas, & eam, ſi lubet, amare. Sed etiam atque etiam credas velim, ſingulis paginis ſcriptum à me, receptúmque, quod Beatus Auguſtinus lib. 1. de Trinitate c. 2. & 3. in ſe recepit: *Nec pigebit me, ſicubi hæſito, quærere, nec pudebit, ſicubi erro, diſcere. Proinde quiſquis hæc legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum, vbi pariter hæſitat, quærat mecum, vbi*

Digitized by Google

errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, vbi meum, reuocet me. Quo vltimo nihil mihi poteſt accidere gratius, & vtilius. Nam cum Epiphanio hæreſi 64. μεῖζον τὸ ἀγαθὸν τὸ ἐλεγχθῆναι τοῦ ἐλέγξαι νομίζω. ὅσῳ μεῖζόν ἐστι τὸ αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι, τοῦ ἄλλον ἀπαλλάξαι.

Digitized by Google

RESPONSIONIS
AD DISSERTATIONEM DE DVOBVS DIONYSIIS
DISCVSSIO.

CAPVT PRIMVM.

Diſſimulatæ à Germano Milleto in Sulpitij Seueri textu epochæ duæ explicantur, explicatæ confirmantur, & à quibuſdam obiectiunculis defenduntur.

I. VT ad primum Diſſertationis caput reſpondeat Milletus, duas in oratione Seueri epochas diſſimulat, quæ non priùs expenduntur, & ſuis confirmantur momentis, quàm quicquid obiicit, ſtatim euaneſcat. Prima epocha illa eſt, quæ primos Galliarum martyres Aurelio Imperatori conſignat, eámque idcirco vocamus De-

Digitized by Google

finitam : Altera , quæ ſuſceptam intra Gallias Chriſti religionem nulli conſignat Imperatorum , ſed in certa verſatur comparatione, quâ ſeriùs in Galliis ſuſcepta Chriſti religio traditur, quàm in Italia & in Oriente, vbi non vna iam agitata fuerat Chriſtianorum perſecutio. Quæ ſic inſtituta comparatio facit, hanc vt epocham appellemus Indefinitam. Seuerum intuere. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ.* Hoc loci duplicem illam epocham quis non diſtinguit facilè, & non obſeruat continuò cauſam reddi, cur non æquè citò in Galliis, atque in Italia & in Oriente, ad perniciem Chriſtianorum tranſlatum ſit nomen ſanctiſſimum religionis? Præterea ſingulas ita recenſet perſecutiones, vt quibus in locis, & quibus etiam de cauſis maior, minórve pro ſuſcepta religione fuerit vexatio, maiorem illam, minorémve repræſentet vexationem. Qua in re vix falli potuit, ſi ea maximè conſideres, quæ ad Gallos ſpectant. Cui rei fidem faciunt duo, quorum vnum in auctoris præfatione legitur: *Non peperci*, inquit, *labori meo, quin ea, quæ permultis voluminibus perſcripta continebantur, duobus libellis concluderem, ita breuitati ſtudens, vt pæne geſtis nihil ſubduxerim.* Alterum verò ex his libri 2. verbis habetur: *Nullis vnquam magis bellis mundus exhauſtus eſt, neque maiori vnquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuimus. Extant etiam mandata literis præclara eius temporis martyrum paſſiones, quas connectendas non putaui, ne mo-*

dum operis excederem. Hæc omnia perpendenti occurrit primò, Seuerum non potuiſſe non rectam primis Galliarum martyribus epocham aſſignare; tum quia nihil prætermiſit eorum, quæ permultis exarata voluminibus continerentur; tum quia deſcriptas à ſynchronis martyrum hiſtorias habuit; tum quia Seueri tempore incertis narrationibus, quas per otium vulgus fingit, locus nondum fuit.

Deinde recentiores Seuero auctores non potuiſſe rectiorem iiſdem martyribus epocham defigere, tum quia certiora veterum monimenta non habuerunt, tum quia rerum & annorum vices non tulerunt, vt mandatæ literis veterum martyrum paſſiones ad poſteros integræ peruenirent. Quamobrem nulla in re Seuerus falſitatis argui poteſt, niſi per eos ſcriptores, qui rem in quæſtione poſitam meliùs nouerint: Id eſt, per antiquiores, æquales, vel ſuppares: ſed cum illo diſcrimine, quod in præfatione notauimus. At eos, qui poſtea ex vulgi credulitate Sanctorum hiſtorias interpolarunt, omninò reiicimus, cùm memoratis de cauſis, tum maximè propter auctoritatem Athanaſij, qui peculiari diſceptatione vetat, ne in diiudicanda veritate ſolius iudicio multitudinis feramur.

Ante hanc Seueri epocham nullum in Gallia noſtra martyrem agnoſcunt hiſtorici veteres Euſebius, Oroſius, Proſper, Gregorius, Beda, Vſuardus. Primus in Chronico ſic loquitur ad annum CLXX. *Perſecutione orta in Aſia Polycarpus & Pionius fecere martyrium, quorum ſcriptæ paſſiones feruntur. Plurimi in Gallia glorioſè ob Chriſti*

nomen interfecti, quorum vſque in præſentem diem condita libris certamina perſeuerant. Hi ſunt Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ martyres, quorum auctor hic meminit in libri v. Hiſt. capite I.

Secundus in libri VII. Hiſt. capite XV. *Perſecutiones Chriſtianorum quarta poſt Neronem vice in Aſia, & in Gallia graues præcepto eius* (M. Aurelij) *extiterunt, multique Sanctorum martyrio coronati ſunt.* ad Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ martyres reſpectum habet. apud Oroſium hîc prima Gallicanorum martyrum mentio.

Tertius in Chronico integro nuper edito repetit quæ ſunt in Chronico Euſebij: *Pudente & Pollione Coſſ. Quarta perſecutio:* (quæ aliis quinta dicitur) *perſecutione orta in Aſia Polycarpus & Pionius fecere martyrium, quorum ſcriptæ quoque feruntur paſſiones. In Gallia quoque plurimi ob nomen Dei interfecti, quorum vſque in præſentem diem condita libris certamina perſeuerant.* Hic auctor Aquitanus cùm eſſet, ſi quos vetuſtiores in Gallia nouiſſet martyres, adnotaſſet. Cur enim illos potiùs, quàm Polycarpum & Pionium, Aſianos homines, incelebratos prætériuiſſet?

Quartus in libri I. Hiſt. Franc. capite XXVI. *Sub Antonini imperio Marcionitana & Valentiniana hæreſis inſana ſurrexit, & Iuſtinus Philoſophus, poſt ſcriptos Catholicæ Eccleſiæ libros martyrio pro Chriſti nomine coronatur. In Aſia autem orta perſecutione beatiſſimus Polycarpus Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulus octogeſimo ætatis ſuæ anno velut holocauſtum puriſſimum per ignem Domino conſecratur. Sed & in Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrum gemmis cæleſtibus coronati, quorum paſſionum*

Digitized by Google

hiſtoriæ apud nos fideliter vſque hodie retinentur. Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Photinus Epiſcopus fuit. Si quo tempore hæc ſcripſit Gregorius, certa fuiſſet antiquiorum Lugdunenſibus martyrum in Gallia traditio, non tacuiſſet vir patriæ ſuæ amantiſſimus: præter ceteros, quos in capite XXV. memorat, cùm in hoc XXVI. Iuſtinum & Polycarpum celebret, cur Saturninum Toloſanum, & Eutropium Sanctonenſem celebrare non pergeret, niſi deprehendiſſet falſum id eſſe, quod de vtroque iuuenis & famam incertam ſecutus in libri I. Miraculorum capite XLVIII. & LVI. tradiderat?

Quintus in libro de ſex ætatibus mundi in perſecutione quarta, quam ſub M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo fratribus collocat. Vbi iam tum primùm meminit Gallicanorum martyrum: *Perſecutio orta in Aſia, Polycarpus & Pionius fecere martyrium. In Gallia plurimi glorioſè pro Chriſto ſanguinem fudêre.*

Sextus in Martyrologio, qui ante Lugdunenſes martyrium fecerit, Gallorum ponit neminem. Vſuardum habeo pro hiſtorico, quia quæ hoc in libri genere tractat, ad Eccleſiæ hiſtoriam ſpectant.

Seueri definita martyrum epocha defenditur.

II. QVOD autem pertinet ad Seueri definitam martyrum epocham, his illa machinis oppugnatur. I. Clemens Romanus in epiſtola ad Iacobum prima, iubet, vt ille Epiſcopos per

ſuas conſecret Diœceſes, conſecratóſque Romam mittat, quorum alij in Gallias & Hiſpanias, alij in Germaniam & Italiam ablegentur. 2. Apud Paulum Diaconum Petrus Clementem ad Metenſem, & alios religionis Doctores ad alias, quæ præcipuæ erant Galliarum vrbes, verbo Dei obtinendas dirigit. 3. Apoſtolorum ætate Creſcens Viennenſes ad Chriſtum conuertit, Trophimus Arelatenſes, Martialis Lemouicenſes, Paulus Narbonenſes, Memmius Catalaunenſes, & alij Apoſtolici viri alios Lugdunenſis Galliæ populos diuinâ religione imbuerunt. Hinc apud Oroſium lib. 7. Hiſt. edicit Nero, *vt per omnes Imperij prouincias*, atque adeò per Galliam interprete aduerſario Chriſtiani ſuppliciis afficiantur vltimis. Deinde Domitianus ſub initium imperij iuſſit, *vt confirmatiſſima toto orbe Eccleſia, datis vbique crudeliſſimæ perſecutionis edictis conuelleretur.* Hoc agunt Præfecti prouinciarum, quod mandant Imperatores. Sed in tanta Galliæ Chriſtianorum ſtrage, quantam Nero & Domitianus fieri voluerunt, vnicus nobis à Milleto exhibetur Zacharias, qui Viennæ ne ſub Nerone quidem, vel Domitiano, ſed ſub Traiano martyr occubuit. Quis nunc riſum contineat? Tam acutè tamen diſputat & ſolidè, qui fragilitatem argumentorum in aduerſariis ridere conſueuit, qui ſingulis paginis non ſemel triumphat. Inſanus ſim ſi mentior. In antecedente illo totus tumet, in conſequente totus iacet, in antecedente attollit ſe per ſingula, in conſequente eneruis factus in ipſo conatu frangitur. Verùm iſtud, quia cuiuſlibet fidem ſuperat, non

exaggero, ſed lectorem ad librum remitto.

Quantò autem prudentiùs ex Neronis & Domitiani edictis, & Milleti diligentiâ in notandis primis Galliarum martyribus diſputaretur in hunc modum: Nullus in Galliis ſub Nerone & Domitiano martyr nominatim aſſeritur idoneis teſtibus, qui nimirum vetuſtiores ſint Seuero, æquales, vel ſuppares. Itaque certò colligendum eſt, Neronis & Domitiani tempore nondum fuiſſe Chriſti religionem intra Gallias ſuſceptam.

Verùm de Oroſio cur litem mouet, qui non ante Aurelium, & Antoninum Verum, ſed ſub ipſis duntaxat Chriſtianos *in Gallia* diſertè afflictos fuiſſe teſtatur, vt antè vidimus? Quo vel maximè confirmatur noſtri Seueri teſtimonium. Et licèt Seuerus quintam perſecutionem vocet, quam Oroſius appellat quartam, reipſa tamen conueniunt, & qui vtrumque ſcriptorem hac in re conciliare non potuit, neutrum legit, intellexitque; niſi forſan velit Oroſium Eccleſiæ perſecutiones minùs accuratè deſcripſiſſe, quòd quartam ſub Adriano perſecutionem omiſerit. Ceterum ex inueniendi aſſerendíque veri legibus quis defendet martyrium Zachariæ contra Seuerum, qui martyrem ſub Traiano nullum agnouit? Beda, inquit ille, Ado, & Romanum Martyrologium. Itane verò? Tantum Chronologicæ eruditionis! erit igitur Seuero vetuſtior, æqualis, aut ſuppar Beda, qui ad ann. DCCXX. floruit, vel Ado, qui ad ann. DCCCLXX. ſcripſit, vel ille tandem, qui poſt ann. MDXLIX. Martyrologio Romano Zachariæ martyrium intulit; nam

in eo tunc Venetiis edito nondum comparet.

Quod ſi placet Seueri teſtimonium infirmare per Bedam, qui Seuero trecentis, per Adonem, qui CCCC. per Martyrologij Rom. editorem, qui MCC. annis poſterior eſt; nihil vetabit æquiſſimus ſcriptor, quominus tam nobile exemplum ſecuti Bedam infirmemus per Bellarminum, qui alteram Martialis epiſtolam ex memorato in ea Valeriæ cuiuſdam martyrio reiicit, Adonem per Nicolaum Fabrum in ſchediaſmate de vtroque Dionyſio, & Martyrologium R. per Dionyſium Petauium Rationarij temporum partis I. lib. V. Qui tres eximij ſcriptores epocham Seueri ſibi nec perfunctoriè tantùm vindicarunt, ſed re ad maturioris iudicij trutinam exactâ. Quod an Beda, Ado, & Martyrologium Rom. fecerint, non neceſſitatis, vt apparet, ſed ſuperpondij causâ videndum eſt.

Bedæ Martyrologium expenditur quoad Zachariam martyrem.

III. Et primò quidem cur de Bedæ Martyrologio diſputat aduerſarius, poſtquam illud hoc ſuo calculo momordit in Vindiciis lib. 2. cap. 4. *Venerabilis Bedæ*, inquit, *corruptum, vt probatum eſt, Martyrologium adducunt.* & poſt alia: *ſed ponamus Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio, vnde pleraque alia mutuatus eſt, mendum illud contraxit.* Ita lectores ſuos egregiè ludificat, & meritò, ſi fucum ſibi fieri velint. In Vindiciis Bedæ Martyrologium vt *corruptum* repellitur; in hac Vin-

diciarum defenſione vt *ampliſſimum* producitur. Quid enim? Ibi Bedæ Martyrologium damnatur, quia cauſæ nocet, hîc probatur, quia cauſam iuuat. De tali ſcriptore diceret Tertullianus, quòd *nulla* illi *conſtantia de conſcientia competat ad defendendam ſibi veritatem.*

Iam de Bedæ Martyrologio ſic cenſemus. Bedæ Martyrologium, quod habemus, cùm ex puro exemplari non prodierit, vt alibi iam obſeruauimus, & nunc diſſimulat aduerſarius, nemo eſt, qui Zachariæ martyris fidem de Bedæ temporibus afferat. Præterea, vt ſuprà vidimus, Beda nullum martyrem in Gallia Lugdunenſibus vetuſtiorem agnoſcit. Et quamuis per Bedam Zachariæ martyrium aſſerere quis vellet, huius tamen epochæ aſſertionem reuellerent alij duo, & Bedâ inſuper antiquiores, Gregorius Turonenſis & Sulpitius Seuerus, qui inter primorum Galliæ martyrum hiſtorias, neque huius Zachariæ paſſionem, neque nomen ipſum inuenerint. Illa verò paſſio cur tunc fuiſſet omiſſa? Vel ſi omiſſa, quibus quæſo commentariis Zachariæ nomen & martyrium ad Bedæ & recentiorum notitiam peruenit?

Adonis Chronicum expenditur quoad Zachariam martyrem.

IV. Ado quidem in Chronico martyrium Zachariæ meminit, at non in Martyrologio, vbi præſertim rem meminiſſe ſuam debuit. Quare vt alibi iam aduertimus, & diſſimulat aduerſarius, vehemens coniectura eſt, Zachariæ mar-

Digitized by Google

tyrium ab aliis inſertum fuiſſe Adonis Chronico, vel Adonem in Martyrologio tacitum Zachariæ martyrium præteriiſſe, quod indiderat Chronico, rerum Zachariæ minùs peritus.

Quòd autem interpolatum ſit Adonis Chronicum, vel ab alio ſcriptum, aduerſarius ſignificat in reſponſione ad cap. 2. Diſſertationis. *Idem,* inquit, *Ado, ſeu alius in Chronico.* Itaque non Adonem falſi arguimus, ſed hunc ignotum auctorem, vel alium Adone vetuſtiorem, quem ille ſecutus eſt. Quæ Milleti argutia eſt, vt Gregorium Turonenſem excuſet, quòd veterem Saturnini martyris hiſtoriam ſibi vindicarit. At ponamus Adonem nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud contraxit, quæ eſt altera Milleti ſubtilitas, qua in Vindiciis lib. 2. cap. 4. Vſuardum refellit.

Deinde cùm nullus Zacharias martyr extet in veteribus Viennenſium Litaniis, quæ ann. MDLXXVIII. prodierunt, hunc Epiſcopum martyrem Viennæ quondam notum fuiſſe, quis affirmaret? Nemo enim bene moratam Eccleſiam vidit vllam, quæ primum Epiſcopum ſuum martyrem non inuocarit in Litaniis ſuis? Non dubito tamen, quin ex quo Chronicum Adonis editum eſt, Zachariæ Epiſcopi & martyris nomen potuerit Calendarium & Officium Viennenſis Eccleſiæ occupare. Sed vetera quærimus, *quæ,* vt ait Vincentius Lirinenſis, *non poſſunt ab vlla nouitatis fraude ſeduci.*

Ego facilè crediderim, propter rerum geſtarum ignorantiam, alterutrum è duobus acci-

diſſe, ſeu quòd Zachariam presbyterum, qui Lugduni ſub Aurelio paſſus eſt, pro Epiſcopo Viennenſi habuerit Ado, ſeu quòd Zachariæ, ſiquis tunc fuerit Viennæ Præſul, martyrium ex altero nominis ſimilitudine communicarit.

Denique ſiquis Adonis Chronicum paulò inſpiciat diligentiùs, non abnuet profectò ex veris appoſitè digeſta non eſſe, quæ in illo de quibuſdam Viennenſium Epiſcopis leguntur. 1. Quem tertium Viennenſem Epiſcopum appellat Martinum, in annis ab illius exceſſu computandis Martino Turonenſi comparat: at verò cur compareт, quid tandem cauſæ fuit? An geſta & virtutes Epiſcopi, cuius vel nomen incognitum eſt primis Eccleſiæ ſæculis? An diuturnitas Epiſcopatus, qui in Chronico nouem annos tantùm durauit? quippe circa annum cx. mori debuit, à cuius tranſitu vſque ad Martini Turonenſis tranſitum annos numeret Ado ducentos & nonaginta? An denique illius ab Apoſtolis facta ad Viennenſes legatio, quam Ado memorat in Martyrologio Calendis Iulij? Neque etiam iſtud, cùm quo tempore Martinum Zachariæ ſucceſſorem facit, in viuis non erant Apoſtoli, à quibus legaretur.

Deinde Ado Concilium Arelatenſe primum ad ann. DCXXXV. iuxta Pariſ. editionem anni MDXII. vel ad ann. CCCXXII. iuxta Pariſienſem alteram editionem anni MDLXIII. & Colonienſem anni MDCXVIII. collocat, & in eo Concilio Claudium Viennenſem Epiſc. At neque anno DCXXXV. aut CCCXXII. habitum eſt Concilium illud, ſed anno CCCXIV. Neque etiam illi Claudius interfuit, ſed

Verus, qui eidem Concilio ſubſcribit.

3. In Martyrologio Sanctum facit Verum illum, qui Euantio ſucceſſit circa annum DXC. ſed in Chronico nullum illi titulum Sancti tribuit, licèt Euantium, & Deſiderium Veri iſtius ſucceſſores Sanctos appellet. Denique in Chronico doctrinâ & confeſſione fidei illuſtrem ſub Traiano ſcribit alium Verum, cuius nulla eſt in Martyrologio memoria. Hic ille fortaſſis, qui Arelatenſi Concilio interfuit, & qui ad tempora Traiani perperam reuocatus eſt.

Ex Catalogo Turonenſium Epiſcoporum ſimile quid obiiciant, qui in Vindiciis & Areopagiticis ſuis Gregorij Turonici famam & diligentiam corrodunt.

Romanum Galeſinij, aut Baronij Martyrologium expenditur, quoad Zachariam martyrem.

V. Romanvm Galeſinij aut Baronij Martyrologium ex Adonis ſeu alterius Chronico Zachariam Viennæ Epiſcopum & martyrem fecit, vt apparet ex notis. Atqui Ado ex Beda ſeu altero deceptus Galeſinium & Baronium in fraudem induxit. Sic ex ſuis communibus locis reſponderet Milletus.

Quòd autem Galeſinius & Baronius Zachariam non ſcripſerint martyrem ex Romana traditione, colligitur primùm ex veteri Romano Martyrologio, quod Roſuueydus edidit, deinde ex illo Martyrologio, quod ad vſum Romanæ Eccleſiæ Patauij circa annum M D. tum Venetiis

tiis MDXXII. & MDXLIX. euulgatum eſt: In his enim ne nomen quidem Zachariæ iſtius legitur, tantum abeſt, vt martyrium legatur. Quinetiam neſcio, an vllum ſit vetus in Gallicanis Eccleſiis Martyrologium, vbi reperiatur. At primum, vt quidam volunt, Gallicanæ Eccleſiæ martyrem, qui quadraginta & ampliùs annis antè paſſus ſit, quàm Aurelius Chriſtianos vexaret, tandiu Gallicanæ Eccleſiæ, tandiu Romanæ ignotum fuiſſe, nullus autumarit vnquam.

In epilogo productum quorundam aliorum martyrium expenditur.

VI. Hvc commodè & breuiter iuxtà reuocamus, quicquid in loco minùs ſuo contra Seuerum diſſeruit aduerſarius. Scilicet vt quem in reſponſione ad primum caput Diſſertationis fucum facere oblitus erat, in epilogo reſponſionis faceret, poſthabitis omnibus inueniendi aſſerendíque veri regulis. Quod ſingillatim oſtendimus.

Opponit primò Eutropium Sanctonum Epiſcopum & martyrem ſub Clemente. Sed in Gregorio Turonenſi, quem laudat, duo malitiosè diſſimulat: vnum eſt, Gregorium in libro de Miraculis non ex ſe, ſed ex incerta fama miſſum à Clemente Eutropium referre: alterum, Gregorium lib. 1. Hiſtoriæ Francorum tacitò reiicere, quod alibi ex aliorum opinione dixerat, cùm videlicet primos Galliæ martyres ſub Aurelio deſcribit. Deindè quoad Eutropium vel vnicus ſufficit Seuerus, qui cùm eſſet Primuliacenſis

Digitized by Google

presbyter, & Sanctonum vicinus, ignorare non potuit, an Eutropius ante Aurelium occubuerit martyr. Ad Seuerum accedit Proſper anteà laudatus, qui Aquitanus cùm eſſet, Eutropij martyrium apprimè nouiſſet, & antiquioribus perſecutione quarta martyribus adiunxiſſet. non adiunxit, quia ſi Eutropius martyrium fecit, poſt perſecutionem iſtam fecit. In Martyrologio MS. Virdunenſis Eccleſiæ Eutropij martyrium ponitur, ſed non ponitur martyrij tempus: *Pridie Calend. Maij, apud ciuitatem Sanctonas natale ſancti Eutropij martyris.* Idem habetur in duobus MSS. aliis Martyrologiis, vno bibliothecæ Thuanæ, altero bibliothecæ V. Cl. Henrici Vignerij preſbyteri Oratorij. Vſuardus autem & alij recentiores certum pro incerto, quod Gregorius retulit, acceperunt. Quare & hac de cauſa, & quia nec ſunt antiquiores Seuero, & Proſpero, æquales, vel ſuppares, nec corrigente ſeipſum Gregorio ſcientiores, ex inueniendi aſſerendíque veri legibus repelluntur.

Opponit 11. Caraunum Carnotenſium Epiſcopum & ſub Domitiano martyrem. Sed id tantùm probat ex Romano Galeſinij Martyrologio, cui omnem in Vindiciis libro 2. cap. 4. fidem ſic detrahit: *Nulla ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Deinde repugnant veteres Eccleſiæ Carnotenſis Litaniæ, vbi Caraunus inter martyres ponitur, qui ſub Maximiano migrarunt. Denique in Vſuardi & Romano Martyrologio, quod Patauij, & Venetiis editum eſt, hæc tantùm de Carauno traduntur. v. Calend. Iu

nij: *Eadem die Sancti Carauni, qui apud Carnotum ciuitatem capite amputato martyrium ſumpſit.* Hinc Tertullianus in capite xxxi. libri de Præſcript. hæret. *Ita ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum.*

Opponit iii. Nicaſium Rotomagenſem, qui ex Romano Galeſinij Martyrologio ſub Præſide Feſcennino paſſus eſt. Quid tum? ſub eodem paſſus eſt Dionyſius Pariſienſis, quem Martyrologia & Litaniæ Gallicæ Maximiano conſignant. Immo & Rotomagenſes Litaniæ Nicaſium eidem Imperatori tribuunt. Deinde allegat Ordericum Vitalem, quem vt auctorem Seuero & Gregorio quingentis annis poſteriorem ætas excludit.

Opponit iv. Sabinianum, & Potentianum, quos Petri diſcipulos & Martyres tradit Bedæ Martyrologium. Sed aduerſarius in Vindiciis Martyrologium Bedæ vt corruptum reiecit. Deinde iſta in illud Martyrologium irrepſerunt ex hiſtoria Sabiniani & Potentiani, in qua vtrumque ſub Nerone paſſum, & Sabinianum à Petro Galliæ primatem factum nugator aliquis affirmat. Hæc quippe dignitas iam tum primùm Senonenſibus à Ioanne octauo conceſſa eſt. Denique furtim præterit, quæ de Sabiniano & Potentiano notauimus in Animaduerſionibus ad Samblacatum: vbi ſic egimus: Non de Sauiniani & Potentiani martyrio, ſed de tempore martyrij diſputamus. Hos quidem in Martyrologio Ado ab Apoſtolis, ſed Vſuardus Adone vetuſtior, & Senonibus vicinior, non ab Apoſtolis,

ſed à Pontifice Romano miſſos ſcribit. Vſuardum ſequuntur multarum Eccleſiarum Martyrologia, in quibus & Pariſienſe & hodiernum Romanum. His adde, quòd in veteribus Senonenſium Litaniis Sauinianus poſt Laurentium & Vincentium collocetur. De Sabiniano & Potentiano primus ex omni retro ætate loquitur Vſuardus, qui Carolo Magno Imperatore vixit, id eſt, poſt Clementem Rom. Pont. ſub quo ponunt Nicaſium annos plus minus ſeptingentos. Hæc autem ille loquitur pridie Calend. Ianuarij: *Apud Senones beatorum Sabiniani Epiſcopi, & Potentiani, qui à Pontifice Rom. ad prædicandum directi, eandem Metropolim martyrij ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.* Si quid tunc aliud de miſſionis tempore dictum eſſet, dixiſſet, vt vrbem Senonas dixit Metropolim, quæ ſuâ quidem ætate Metropolis erat, non Clementis. Poſt Vſuardum fuerunt, qui miſſos ab Apoſtolis adiecerint, ſine maiorum patrocinio. Sed illi per relatam Tertulliani regulam confutantur.

Opponit v. Ionium martyrem & Dionyſij ſocium: qua in re ſubtilem Philoſophum non pudet idem per idem probare: Ionij porrò geſta, quæ nomine tenus citat, cùm recentiſſima ſint, Sulpitio Seuero non poſſunt opponi. *Quod à recentiori auctore*, vt ait Baronius, *de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Deinde hic Ionius teſtimonium ſui nullum habet apud Gregorium Turonenſem, Vſuardum, Rabanum, Adonem & Notkerum in ſuis Martyrologiis, in vetere & hodierno Romanæ Eccleſiæ Martyrologio: quo autem iudicio Ionij

martyrium Seueri epochæ à tot auctoribus confirmatæ opponitur? Poſtremò hîc ſatis eſt Vſuardus, qui Monaſterij S. Germani Pariſienſis Monachus cùm eſſet, receptam ſi qua fuiſſet à maioribus de Ionio traditionem, ignorare non potuit. & tamen ignotum antiquis hominem Seuero ſcriptori nobiliſſimo Milletus & eius defenſores opponere non verentur.

Opponit VI. Agoardi & Agliberti geſta, in quibus illi ſub Nerone paſſi dicuntur. At primò hæc geſta recentia ſunt, vt ſola lectio docet. Deinde, ſi vera eſſent, de viſis ante Aurelium raro martyribus ridiculè explicaret Seuerum aduerſarius. Scilicet apud Baronium & Vſuardum in Martyrologio, *Agoardus & Aglibertus, cum aliis innumeris promiſcui ſexus* martyrium fecerunt. Qui de his vel horum tempore verba fecerit antiquiorem Vſuardo reperies neminem; & tamen Milletus & eius defenſores Vſuardo & Seuero non dubitant opponere Robertum Autiſſiodorenſem Monachum, qui ante annos circiter quingentos ſcripſit in Chronico: *Sauinianus, & Potentianus ad vrbem Lutetiam, quæ & Pariſius, properant, vbi dum ſalutis effundunt monita, plures conuolant ad baptiſma. Porro inde digrediuntur ad vicum, cui nomen Criſtoilum, ibique cum innumerabili multitudine Agoardum, & Aglibertum ſummæ eminentiæ viros titulo Chriſtianitatis inſigniunt, quibus annitentibus fanum, quod erat ibi antiquiſſimum funditus euertunt; quâ re peruulgatâ à Pariſiorum Præſide lictores miſſi ſunt, qui ob vindicandam deorum iniuriam prædictos viros cum illa multitudine credentium obtruncarunt.* Hæc vt ſub Nerone ge-

ſta retuliſſe, confutaſſe eſt. Hæc ficta ſunt, ne priùs Pariſiorum, quàm Senonum ciuitas Metropolis fidem accepiſſe credatur. In hac enim narratione Pariſiis ſuſcepta eſt Chriſti fides annis antè triginta, quàm illuc miſſus, vt volunt, à Clemente Dionyſius veniret. Robertus tamen hic auctor eſt, quem Seuero loquenti, & Vſuardo tacenti obiiciunt, & contra ſe obiiciunt. ſed penſi nihil habent, dummodo aliquid obiiciant, & Seuero homini de Chriſtiana religione benè merito, videantur incommodare.

Nunc omnibus quæ ſuprà diſſeruimus fautor approbatórque accedat Sixtus III. in Epiſtola, quam de cauſa Neſtorij Antiocheno miſit Epiſcopo: *Nihil vltrà liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati: perſpicua maiorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.*

Quædam ex ſuperioribus corollaria deducuntur.

VII. PORRO ex tota præcedenti Diſcuſſione, quæ ad definitam Seueri epocham pertinet, nonnulla corollaria deducuntur.

Primum eſt, tria, quæ Milletus ampliſſima gloriatur de Zachariæ martyrio teſtimonia, nec certò ad vnicum Adonem referri, & fruſtra referri, vt ex inueniendi, aſſerendíque veri regulis conſtat. Secundum, vnicam, quæ ſuo loco ex Zacharia contra Seuerum facta eſt, obiectionem ſuâ ipſius explicatione primùm refelli; deinde illam vſque adeò elumbem eſſe & debilem, vt propter æui, ad quod pertinet, & quo res ſæpe vi-

tiantur, poſteritatem antè pereat, quàm in Aurelij tempus regrediatur, & Seueri iugulum petat.

Tertium, accerſitas ex epilogo neſcio quas obiectiones, cùm præcedentem infirmitate ſuperent, Seuero longè minùs incommodare.

Quartum, à temporibus Traiani remouendum eſſe Zachariæ martyrium, tum quia id recens & incerta illius exigit hiſtoria, tum quia nec in veteri Romano Martyrologio, nec in vllis Gallicarum Eccleſiarum Martyrologiis, nec in Viennenſibus Litaniis inuenitur, tum quia Ado miſſum fecit eiuſmodi martyrium in ſuo Martyrologio, tum denique quia Concilium Francofordienſe can. XLII. præcipit, vt *ij ſoli in Eccleſia venerentur, qui ex auctoritate paſſionum & vitæ merito electi ſint.*

Quintum, Reſponſionem ab aduerſario ſic inſtitutam fuiſſe, vt niſi contra veteres recentiorum, adeóque priſca minùs callentium iudicio ſteteris, iudicium nullum futurum ſit. Hoc autem qua in Academia, quo in foro quis feret?

Sextum, religioſum ſcriptorem non ſatis accuratè expendere, quæ aliis opponit, ac proinde non veritati, ſed ſtudio partium litare; immo verò totam illius qualemcumque diligentiam nobis plurimùm fauere, cùm ne vnum quidem Seuero vetuſtiorem, æqualem aut ſupparem auctorem producat, qui ſuperiores Aurelio martyres in Gallia notarit.

Septimum, immobilem perſtare Seueri de primis Galliæ martyribus epocham, atque adeò Dionyſium Pariſiorum Epiſcopum, cùm ſit martyr, Areopagitam non eſſe, & quod neceſſariò

connexum eſt, causâ penitus cecidiſſe Milletum, qui non quemadmodum oportuit, aduerſus Sulpitium Seuerum egerit.

Octauum. Non contendo, vt ſemper dixi & dicam ſemper, Sulpitium Seuerum, vel Gregorium errare non poſſe; ſed contendo eos dum errant, non poſſe corrigi niſi per auctores alios, qui rem controuerſam meliùs nouerint ac certiùs. Inter cordatos autem & eruditos conuenit, auctores, qui rei geſtæ, quæ venit in controuerſiam, nec æquales, nec ſuppares fuerunt, rem illam non meliùs noſſe ac certiùs, quàm eos, qui æquales vel ſuppares extiterint. quapropter horum auctoritas aliorum auctoritati meritò præferri debet. At Milletus & eius defenſores ſcribendo contendere videntur, auctores qui rei geſtæ, nec æquales ſunt, nec tempore proximi, meliùs ac certiùs rem illam cognoſcere, quàm qui æquales aut tempore proximi fuerunt, vel quod abſurdius, illos errare fallique non poſſe. Hic portus, hoc perfugium, quò Milletus & eius patroni ſe recipiunt, dum acta Nicaſij, Carauni, Ionij, Robertum Autiſſiodorenſem, Seuero, Proſpero, & Gregorio anteponunt. At verò cùm hiſtorici de re quapiam inter ſe non conſentiunt, quærendum eſt, quibus citiùs quàm aliis fides habeatur, & tunc cum Tertulliano dicimus, *Inſtar religionis* eſſe *fidem de temporibus aſſerere.*

Indefinita Seueri de ſuſcepta intra Gallias religione epocha defenditur.

VIII. Nvnc inſpiciendum eſt, an feliciùs impugnetur epocha, quæ à nobis indefinita nominata eſt. In hoc certamine, quem ſibi pugnæ campum vir fortis delegit, habuit, in eo ſolus dimicauit, nec difficilè ſuo & meo iudicio vicit. Quæcumque enim de ſuſcepta Chriſti apud Gallos religione congerit, tam non ſunt contra indefinitam Seueri epocham, quàm non ſunt contra Pompeium, niſi monſtrum ſibi fingat Milletus, vt Herculem poſtea poſſit agere. Omnes induſtriç neruos eò contendit, vt probet, Petri, Pauli & Clementis temporibus ſuſceptam Chriſti apud Gallos religionem fuiſſe. Sit ita. quid tum? An inficiatur Seuerus, dum in Galliis tardiùs, quàm in Italia & in Oriente ſuſceptam Chriſti religionem aſſeuerat. minimè gentium.

Age verò ſupponamus, concordia eſſe de Creſcente teſtimonia, & vera inſuper omnia, quæ in hanc rem diligentiſſimus ſcriptor adducit: Tunc fingat ille ſibi, ſi volupe eſt, Petrum & Paulum, poſtquam Romæ octodecim vel viginti annos ſteterunt, homines in Galliam legare, qui Euangelium docendo ſuadeant alicubi perſuadeántque. Tunc amabo te, nónne verè & affirmatè quis diceret, quod dixit Seuerus, qui non abſolutè, ſed comparatè locutus eſt? Pudet me in his tandiu immorari, ex quibus vti viſum eſt, definita Seueri de primis Galliæ martyribus epocha refigetur nunquam.

Digitized by Google

Hæc omnia, vt apparet, diſputandi causâ dicimus, quia nemo Imperatorem vel Imperatoris annum certum definire poteſt, quo primùm Euangelij lux in Galliam importata fuerit. conijci poteſt veriſimiliter, definiri verè non poteſt. quare in hoc ſatius eſt, ſuſpendere iudicium, quàm quod neſcias, certò affirmare.

Laborioſum quidem fuit Apoſtolorum ætate Chriſtianam facere Galliam fere totam, ſed parum, meâ ſententiâ, ingenioſum & ſubtile. Etenim ſi Gallia ferme tota Chriſtum induit ætate Apoſtolorum, cur ne vnus quidem martyr ex veris monimentis aſſertus eſt ante Aurelium? cur non potiùs innumerabiles probari auctoribus Seuero vetuſtioribus, æqualibus, ſupparibus? Scilicet Gallicani fideles Italis & Orientalibus cautiores pacem cum carnificibus inierunt, ignes, ferrum, cruces, equuleos, & cetera id genus tormenta feliciter eluſerunt, aut opum ſuarum profuſione vexationem à tyrannis redemerunt: fortaſſis reſpondebit. Ad Gallos non ſpectat vetus illud effatum: *Sanguis martyrum, ſemen Chriſtianorum.* Quippe ante Aurelium ſeminatus nullus eſt Chriſtianorum ſanguis in Gallia, quæ ſub Petro, Paulo, & Clemente per præcipuas ditionis ſuæ ciuitates Chriſtum profiteretur, diſſimulantibus centum & ampliùs annos Imperatoribus, amicis tortoribus, fauentibus tyrannis. Quo tempore, vt cum Seuero noſtro dicam, per alias prouincias, *Acta ſunt in innoxios crudeliſſimæ quæſtiones, quin nouæ mortes excogitatæ, multi crucibus affixi, aut flammâ vſti, plerique in id reſeruati, vt cùm defeciſſet dies, in*

vſum nocturni luminis verterentur. Hinc datis legibus religio vetabatur, palámque edictis propoſitis Chriſtianum eſſe non licebat.

Quis ergo non videt Milletum in Athenienſis Perilli fortunam incidere, & ſuis miſerum machinis obrui, quas ad euertendam Seueri epocham inconſideratus apparatat. Hinc itaque inanem & caſſum laborem reddit, & coaceruata ex pluribus teſtimonia dubia relinquit & incerta: inde prudentiam & iudicium proſtituit infeliciter.

Hæc cùm abſurda ſint & ridicula, quò ſe loci communis proripiat, quæſiuerit.

Præterea in exquirendæ veritatis gratiam demus, non ita accuratam eſſe Seueri epocham, quæ indefinita eſt, & in comparatione conſiſtit. Quid inde damni feret altera, quæ definita eſt, & primos Galliæ martyres ſub Aurelij conſtituit imperio? Magnum inde, reſpondet Milletus, Seuero damnum accidit, quia per indefinitam epocham definita comprobatur. Tantúmne iſtud? Tantum, at totum? Futile prorſus atque otioſum eſt. Quinetiam hoc reſpondere hominem illum miror, qui cùm tam bonas horas, vt audio, in Philoſophorum & Theologorum Scholis impenderit, adhuc ignoret, aliquas eſſe certas alioqui propoſitiones, quæ momentis non vltraquàm probabilibus muniuntur, nonnullas admitti concluſiones, habitis inſuper rationibus, queis illæ probantur.

Sit igitur anceps, ſeu, ſi velis, falſa Seueri epocha, quæ indefinita eſt, quia ancipitem, ſeu falſam auctores Seuero antiquiores, vel æqua-

les conuincunt. Erítne continuò anceps aut falſa martyrum epocha, quæ definita eſt, niſi illam pariter ancipitem, vel falſam auctores Seuero antiquiores, æqualéſve conuincant?

Credidit fortè vir doctus & prudens, eum, qui ſemel errauit ſcribendo, poſtea ſemper errauiſſe. Hoc verò ſi perſuaſum habet, de omnibus actum eſt, quæ in Vindiciis & in hac Vindiciarum defenſione ſcripſit.

CAPVT II.

Collecta ab aduerſario de Creſcente teſtimonia diſcutiuntur. Ex diſcuſsione probabiliùs aſſeritur in Galliam nunquam veniſſe.

I. QVANQVAM ſuperiori capite planiſſimum fecimus, nonnulla quorumdam teſtimonia, quibus indefinitam Seueri epocham Milletus adoritur, illi multò magis officere, quàm Seuero: ſunt tamen in cauſa duo, cur nunc illa omnia teſtimonia ſingillatim expendamus. Alterum eſt, quòd illorum penſitatio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ nonnihil allatura ſit lucis. alterum & potiſſimum, quòd ſua non minoris æſtimet modeſtus ſcriptor, qui & alios in reſpondendo iniuſtæ diſſimulationis priùs accuſat, quàm & ipſe eiuſdem criminis longè iuſtiùs accuſetur. Sed iampridem deſitum eſt his artibus diſputari.

A Creſcente ordimur perſpicuè demonſtraturi, quàm parum conſtet illum vnquam in Gallias veniſſe, niſi forſan iudicaueris nunquam veniſſe,

Digitized by Google

Locus Euſebij de Creſcente expenditur.

II. MILLETVS iterum producit Euſebium, cuius Græca cùm aliter atque aliter interpretetur, vetat, ne quid auctor apertè ſenſerit, agnoſcamus. In Vindiciis lib. I. cap. IV. ſic Græcum Euſebij locum Latinè vertit, τῶν δ' λοιπῶν ἀκολούθων τοῦ Παύλου Κρήσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας στειλάμενος ὑπ' αὐτοῦ μαρτυρεῖται. *Inter alios Pauli diſcipulos Creſcens in Gallias miſſus, & ſub ipſo* (Nerone videlicet) *martyrio coronatus eſt*. Hîc verò in reſponſione ad caput primum Diſſertationis ſic aliter vertit: *Inter alios Pauli diſcipulos Creſcens ab ipſo miſſus in Gallias dicitur*. Prima verſio in duobus ab altera diſſidet; vnum eſt, Creſcentem non modò in Gallias miſſum, ſed etiam in Galliis martyrio coronatum. Alterum, ſub Nerone martyrium eiuſmodi contigiſſe. Hæc verſio auctoris ignorantiam vel fraudem prodit; ignorantiam quidem, cùm Euſebij mentem adeò non aſſecutus ſit, vt corruperit; fraudem verò, cùm martyrem ſub Nerone in Galliis Creſcentem fecerit, vt poſtea martyres ante Aurelij principatum inueniret, & Seueri auctoritatem eleuaret. Quæ duo, ni fallor, Chriſtianum ſcriptorem, & ſtrictioris obſeruantiæ virum minimè decent.

Secunda verſio ſubdola eſt. Hæc enim, *ab ipſo*, non cum, *miſſus*, ſed cum, *dicitur*, iungenda ſunt. Quippe Paulus ipſe eſt, qui quò abierit Creſcens, teſtatur in altera ad Timotheum epiſtola, quam citat Euſebius. Quod cùm aduerteret Chriſto-

phorſonus ; & aliunde apud Paulum Galatiam ſcribi, non Galliam, ſciret, & mendum in Euſebij hiſtoriam irrepſiſſe rectiſſimè coniiceret, ſic Euſebij locum reddidit: *Ex ceteris Pauli comitibus, & diſcipulis vnum fuiſſe Creſcentem, quem in Galatiam profectum Paulus ipſe teſtatur, alterum Linum, quem in ſecunda ad Timotheum epiſtola ſimul cum illo Romæ verſatum memorat.*

Deinde, ſi Euſebium Ruffini habuit Seuerus, vt ex Paulino commodè docet aduerſarius, vel in exemplari ſuo legit Creſcentem in Galatiam miſſum à Paulo, vel in Galliam: ſi primum legit, contra aduerſarium ſtat Euſebius Ruffini, & deinceps librariorum vitio hac in parte corruptus eſt, niſi fortè aliud ex Corbeienſi Bibliotheca Euſebij producatur exemplar, quod Seuero vetuſtius ſit. Si verò ſecundum legit, ex Gallicanæ Eccleſiæ traditione, & veterum ſcriptis rectiùs nouit aduerſario, an multum, an parum, an nihil Euangelij prædicatione Creſcens profecerat in Gallia; atque ſic ſuam potuit conſcribere hiſtoriam, quæ Seuero non repugnaret, aut eruditè repugnaret. Horum autem vtrum receperit Milletus, graue feret incommodum.

Tertiò, in Euſebij vel Ruffini codice, quem habuit Hilduinus, cùm ad Ludouicum Imperatorem ſcriberet, ita habebatur: *Legitur*, inquit, *ſic in eadem Eccleſiaſtica Hiſtoria cap.* IV. *lib.* III. *Memorantur autem ex comitibus Pauli Creſcens quidem ad Galatas eſſe profectus, Linus verò & Clemens in vrbe Roma Eccleſiæ præfuiſſe, qui comites & adiutores eius fuiſſe ab ipſo Paulo perhibentur.* Nunc quò ſe vertet Hilduini diſcipulus? Siue enim magi-

ſtri fidem accuſet, ſiue laudet, vincimus: ſi accuſet, nobis plurimum fauebit, qui Hilduino in citandis auctoribus impoſturæ dicam ſcripſimus: ſi laudet, manuſcriptos Corbeianæ Bibliothecæ codices accuſabit, & in iis interpolationem admittet, quâ monachus quidam pro, *Galatas*, imperitè repoſuit, *Gallias*. Occurrit Hugo Menardus in capite 11. Diatribæ, & dicit: *Nihil vetat per Galatas ab Euſebio vel Ruffino Gallos intelligi.* Sic nihil vetat Paulum Apoſtolum ad Tranſalpinos Gallos ſcripſiſſe, cùm Epiſtolam ad Galatas ſcripſit. Menardo curæ nihil eſt quid dicat, modò contra Milleti aduerſarium dicat: pro reſponſione qualicumque non pro veritate dimicat, quam & ſuæ, & ſodalium monachorum gloriæ poſtponit.

Denique, ſcripſerit Euſebius Creſcentem in Gallias miſſum, quid inde certi concludetur ab eo, qui in Vindiciis lib. 1. cap. IV. contendit, *Galatiæ nomine ipſam olim Galliam cenſeri, eſſéque Galatarum appellationem, communem Gallis Occidentalibus & Orientalibus?* tunc enim liberum erit, quam volueris ex Aſia, vel Europa regionem interpretari. Immo ex ſenſu, quem Seueri verbis tribuit aduerſarius, Galliam noſtram non interpretaberis.

Epiphanij locus examinatur.

III. Epiphanivs de loco, vbi Creſcens nuntiauit Euangelium, ſic ſuam aperit mentem hæreſi LI. Cùm ſecundæ ad Timotheum epiſtolæ cap. IV. *in Galatiam* abiiſſe dicitur, *in Galliam*

ibi reponendum putat, contrà quàm tunc legebatur, & hodie in exemplaribus Pauli legitur vniuerſis. Sed cùm nihil obtinuerit Epiphanius, cum Epiphanio Areopagiticus causâ cadit, etiam decernente Eccleſiâ, quæ in eadem epiſtola Pauli legit & legi vult, Creſcentem in Galatiam profectum. Deinde, licèt Epiphanius, & Theodoretus, qui Galatiam explicant Gallias, æquales ſint Seueri; hic tamen illis duobus ex circunſtantia regionis, vbi ſcripſit, præferendus eſt. Etenim ex traditione maiorum ſcire ſine dubio potuiſſet, quo tempore Creſcens veniſſet in Galliam, & quem ibi fructum feciſſet. Ex quo ſic poſtea ſcripſiſſet hiſtoriam, vt nulla illum inter & Epiphanium ac Theodoretum diſcrepantia fuiſſet. Quidquid ſit de Theodoreti & Epiphanij interpretatione, hæc non officit definitæ Seueri epochæ, in qua antecedentes M. Aurelij perſecutionem martyres inueniri poſſe negamus. Sed hoc aduerſarij noſtri ſemper diſſimulant, epocham vtramque confundunt, & ſæpe definitam in locum indefinitæ ſufficiunt. In hoc artificium ſi quis penetrauerit, nulli ſunt: & reſponſiones, Vindiciæ, Diatribæ in puluerem euaneſcunt.

Sophronius, & Chronicum Alexandrinum examinantur, deinde cum Adonis & Vſuardi Martyrologiis committuntur.

IV. Sophronius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Creſcentem in *Galliis prædicaſſe verbum Dei, atque ibi ſepultum* tradit, quod quia Hieronymi libro de Scriptoribus inſertum eſt, Hieronymo

nymo imperitè tribuit Samblacatus in Palladio rurſus edito, vt vel ſolùm alios calumniaretur. Sed Chronicum Alexandrinum addit, *mortem Creſcentis ſub Nerone contigiſſe*. Atenim ſi Galliarum nomine intelligunt eam Europæ partem, quæ nunc Gallia vocatur, reclamabit Ado in Chronico, vbi ſic habetur: *Primus Creſcens diſcipulus Apoſtolorum Viennæ aliquot annis reſedit, quo ad Galatiam reuerſo tertius Martinus Epiſcopus Viennæ reſedit.* Reclamabit idem in Martyrologio XXVII. Iunij: *Apud Galatiam Beati Creſcentis diſcipuli Sancti Pauli Apoſtoli, qui ad Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Chriſti conuertit, Viennæ ciuitate Galliarum per aliquot annos ſedit. Rediens verò ad gentem, cui ſpecialiter fuerat Epiſcopus datus, Galatas vſque ad beatum finem vitæ ſuæ in opere Domini confortauit.* Denique reclamabunt Vſuardus, Beda & Baronius in Martyrologiis, in quorum vltimo additur, *Creſcentem ſub Traiano martyrium conſummaſſe.*

Hîc, vt apparet, multiplex oritur inextricabilis quæſtio. Nam ſi apud Sophronium & in Chronico Alexandrino Galliarum nomine Galatiam Aſiæ regionem intelligas, Creſcens Viennam non acceſſit: ſi verò hanc Occidentis partem, quam incolimus, ſignifices, Creſcens in ea occubuit, quod Ado, Vſuardus, Beda & Baronius negant in Martyrologiis, & aduerſus Milletum præſcribunt Galatiæ nomen pro Gallia ſumi quondam non conſueuiſſe. Adde quòd nullus ſit in ſcriptura locus, vbi Galatiæ nomen pro Gallia vſurpetur, niſi forſan velit ex Ammiani obſeruatione Apoſtolum ad Gallos noſtros ſcripſiſ-

Digitized by Google

ſe, cùm epiſtolam ad Galatas ſcripſit.

II. Si Creſcens in Galliis noſtris mortuus eſt, vt Sophronius & Chronicum Alexandrinum dicunt, quî paſſus eſt in Galatia ſub Traiano, vt habent Annales, & Martyrologium Baronij? Dilemma præcedens vrgeo, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd martyrij locum quæramus. Nam etiamſi demus Creſcentem veniſſe in Galliam, dummodo in Aſiam redierit, ibíque migrauerit, neutra Seueri epocha læditur. non definita, quæ ad Galliæ noſtræ martyres ſpectat; non indefinita, quia Romæ & in Italia iam ſuſceptâ religione Dei, eam prædicatum in Galliam acceſſit.

III. Si Creſcens ad Galatarum gentem ſpecialiter deſtinatus eſt Epiſcopus, vt Martyrologia tradunt, cur ampliſſimam meſſem deſeruit, vt in Gallias veniret non legatus?

IV. Si Creſcente in Galatiam reuerſo Martinus tertius Viennenſium factus eſt Epiſcopus, ante annum CX. mori debuit Zacharias, quem ex Adone in Annalibus anno circiter CXVIII. paſſum Baronius affirmat. Porro autem in tanta rerum diſſenſione quæ veritas? Præterea Ado ſeu alius in Chronico dubiam Creſcentis in Gallia prædicationem relinquit his verbis ad annum LIX. *Quo tempore*, inquit, *creditur Paulus ad Hiſpanias perueniſſe, & Arelatæ Trophimum, Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe*. An autem Paulus in Hiſpaniam ierit, fuit olim à Gelaſio Papa negatum, inter alios controuerſum, hodiéque Baronium inter & Eſtium controuertitur. Deinde iuerit in Hiſpaniam Paulus,

Digitized by Google

Creſcentem fuiſſe itineris comitem, & per Galliam Paulum tranſiuiſſe, quid quæſo neceſſe eſt?

Epiſtolæ duæ, ex Viennenſium antiquitatibus productæ expenduntur.

VI. DVAS ex Viennenſium antiquitatibus, quas Ioannes à Boſco conſarcinauit, Pontificum epiſtolas opponit: vnam Pauli primi ad Carolum regem: alteram Paſchalis primi ad Bernardum Viennenſem Epiſcopum. In prima Viennenſis Eccleſia dicitur *Collegam Apoſtolorum* Creſcentem habuiſſe *magiſtrum*. In ſecunda verò dicitur *ab Apoſtolis fundata*. Sed primò vt hæ & complures aliæ apud illum auctorem Pontificum epiſtolæ meritò credantur ſubdititiæ, & illarum lectio, & grauium, eruditorúmque hominum contemptus faciunt. In exemplum ſtatuo Cornelij Papæ epiſtolam ad Lupicinum Viennenſ. Archiepiſcopum: quæ vox *Archiepiſcopi* tunc non erat in vſu, & cùm in vſu eſſe cœpit, magnarum ſedium Epiſcopis, Romano puta, Alexandrino, Antiocheno, Conſtantinopolitano tributa eſt ſolùm, non Metropolitanis, qualis erat Viennenſis Epiſcopus. Mitto alia falſitatis indicia, quæ deprehendi facilè poſſunt, vt veniam ad Silueſtri Papæ primi epiſtolam, quæ ſic ſe habet: *Silueſter Papa vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias. Placuit Apoſtolicæ Sedi, vt ſiquis ex qualibet Galliarum parte ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos venire contendit, vel ad alia terrarum loca ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Viennenſis formatas acceperit.* & poſt alia: *Prouincia*

verò ſeptem ad Viennenſem Eccleſiam pertinentes, ſicut Romanus Catalogus teſtatur, hæ ſunt Viennenſis prima, Narbonenſis prima, quæ eſt ſecunda, Narbonenſis tertia, quæ eſt Aquis tertia, Aquitanica prima, quæ eſt Biturix, quarta Aquitanica ſecunda, quæ eſt Burdegala, Nouempopulania, quæ eſt Auxia, ſexta, quæ Alpes maritimæ, quæ eſt Ebrodunum, ſeptima, valete. Hæc ſufficiunt, vt quis in inſtitutionibus Eccleſiaſticis vel mediocriter verſatus agnoſcat, ſuppoſita, vel certè ſuſpectæ fidei eſſe ea omnia, quæ inter antiquitates Viennenſis Eccleſiæ ad huius initia & prærogatiuas attinent.

Huc accedit communis locus, quo Menardus in Diatribæ ſuæ capite IV. vetuſtiſſimum ſcriptorem paſſionis S. Saturnini ſic reiicit: *Sed vrget aduerſarius, ſcriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur. quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere, quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in ore hominum verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is qui ſcribit non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?* Quòd ſi Menardo licuit hoc pronuntiare de ſcriptore, qui rei geſtæ æqualis vel ſuppar fuerit, multo magis mihi licet idem pronuntiare de eo, qui Paulo & Paſchali ſubiecit epiſtolas, vel ſuggeſſit, & qui præterea multis poſt Apoſtolos ſæculis vixit. Cum Menardo igitur dicimus: ſed vrget aduerſarius, in epiſtolis, quæ Paulo & Paſchali tribuuntur, *Viennenſis Eccleſia Apoſtolorum collegam*

Digitized by Google

Creſcentem magiſtrum habere meruit: item, *Viennenſis Eccleſia ab Apoſtolis fundata.* quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Et cetera vt ſuprà. II. Quæ epiſtola Paulo primo tribuitur, neque extat in codice Carolino, vbi plures epiſtolæ Pauli referuntur, neque in Vaticano Codice epiſtolarum Pauli, quæ à Baronio recenſentur. Cur enim hæc abeſſet potiùs, quàm ceteræ? III. Francofordienſe Concilium, vt motam inter Arelatenſes & Viennenſes Epiſcopos controuerſiam ſedaret, in medium plures Pontificum epiſtolas produxit, ſed inter illas epiſtola Pauli ad Carolum non comparuit. At ſi fuiſſet vera, cur quæſo non comparuit? An quia Viennenſem Epiſcopum, in cuius gratiam conficta eſt, latuit? An quia Carolum Magnum præteriit, qui eam debuit nuper accepiſſe, qui Concilium illud coëgit, & interfuit? Verba canonis octaui ſunt iſta:

De altercatione Vrſionis Viennenſis Epiſcopi, & Eliſanti Arelatenſis lecta ſunt epiſtola Beati Gregorij, Zoſimi, Leonis, & Symmachi, qua definierunt, eo quòd Viennenſis Eccleſia quatuor ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta praemineret, & Arelatenſis Eccleſia nouem ſuffraganeas habere deberet, quibus ipſa praemineret.

I. In ſecunda epiſtola Viennenſis Eccleſia fundata dicitur *ab iiſdem Apoſtolis*, cùm tamen vnius Petri Apoſtoli mentionem fecerit. II. Hæc fundatio ſexcentis primis Eccleſiæ ſæculis ignota eſt? At ex Baronij regula, *quod à recentiore auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.*

III. Si hanc epiſtolam indefinitæ Seueri epochæ credat aduerſarius opponi, ex inueniendi aſſerendique veri legibus repellenda eſt, quia Paulus vel eius Commentarienſis, non eſt Seuero vetuſtior, æqualis aut ſuppar. IV. Impoſtor ſe & ſuam inſcitiam prodit ſub finem epiſtolæ, quæ datur anno quarto Ludouici Imperatoris, & Patriciatus eius tertio. Fictitia nimirum eſt in Imperatore Ludouico Patriciatus dignitas. Lege Eginhardi Annales, lege opus Thegani de geſtis Ludouici, lege ſcriptam ab incerto, ſed coætaneo auctore Ludouici vitam, de Patriciatu illius ne verbum quidem vllum leges. Denique fuerit antè, ſi vis, Patricius, quàm Imperator, ex quo tamen factus eſſet Imperator, Patricius eſſe deſiiſſet. Quod in Carolo Magno factum legimus.

V. Hæc omnia planè confirmantur: Philippus Berterius in Pithanωn Diatribæ II. capite V. viam aperit reiiciendis Pontificum epiſtolis, quæ in Libello Viennenſium Antiquitatum editæ ſunt. Iacobus Sirmondus has duas epiſtolas in tomis Conciliorum Galliæ prætermiſit, ratus fictitia eſſe monumenta, quæ progreſſu temporis Viennenſes ſimilibus aliis Arelatenſium monumentis oppoſuerunt.

Præterea incredibile eſt, fundatam eſſe à Creſcente Apoſtolorum collega, vel ab Apoſtolis, vt loquuntur epiſtolæ, Viennenſem Eccleſiam, quæ poſtea nullos ante M. Aurelij perſecutionem habuiſſet martyres, quæ Creſcentem commemoratione nulla inſigni, Baſilica nulla honeſtaſſet. Eccleſia hæc accepti beneficij non

minùs fuiſſet immemor quàm ceteræ, quæ primis ſuis Apoſtolis Baſilicas exſtruxerunt.

De primis Viennenſium Epiſcopis quid ſcripſerit Baronius.

VII. Baronivs, vbi de primis Viennenſium Epiſcopis diſputat, in laqueos inextricabiles incidit: Audiamus verò: Et primùm quidem anno cxviii. *Sub eius Traiani Imperio paſſus eſt quidem in Galliis Creſcens, eius quoque natalis dies anniuerſaria memoria celebratur, immo & qui ei ſucceſſit in ſede Viennenſi Zacharias, ſub eodem Traiano martyrium conſummaſſe traditur.* Deinde ad annum clxvi. *Fuit porrò Verus, cuius meminit* (Pius) *primus Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Hoc autem ſi admittatur, neque Creſcens primus, neque Zacharias ſecundus, neque Martinus tertius erit Viennenſium Epiſcopus. Nunc Gregorium Turonenſem replicet aduerſarius, & parem nobis ſimplicitatem oſtendat.

Quædam ex ſuperioribus corollaria deducuntur.

VIII. Cetervm ex recenſitis de Creſcente, & diſcuſſis teſtimoniis hæc quatuor colliguntur. Primum eſt, iure optimo in Milletum retorqueri, quæ reſponſione ad caput ii. Diſſertationis paragrapho x. aliis exprobrat: *Hîc de ſua abſurditate erubeſcat aduerſarius, qui tot ſecum diſcordes auctores produxit.*

Secundum, ſcriptorem noſtrum penſi habe-

re nihil, quæ ſcribat, ſed ſufficere ſibi, ſi vel dubia, vel commentitia, vel diſcordia coniiciat in commentarios. Bene eſt, reſpondebunt Monachi S. Dionyſij: ſaltem erit liber, cui & ſplendidum nomen appingetur, & Tulliani flores inſpergentur, quæ duo apud imperitam plebeculam plurimùm valent.

Tertium, Milletum de ſeipſo malè penitus mereri, dum queritur, Sirmondum iſta omnia de Creſcente teſtimonia diſſimulauiſſe, ex quorum diſcuſſione exigui omnino iudicij ſcriptor apparet. An autem de me, qui quod voluit præſtiti, conqueſturus ſit poſtea, non credo. Diſſimulauit porro Sirmondus, ſeu potiùs neglexit adducta per Milletum de Creſcente teſtimonia, cùm ad propoſitum faciant nihil apud æquos rerum æſtimatores. Viennam Creſcens ad annum Chriſti LIX. venerit, ibi Chriſtum prædicauerit, redierit in Aſiam. quid tum? Exinde indefinita Seueri epocha detrimenti nihil accipit, quia tunc ſeriùs trans Alpes ſuſcepta eſſet adhuc Chriſti religio. Definita Seueri epocha non commouetur, quia nullus certus ex prædicatione tali martyr in medium adducitur.

Quartum, incertius nihil eſſe, quàm Creſcentis aduentum in Gallias & prædicationem. At ex re tam incerta quid aſſeretur certi contra Seuerum ſi repugnet, niſi certa ad incertorum regulam probentur. Quod olim in hæreticis grauiter redarguit Tertullianus.

Digitized by Google

Probabilius eſt Creſcentem in Gallias nunquam veniſſe.

IX. QVID autem nobis de Creſcente probabilius videtur, nunc paucis aperiendum eſt: Scilicet Creſcentem in Gallias non veniſſe. Id omnino comprobant, quæ ſequuntur: I. Vetus Martyrologium Romanum, quod Roſuueydus publici iuris fecit: XXVII. Iunij: *Apud Galatiam Creſcentis Beati Pauli Apoſtoli.* II. Vulgatum ſub nomine Bedæ Martyrologium: XXVII. Iunij: *Apud Galatiam beati Creſcentis Epiſcopi, diſcipuli Sancti Pauli Apoſtoli.* III. Vetus Martyrologium Autiſſiodorenſe, quod aſſeruatur in Bibliotheca Thuana: XXVII. Iunij: *Apud Galatiam B. Creſcentis diſcipuli Pauli Apoſtoli.* IV. Abbreuiatum Hugonis Victorini vel alterius Chronicum, quod extat in Bibliotheca Sancti Victoris: XXVII. Iunij: *Apud Galatiam Sancti Creſcentis diſcipuli beati Pauli Apoſtoli, qui Galatas vſque ad beatum finem vitæ ſuæ in opere Domini confortauit.* V. In veteribus Viennenſium Litaniis nullus legitur Creſcens, quod manifeſtum ſignum eſt, primis Eccleſiæ ſæculis Creſcentem fuiſſe Viennenſibus incognitum. Aliàs producat Milletus Romanæ Eccleſiæ, Lugdunenſis, Pariſienſis, vel Ordinis ſui Litanias, in quibus nec Petrus, nec Photinus, nec Dionyſius, nec Benedictus inuocetur. Hæc obſeruatio rem conficit, & in hoc negotij genere ad demonſtrationem accedit.

VI. Creſcens apud Euſebium Hilduini & Chriſtophorſoni, & quod his maius eſt, apud San-

ctum Paulum non in Galliam, ſed in Galatiam perrexit. An autem ſint tractatores Eccleſiaſtici, quibus poſthabendus ſit Doctor gentium, Milletus & Menardus ceteríque monachi viderint.

VII. Cùm ex vna parte apud Adonem, Vſuardum & Baronium in Galatia Creſcens obierit, & ex altera apud Sophronium, & in Chronico Alexandrino Creſcens mortuus ſit, vbi primùm fidem Chriſti prædicauit, in textu Sophronij & Chronici mendum irrepſit, ibíque *in Galliis*, pro *in Galatia*, ſcriptum videtur.

VIII. Cùm Epiphanius & Theodoretus de genuina Pauli epiſtolæ lectione diſputent, & in ea ſemper remanſerit, Creſcentem in Galatiam abiiſſe, ex eo ſententia illa validè confirmatur, quâ Creſcentem in Galliam nunquam veniſſe credimus. Vniuerſali Eccleſiæ, quæ hodiernam B. Pauli lectionem ſemper retinuit, adhærere malumus, quàm Theodoreto & Epiphanio, ſi ab illa diſſentiant. monachi verò noſtri contrà faciunt, ſed quâ conſcientiâ, rurſus viderint.

Quæ verò Vſuardus, Ado, & Baronius de Creſcentis in Gallias tranſitu ſcribunt in Martyrologiis, ſi cum præcedentibus componas, ex incertis hiſtoriis addita iudicaueris, quibus de Creſcente diſputantes Epiphanius & Theodoretus potuerunt fundamentum aliquod præbere. Deinde aſſumenta illa teſtimonium ex antiquiori Galliarum traditione nullum habent, quo loci valet regula Baronij: *Quod à recentiori auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.*

CAPVT III.

De Clementis ad Iacobum epiſtola, de Pauli Diaconi teſtimonio, de Memmij Catalaunenſis, de Sixti Remenſis temporibus diſſeritur.

I. HIc non poſſum non mirari hominis iudicium, qui audeat Clementis ad Iacobum epiſtolam, vti germanam oſtentare, poſteaquam vetus Martyrologium, quod Roſueydus edidit, dubiæ fidei eſſe inter alia voluit, quòd in eo elementum vnum in aliud mutetur, ſcilicet, quia ſeptimo Idus Octobris *Pariſiis*, pro *Pariſius* repreſentat. Ad hanc obſeruationem fulgurita cadunt omnia, quæ in Vindiciis, & in hac reſponſione magno verborum apparatu vir hypercriticus obtrudit. Deinde hanc epiſtolam reiiciunt velut apocrypham Comeſtor, Gobelinus Perſona, Turrecremata, Cuſanus, Baronius, Bellarminus, Perronius, Driedo, Eſpencæus, Binius, Poſſeuinus, & alij. Aut igitur mittat hoc ſuum argumentum ex epiſtola Clementis, aut tantorum virorum rationibus ſatisfaciat, ſi poteſt. In arenam prodibit congreſſurus Dares cum Entellis, cum Herculibus pumilio.

Menardus in Diatribæ capite IV. obiicit antiquius noſtris auctoribus Vaſenſe Concilium, Hincmarum, Photium, Leonem IX. & Iuonem, qui Clementis epiſtolam laudarint: id quidem non abnuo, ſed Vaſenſis Concilij Antiſtites, &

alij non ſunt antiquiores veritate, quam auctores noſtri ſuis rationibus conſtabiliunt, illam videlicet ſubdititiam eſſe. at *veritas*, vt ait Tertullianus, *antiquiſſima res eſt.* quare ſubiunxeram: *aut igitur mittat hoc ſuum argumentum ex epiſtola Clementis, aut tantorum virorum rationibus ſatisfaciat, ſi poteſt.* At neque Milletus ſatisfecit, neque Menardus, immo hic dilemma iſtud meum ſilentio præteriit.

Clementis porro ſuppoſititij verba hæc ſunt, quæ Milletus obiicit: *Aliquos verò ad Gallias, Hiſpaniáſque mittimus.* Sed quid inde quæſo conficitur aduerſus Seuerum? ſiue indefinita, ſiue definita Seueri epocha ſpectetur. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſceptâ*, indefinita ſuſceptæ fidei tempus, definita martyrum ſpectat. Nonne Milletus & Menardus ſimiles ſunt ei, qui appulſas omnes ad Piræum naues ſuas eſſe arbitrabatur?

Præterea cum Menardo dicimus: vrget Milletus ex Clemente, aliquos ab eo in Gallias & Hiſpanias miſſos eſſe? *Quid tum? an non homini qui* Clementi ſubiecit epiſtolam, *ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?*

Pauli Diaconi teſtimonium expenditur.

II. De iis, quæ ex Paulo Diacono in libro Metenſium Epiſcoporum adferuntur, idem ſit primò noſtrum, quod Milleti de hiſtoria Saturnini martyris iudicium, vt nos identidem fatea-

mur aliquid ex tam eloquenti Critico proficere. Hanc ille reiicit hiſtoriam quantumuis ab auctore ſcriptam, qui rei geſtæ æqualis, aut ſuppar cùm fuerit, à vero aberrare vix potuit. Quantò igitur magis reiiciendus eſt Paulus Diaconus, qui res ab ætate ſua ſeptem plus minùs ſæculis remotas exequitur. At Paulus, inquit, *antiquam relationem* citat: Audio te: Gregorius etiam Turonenſis veterem Saturnini hiſtoriam laudat, & in ea fidelis recordatio laudatur. *Vnde*, inquit Milletus, *nec illum* (Gregorium) *falſi arguimus, ſed auctorem anonymum, quem citat.* Neque ego volo Paulum Diaconum inſimulare falſi, ſed anonymos antiquæ relationis auctores, quos laudat.

Deinde inueniendi veri causâ, demus Paulum iſtum Seuero repugnare: cuinam quæſo maior fides debebitur? An Paulo, qui à tempore rerum geſtarum, quas narrat, ſeptem circiter ſæculis diſtabat? An Seuero, qui quatuor tantùm? An Paulo, qui reconcinnatas, & in pleriſque corruptas Sanctorum hiſtorias legebat? An Seuero, qui aut prorſus incorruptas, aut certè minùs corruptas? Notum eſt quid in rerum præteritarum recenſione & in Sanctorum hiſtoriis tria poſſint ſæcula. Tot enim ab Seuero ad Paulum Diaconum effluxerunt. Quippe *eiuſmodi hiſtoriarum pars magna*, vt ait Maſſonus, *multis pòſt ſæculis ſcripta eſt ab imperitis ex quotidianis vulgi ſermonibus ſæpe delirantis, ſempérque aliquid adiicientis de ſuo.* E re nata in exemplum ſint paſſio Sancti Dionyſij, & hiſtoria Sancti Eugenij presbyteri & martyris, quæ omnia à monachis San-

cti Dionyſij conſcripta ſunt, & putidis inſperſa fabulamentis.

Quæ autem de Pauli Diaconi inerudita, & fabuloſa ætate diximus, ſuſtinent Canones Francofordienſes & Capitularia, quibus & incerta Sanctorum geſta & nomina prohibentur. Sed cùm illa generatim tantùm notentur, non omnium eſt ſpeciatim ab illis ſibi ſemper temperare.

Paulus Clementem miſſum à Petro Metenſem facit Epiſcopum, quem vetus hodiernúmque Martyrologium, Vſuardi, Adonis, Rabani & Notkeri Martyrologia ſilent, quem ante Paulum nemo celebrat. & tamen incelebratum olim hominem Seuero ſcriptori celeberrimo anteponere non formidant. Siquidem obſcurum nihil eſt, incertum nihil, quod Seuero non tentent obiicere, ne verum dixiſſe videatur. Nam ſi Seuerus verum protulit, mentiti ſunt infiniti monachi, qui Sanctorum vitas interpolarunt.

Præterea ex ciuitatibus, quæ apud Paulum Diaconum à Petro Euangelij doctores habuerunt, fuit & fortè Pariſiorum Lutetia, ſi Milletus Rabanum, & Notkerum, quos in epilogo citat, ſuâ fide dignos putet. Ex Rabano in Martyrologio Nonis Auguſti: *In ciuitate Catalaunica depoſitio Memmij Epiſcopi & Confeſſoris, de quo legitur, quòd à Beato Petro Apoſtolo in Romana Sede Epiſcopus ordinatus miſſus fuiſſet in Galliam ſimul cum Sancto Dionyſio*, &c. Hæc eadem omnino verba refert Notkerus eadem die, quæ & ex vita Sancti Memmij vterque Martyrologus deprompſit: vbi ſic legitur: *Igitur Beatiſſimus Mimius*

Epiſcopus nobilis genere de ciuitate Roma oriundus fuit, ſed cùm à Sancto Petro Apoſtolo in Epiſcopum benedictus fuiſſet, ad partes Galliarum ad prædicandum verbum Dei miſſus eſt vnà cum fratribus ſuis ſancto Dionyſio futuro Pariſienſi Epiſcopo, &c. At hæc hiſtoria, qua Milletus apud Rabanum & Notkerum pro Memmio vtitur, ab eodem duabus de cauſis reiici debet; tum quia Dionyſius hic futurus Pariſiorum Epiſcopus frater eſt Memmij genere Romani, ac proinde Romanus, non Areopagita vel Athenienſis; tum quia non à Petro miſſum, ſed à Clemente Dionyſium pro aris & focis contendit.

Memmij Catalaunenſis tempus examinatur.

III. Qvæ iam ex occaſione de Memmio diximus, perſpicuè oſtendunt, aduerſarium, nullum ſcriptorum & hiſtoriarum delectum habere, ſed quò corruptiores libri, eò meliores, dummodo præſenti cauſæ ſeruiant, licèt aliàs incommodent Areopagiticæ. Quo autem id fiat iudicio viderit, ſed pares apud Gregorium Turonenſem mentis hallucinationes inueniat.

Nunc verò ſatis eſt ſi Memmij miſſionem à Petro veteribus Martyrologis incognitam fuiſſe demonſtremus. Ex Vſuardo Nonis Auguſti: *Catalaunis Sancti Memmij Epiſcopi & Confeſſoris.* Ex Beda ibidem: *In ciuitate Catalaunica depoſitio Memmij Epiſcopi & Confeſſoris.* Ex veteri Martyrologio Autiſſiodorenſi, *Catalaunis Sancti Memmij Epiſcopi & Confeſſoris*. Ex Martyrologio Romano, quod circa annum MD. Patauij editum eſt,

deinde Venetiis MDXXII. & MDXLVIII. & Pariſiis MDLXXIII. recuſum. *Catalaunis Sancti Memmij Epiſcopi & Confeſſoris.* Ex Martyrologio MS. Eccleſiæ S. Saturnini Toloſani, *Nonis Augusti: Catalaunica ciuitate depoſitio ſancti Mimij Epiſcopi & Confeſſoris.* Ex Martyrologio MS. Cœnobij ſancti Memmij ad Catalaunum: *Depoſitio beati Memmij primi eiuſdem loci Epiſcopi, qui inter plurima miracula mortui ſuſcitator magnificus extitit, & cuius ſepulcrum celeberrimis illuſtratur miraculis.*

His addimus Gregorium Turonenſem, qui libro de gloria Confeſſorum cap. LXVI. Memmij miracula recenſet, atque adeò in ſuis ad ſuas preces famulis patrata, ſed ibi de tali à Petro facta miſſione ne vnum quidem verbum habet. At enim Milletus obiicit Galeſinij & Baronij Martyrologium, vbi Memmium à Petro miſſum tradunt. Verum quidem iſtud eſt, ſed meminerit ſe de omnibus Martyrologiis ſic cenſuiſſe: *Nulla ad nos niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Baronius quoque meminerit ſuæ regulæ: *Quod à recentiore auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Si in Commentario Martyrologij quoad tempus miſſionis Vſuardum & Bedam laudet, fallitur, vt vidimus, & Adonem præterea falsò citat.

Denique Galeſinius, qui miſſione Petri Martyrologium auxit, cùm non ſit Seuero vetuſtior, æqualis, aut ſuppar, illi hac in parte nulla fides habenda eſt.

Sixti

Sixti Remenſis epocha & martyrium expenduntur.

IV. De Sixto Remenſi rixatur quoque, dum illum Petri diſcipulum, & martyrio ſub Nerone coronatum tradit. At primò id facit contra primam Remenſium traditionem, cuius meminit Hincmarus Remenſis opuſ. LV. cap. XVI. *Poſtquam*, inquit, *Beatus Sixtus à Sixto Romanæ Sedis Pontifice primus ad Remenſem Metropolim fuit directus Epiſcop.* Deinde id facit aduerſus veteres Remenſis Eccleſię Litanias, vbi non inter Martyres ſed inter Confeſſores collocatur. Legat illas, ſi lubet, quæ anno MDIV. & MDXXX. editæ ſunt in Remenſi Sacerdotali, quod poſtea ex auctoritate Prouincialis Concilij ad vſum omnium Prouinciæ Eccleſiarum prodiit anno MDXXCV. Denique id facit contra Vſuardum, & infinita Eccleſiarum Martyrologia, vbi de Sixto hæc tantùm traduntur Calendis Septembris: *Remis depoſitio Sancti Sixti Epiſcopi primi ciuitatis ipſius.* Martyrologium Auguſtodunenſe MS. *Remis depoſitio Sancti Sixti Epiſcopi primi ciuitatis ipſius.* Martyrologium MS. Monaſterij Montis S. Eligij: *Remis depoſitio Sancti Sixti Epiſcopi primi ciuitatis ipſius & Confeſſoris.*

Verùm his omnibus obiicit Romanum Baronij Martyrologium, in quo Sixtus Petri diſcipulus, & ſub Nerone paſſus traditur. At de hoc, vt & de aliis omnibus Martyrologiis decernit aduerſarius; quòd *nulla ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerint.* Hæc ſæpiuſculè repeto,

Digitized by Google

ne ſua diſſimulari à nobis conqueratur. II. Duo illa, quæ magni pendit auctor noſter, Galeſinius addidit Martyrologio Romano, quod circa annum MD. Patauij, deinde Venetiis MDXXII. & MDXLIX. vulgatum eſt. Vbi hæc ſolummodo legimus, *Remis depoſitio Sancti Sixti primi Epiſcopi ciuitatis ipſius.*

Romano poſtea Martyrologio ſubiungit, quæ Fulco Remenſis Epiſcopus ſcribit apud Flodoardum: *Sedem verò Remenſem ab anteceſſoribus ſuis præ Gallicanis omnibus Eccleſiis ſemper fuiſſe honoratam, vtpote cùm primus Apoſtolorum Beatus Petrus primum deſtinarit huic vrbi Sanctum Sixtum Epiſcopum.* Et cetera, quæ religiosè truncauit, ne ſcripti ampliter mentientis fraudem detegerent. Hoc eſt, *Et totius Gallicanæ regionis dederat Primatum.* Hæc Fulcone antiquior Hincmarus ignorauit, Remenſium ceteroqui priuilegiorum non indiligens cuſtos, immo & amplificator. Quæret forſan aliquis, num Milletus examinarit quæ ex Hincmaro retulimus? Minimè gentium. Quid ita? quia cauſæ officiunt ſuæ, tum non potuiſſet de Sulpitio Seuero ſic triumphare in Vindiciis: *Igitur*, inquit, *in Sixto Remenſi nihil occurrit non æquabile, quo miſſionis tempus dubitationem vllam commoueat*, debuit addere *& priuilegij*, quo præ Gallicanis omnibus Eccleſiis Remenſis ſemper cohoneſtata fuit, & ab Apoſtolorum principe totius Gallicanæ regionis obtinuit primatum. Tam ſunt hæc vera, quàm & permulta alia in Vindiciis & in hac Vindiciarum defenſione.

Menardus in capite III. Diatribæ reſpondet,

Digitized by Google

Fulconem & Flodoardum Hincmaro ſuppares eſſe, eíque vni, quia duo ſunt, præponderare. At præponderarent vtique; niſi liquidò conſtaret, Fulconis narrationem in pleriſque fabuloſam eſſe, quam vt Menardus defendat, diſtinctionem hanc adhibet : *Nec propterea deterius eſt Fulconis teſtimonium, quia ſcripſit, S. Sixto fuiſſe Galliæ totius primatum à S. Petro datum. Nam hoc priuilegium ei ſoli, non ſucceſſoribus fuit conceſſum, cùm tunc non eſſent in Gallia certis ſedibus primates aſſignati.* Statuâ dignum inuentum, ſed plumbeâ: hæc qui iacit in commentarios non ſolùm otio & literis abutitur, ſed etiam patientiâ lectorum, quos vt ſtolidos & antiquitatis Eccleſiaſticæ rudes & imperitos habet, ſi eos his anilibus figmentis perſuaderi poſſe putet.

Verùm miſſis iſtis, & auditis Hincmaro, & veteribus de Sixto Remenſi Martyrologiis; quid Sixtus Rom. III. Pontifex decerneret, *Nihil*, inquit, *vltrà liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati, perſpicua maiorum fides, & credulitas nulla cœni permixtione turbetur?*

Ne ſint hæc omnia, ſi Menardo licuit de ſcriptore, qui rei geſtæ æqualis vel ſuppar fuerit, pronunciare, *Sed vrget aduerſarius, ſcriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur, quid tum? Annon homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?* Si Menardo inquam pronunciare iſta licuit, multò magis mihi licet eadem pronunciare de Fulcone, qui annis poſt Apoſtolos octingentis nonaginta claruit. Cum Menardo igitur dicimus : *Sed vrget aduerſarius, Fulco Sixtum Remenſem à Petro miſſum eſſe ait; quid*

Digitized by Google

tum? Annon homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?

Poſtremò ſuam de Sixto aſſertionem potuit probare ex iis, quæ ex Rabano, Notkero, & vita Sancti Memmij propoſuimus. Sed cùm ad ſe rediit, iſta omnia maluit perire, quàm Dionyſium pro Memmij & Sixti Romanorum ciuium fratre agnoſcere.

Obſeruatio quædam de more ſæculi ſynchroniſmum Apoſtolorum affectantis.

V. CETERVM pro more ſæculi ſynchroniſmum Apoſtolorum vbique affectantis, cùm Hilduinus Dionyſium Pariſienſem à Clemente miſſum ſcripſiſſet, & totius Galliæ Apoſtolum feciſſet; poſtea Fulco nequid Remenſium deperiret gloriæ, Sixtum ſuum non Clementis ſed Petri diſcipulum aſſeruit, deinde Remenſem Epiſcopum conſtituit, & ex auctoritate Petri totius Gallicanæ regionis primatem. Sic alij Gatianum Turonenſem à Clemente miſſum, alij in quodam carmine directum à Petro Epiſcopum ſcripſerunt, ne ſcilicet tertiæ Lugdunenſis caput ſeriùs Chriſti fidem habuiſſe diceretur, quàm plures primæ, ſecundæ & quartæ, immò & tertiæ Lugdunenſis Eccleſiæ, quarum primos Sacerdotes lapſu temporis, & affectu ſynchroniſmi Apoſtolorum ad primum ſæculum poſteri reuocarunt. In horum temporum ſcriptis habitat Milletus. In his eloquenter triumphat. Sed non ſatagit, an verè. At *melior eſt vera ſtipula,* inquit Auguſtinus, *quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.*

Digitized by Google

CAPVT IV.

Antiquiſſimus Saturnini paſſionis auctor, & Gregorius Turonenſis de Dionyſio Pariſienſi ſcribentes defenduntur.

I. MILLETVS in reſponſione ad ſecundum caput Diſſertationis Gregorium Turonenſem aggreditur, quem vt more ſuo eludat, hinc ad communes locos tanquam ad conuoluendæ rei aſylum confugit, inde oblatam à nobis de Gregorij auctoritate diſputandi conditionem furtim præterit. Sed in vno ſe à communibus locis magna cum Vindiciarum iactura exturbatum diſſimulat, in altero parum ſe præbet amatorem indagandæ & aſſerendæ veritatis. Quę duo non priùs nudè exponentur, quàm quicquid ille à pagina XXX. ad paginam LI. producit, ſuâ ipſius expoſitione refellatur.

Loci communes aduerſarij exponuntur, & in eundem grauiter retorquentur.

II. AD primum autem quod attinet, eò tendunt, quæcunque aduerſus antiquum Saturnini paſſionis auctorem, & illius vindicem Gregorium diſſerit, vt è Septemuiris, quos ambo ſub Decio legatos ſcribunt, Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, & Martialem Lemouicenſem excipiat, quòd longè citiùs, ſub Apoſtolis videlicet, in Galliam aduenerint. Qua-

re cùm in his tribus erraſſe ſuo iudicio conſtet, erraſſe quoque in Dionyſio Pariſienſi concludit. Ad hanc ratiocinationem velut ad vnum compitum, omnia confluunt ſi quæ ſint reſponſiunculæ momenta.

Porrò hunc locum communem in auctorem repercutiendo iam diſploſimus, & iterum cum auctario ſic diſplodimus. In Vindiciis qua parte Maſſilienſibus Lazarum, Aquenſibus Maximinum Epiſcopum tribuit, Gallicanam id eſſe traditionem affirmat, & in huius traditionis teſtimonium adducit Sigebertum in Chronico ann. DCCXLV. Martyrologium Romanum XXII. Iulij, & Martinum Polonum in Chronico. At Sigebertus Miræi, qui ex puro exemplari prodiit, & Martinus in Chronico editionis Colonienſis anni MDCXVI. de Lazaro & Maximino nihil penitus ſcribunt: Sigebertus Piſtorij de Maximino loquitur, ſed de Lazaro ſilet, & Romanum Martyrologium XXII. Iulij de Maximino & Lazaro ne gry quidem. Præterea confictam à maioribus ſuis Eugenij martyris & Archiepiſcopi Toletani hiſtoriam obtrudit, & Genouefæ virginis acta turpiter affingit Geneſio presbytero, & illa vocat antiquiſſima, quæ recentiſſima ſunt, & impoſtorem vel ſtupidiſſimo cuique produnt. In hac verò Vindiciarum defenſione *totius Gallicanæ Eccleſiæ ſenſui per ſuos Epiſcopos* tribuit, quod non toti Gallicanæ Eccleſiæ, ſed quibuſdam tantùm Epiſcopis ſub Ludouico Pio congregatis tribuendum eſt: immò his præſulibus omnem auctoritatem aſſerit contra Baronium, Bellarminum & alios controuerſiarum ſcriptores, qui

Digitized by Google

illos Epiſcopos ignoratæ traditionis accuſant: Qui autem ſic diſputat, illi ex ſuæ dialecticæ principiis nulla fides danda eſt. Selige ergo, lector, quæ in Vindiciis & in hac Vindiciarum defenſione placuerit, illa facilè de mendacio præiudicabis.

Deinde vt huius dialecticæ methodi vanitas clariùs appareat, ex aduerſarij propoſitione, vt directo in Gregorium ariete, quis non conficeret, æquè in Gatiano Turonenſi, atque in Dionyſio Pariſienſi lapſum eſſe? Hoc autem nemo reciperet vnquam præter eum, qui ſcribendo verecundiam exueret omnem, & in recentiorum fictis fabulis ſtilum penitus haberet delibutum.

Abeat igitur fucata illa diſputatio, quæ ſola apud rudes & imperitos principatum tenet: deſinat tandem à locis communibus, vt cum Hieronymo & Tertulliano loquar, & in gradum & lineas regrediatur. De Dionyſio Pariſienſi contra duos ſcriptores noſtros diſputet, & in huius Epiſcopi tempore hallucinatos probet auctoribus vetuſtioribus, æqualibus, ſupparibus. In Trophimo Arelatenſi, in Paulo Narbonenſi, in Martiali Lemouicenſi errauerint, eſto, ſi probetur per eos, qui rem meliùs nouerint, ſcilicet per antiquiores, æquales vel ſuppares. At in Dionyſio Pariſienſi, cur continuò erraſſe dicentur, ſi pari non probetur via? Quod cùm ille non potuerit hactenus exequi, veritas vicit. Cur ergo primos veræ traditionis fontes interuertit? Cur ceteris viam parat traditionibus arte non impari compilandis? Etenim nemo eſt tam hebes in ple-

becula, qui non facilè reprehendat aliquid in Irenæo, in Tertulliano, in Cypriano, in Euſebio, in Theodoreto & aliis, vt eos eludat, dum in ſanctarum traditionum teſtes producuntur. Hac itaque Areopagiticorum diſſerendi methodo nihil eſſe in Eccleſia Dei periculoſius, nihil pernicioſius, ampliſſimè nunc probarem, ſi tam vtili, & breui negotio fieri poſſet, quàm poteſt facili. Satis eſt indicaſſe malum, in quod pius quidem, ſed parum conſideratus ſcriptor incurrit.

Repetitæ pro Gregorio Turonenſi Vindiciæ.

III. VERVMENIMVERO Milletus interim reuoluat Gregorium noſtrum, replicet omnia illius opera. Diſcruciet virum de Eccleſia & de Gallia bene meritum, oſtendétne vnquam illum Gallicanæ traditioni falſum aliquid affinxiſſe tribus ſubornatis teſtibus? At hoc in Maximino & Lazaro Milletum feciſſe iamiam vidimus. II. Deprehendétne vnquam illum tales de Sanctis aliquibus impoſturas vindicaſſe, quales ipſe de Eugenio Toletano & de Genouefa Virgine vindicauit? III. Oſtendétne vnquam Gregorium ſua ſimplicitate aliquam iis monimentis auctoritatem dediſſe, quibus, qui Romanæ communionis non erant, vtebantur? At hoc ſumma dicendi facultate præſtitit aduerſarius in reſponſione ad caput IV. Diſſertationis paragrapho quinto, vbi quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamauit. Cetera, quæ ſcribendo peccauit, infra omnem cum Gregorio

comparationem poſita eſſe quis non videt? Næ tamen me iudice ſtultus ſit, qui ex tam incredibili & denſa hallucinationum congerie velit, multis quæ eleganter diſſerit, omnem auctoritatem abrogare. Hac tamen gratia indignus eſt aduerſarius, qui quærendæ veritati nullatenus incumbit, ſed ſic agit cum Sirmondo, quaſi in tota Diſſertatione nihil vnquam veri dixiſſet. An autem Ethnicus homo ſic ageret, apud Deum viderit, qui non Chriſtianum modò ſe, ſed & ſtrictioris apud Chriſtianos vitæ religioſum profitetur.

Integrum Gregorij teſtimonium refertur, & expenditur.

IV. Redeo ad Gregorium, cuius hiſtoria de ſeptem Epiſcoporum miſſione & geſtis referenda eſt, cùm ſciamus antiquiorem nullam poſſe exhiberi: *Huius*, inquit, *tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis Sancti martyris Saturnini denarrat: Ait enim; ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana ciuitas Sanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt; Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Stremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis deſtinatus eſt Epiſcopus. De his verò beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diuerſis pro Chriſti nomine affectus pœnis præſentem vitam gladio immi-*

Digitized by Google

nente finiuit. Saturninus verò iam ſecurus de martyrio dicit duobus preſbyteris ſuis; Ecce ego iam immolor, & tempus meæ reſolutionis inſtat, rogo, vt vſque dum debitum finem impleam, à vobis penitus non relinquar. Cúmque comprehenſus ad Capitolium duceretur, relictus ab his ſolus adtrahitur. Igitur, cùm ſe ab illis cerneret derelictum, oraſſe fertur, Domine IESV *Chriſte, exaudi me de cælo ſancto tuo, vt nunquam Eccleſia de his ciuibus mereatur habere Pontificem in ſempiternum. Quod vſque nunc in ipſa ciuitate ita eueniſſe cognouimus. Hic verò tauri furentis veſtigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus vitam finiuit. Gatianus verò, Trophimus, Stremoniúſque, & Paulus, atque Martialis in ſumma ſanctitate viuentes poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, ac fidem Chriſti per omnia dilatatam felici confeſſione migrarunt. Et ſic tam iſti per martyrium, quàm hi per confeſſionem relinquentes terras in cæleſtibus pariter ſunt coniuncti.*

Quis nunc ſtudio partium vacuus hæc omnia & ſingula expendit, nec illico fateri cogitur, Gregorium conſcribendæ ſeptem Epiſcoporum hiſtoriæ ſedulam operam nauaſſe? Horum martyrium, & martyrij circunſtantias, illorum confeſſionem, & Euangelicæ prædicationis fructum diligenter annotaſſe? quæ ſunt amuleta etiam aduerſus Satanam potentiſſima.

A Milleto Gregorius hinc excuſatur, inde accuſatur, ſed à nobis defenditur.

V. OCCVRRIT tamen è clauſtro Monachus, qui hinc Gregorium excuſet à peccato, inde du-

biam illius in Saturnino mentem eſſe contendat, hinc ingenti criminatione maculet.

Excuſat verò ſic: *Vnde nec illum falſi arguimus, ſed auctorem anonymum, quem citat.* O lepidum acumen! quaſi verò Gregorium, qui frequentiſſimè Pariſiis vixit, in domeſticis rebus facilè deciperetur à Septimaniæ ſcriptore, qualem fuiſſe illum ex ipſo hiſtoriæ argumento coniicimus. Quaſi verò Gregorius ex Pariſiorum traditione, quæ præ manibus erat, & oculis, non correxiſſet Saturnini hiſtoriam, ſiquid de Dionyſio contra maiorum, contra Pariſienſis Eccleſiæ, contra ſui temporis fidem exhibuiſſet? Cur enim quod Eutropio Sanctonum Epiſcopo incertæ credens famæ præſtitit, Dionyſio Pariſienſi negaſſet? Eutropium à Clemente miſſum ex vulgi ſermone retulit in priori de Miraculis libro: Cur igitur legatum à Clemente Dionyſium non retulit, ſi de tali miſſione tunc vel leuiſſimus increbuiſſet rumor? Hoc ab illius facilitate, quam exprobrant, debuit exſpectari. Quis prætereà ex Pariſienſibus Epiſcopis, ex florentiſſimo Clero, ex tota Gallia redarguit Gregorium? Stupor omnes forſan inuaſerat, donec vnus naſceretur Hilduinus, quem liberanda veritas exſpectabat. Quis ante hunc Abbatem ſimplicitatis & inconſiderantiæ arguit Epiſcopum, quòd ſub Decio collocaret Dionyſium, qui ſub Domitiano collocandus fuiſſet, & inſuper Areopagita? Cedo tu vel vnum ex tota Gallia, qui contrà de Dionyſio ſcripſerit, & nos ſine vlla controuerſia cedemus. Diceret Tertullianus vnica præſcriptione Areopagiticos *remouendos, quòd deſerto eo,*

Digitized by Google

quod prius fuerat, poſtea elegerint quod prius non erat. Adderet, *peruerſitatem fidei eſſe probata non credere, non probata præſumere.*

Deinde aduerſarius ſuppreſſis vocabulis duobus (*vt fertur.*) recenſet quæ Gregorius libro Miraculorum primo ex fama recenſuit de Saturnino, & illa cum iis, quæ idem lib. 1. Hiſt. Francorum aſſeruit, ſic committit, vt imminutam Hiſtorici fidem relinquat. *Cui credam?* inquit, *Gregorióne vnum ex ſe dicenti, an oppoſitum ex aliis eidem memoranti?* O egregiam animi ſuſpenſionem! Nemo dubitauit hactenus, cuinam crederet? Hiſtoricóne vnum ex certo aſſerenti? an aliud eidem ex incerto narranti? Nunc in terras ſi rediret Gregorius, & vno in loco ex ſe diceret Milletum ſtrictioris obſeruantiæ monachum eſſe, & in alio ex quorundam rumore narraret non eſſe ſtrictioris obſeruantiæ monachum: cui crederet? Gregorióne vnum ex ſe dicenti, an oppoſitum ex aliis eidem memoranti? Dubius ſit ille quantum voluerit, cui crederet? ego ſine vlla dubitatione Gregorio vnum ex ſe dicenti crederem. Noui enim famam, nomen incerti, locum non habere, vbi certum eſt.

At verò Gregorius omnem de tempore Saturnini occaſionem ambigendi ſuſtulit, dum ſcriptam illius *ex fideli recordatione* vitam laudauit lib. 1. Hiſt. Francorum: immò ex ea Martyrologij ſui textum Baronius confirmat, niſi fortè rectiùs dicatur idem ex ſeipſo confirmari. Quæ enim Vſuardus, Beda, Ado, & Baronius in Martyrologiis ſuis de Saturnino referunt, eadem & Gregorius noſter refert Vſuardo, Adone, Be-

Digitized by Google

da, & Baronio vetuſtior.

Denique Gregorium quàm vehementer criminatur in epilogo: *Et certè*, inquit, *ſi vel in vno Epiſcopo veram non eſſe conſtat narrationem, nihil erit, cur in reliquis impetrare fidem mereatur. errore nimirum deprehenſo non in aliqua circunſtantia, ſed in ipſa rei narratæ ſubſtantia.* Os hominis iſtius quis deinceps ferat? Quàm alia eſt Baronij modeſtia & opinio, qui licèt Gregorium in cauſa Trophimi, Pauli, Martialis, & Dionyſij reiiciat, illum tamen in negotio Auſtremonij, Gatiani, & Saturnini ſtudioſiſſimè amplectitur! Sed immodeſtiſſimus ſcriptor ex albo Hiſtoricorum tollere voluit, quem de Dionyſio differentem ex inueniendi aſſerendíque veri legibus non potuit arguere. Adhæc præ homine iſto bardi ſunt & hebetes Nicolaus Faber, Robertus Bellarminus, & Dionyſius Petauius, qui Gregorij noſtri locum magnam in auctoritatem receperunt, nec curſim, ſed cogitatè receperunt.

Propiùs accedo: in vnius putà Trophimi hiſtoria errorem ſubſtantiæ vocat, quem alij circunſtantiæ vocarent. Quæ enim ad Trophimi perſonam, & Epiſcopatum ſpectant, in hiſtoria Trophimi ſubſtantiam potiſſimum componunt. Quæ verò ad vrbem, cuius fuit Epiſcopus, ad Epiſcopatus annos, ad martyrium, vel confeſſionem attinent, inter appendices hiſtoriæ rectiùs numerarentur. Numerare noluit humanus ſcriptor, ne non ſatis acriter accuſaretur Gregorius: ſed accuſatorem ſequor, qui certam Epiſcopatus epocham ad hiſtoriæ Trophimi ſubſtantiam pertinere contendit. Age verò quâ ratione

Digitized by Google

ſcribentem de Trophimo Gregorium repudiat; quòd non citiùs, quàm par fuit, in Gallia vixiſſe ſcripſerit, eâdem & repudiet neceſſe eſt, quæcunque de Chriſto docuit Irenæus; quòd multò tardiùs, quàm veritas tulit, Chriſtum inter mortales vixiſſe prodiderit. Ad rationis æqualitatem ſapiat, vel rumpatur Areopagiticus.

Ceterum à quibus vetuſtioribus Gregorio ſcriptoribus habet Gallia Paulum Narbonæ, non alterius vrbis, Martialem Lemouicæ, non alterius vrbis Epiſcopum? Paulum, & Martialem non Martyres, ſed Confeſſores fuiſſe? Quæ omnia certæ Epiſcopatus epochæ præſtant. Veruntamen quia Gregorius iudicio Milleti in Paulo, Trophimo, & Martiali falſus eſt, in reliquis nulla fides illi concedatur. At verò tota Milleto auctoritas tribuenda eſt, qui de Lazaro & Maximino ſcribens Gallicanæ Eccleſiæ per mutos teſtes impoſuit.

In oblata de Gregorio Turonenſi diſputandi conditione Milletus fuga reus conuincitur.

VI. QVOD autem pertinet ad ſecundum, cuius numero primo mentionem fecimus, mortalium nemo quiſquam eſt, qui ſi veritatem quærat & amet, oblatam à nobis de vetuſtiſſimo Saturnini paſſionis auctore, & de Gregorio diſputandi conditionem non amplectatur. Hæc illa eſt in noſtro de Areopagiticis Hilduini iudicio num. XXXIII.

Detur igitur vel vnus auctor antiquior, æqualis vel ſuppar, qui ſimilem de Areopagita in Gallias miſ-

ſione hiſtoriam ſcripſerit, modò de illius ætate & ſcriptorum veritate iuxtà conſtet, atque de Gregorio, déque hiſtoria Saturnini, ſine vlla controuerſia cedemus. Quicquid aliàs alia de re in tali hiſtoria dubium, vel minùs exquiſitum narraretur. Pudet me aduerſariorum, qui facilem vindicandæ ſibi & mihi veritatis conditionem non accipiunt. Sibi, inquam, & mihi, quia, vt ait Auguſtinus, *Ego amo quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt.* Pudet me oblatæ conditionis, in qua duobus domeſticis ſcriptoribus, vel vnius domeſtici, immo & extranei præponderaret auctoritas.

Nunc eruditorum hominum conſeſſum appello, videat ille, iudicétque, vter noſtrûm funem trahat contentioſum? Egóne? an Milletus? vter veritatem ſincerius indaget? vter in aſſerendas traditiones religioſiùs incumbat? Hinc ad epinicia deuolat, inde ante victoriam triumphum canit, dum locis communibus veteres hiſtoricos inuadit, bouinatúrque, & quoſdam poſtea Carolo Magno recentiores in aciem producit. Quantò verò prudentiùs noſtri in aſſerenda contra mendaces veritate magiſtri aliter ſtatuerunt. *Quis*, inquiunt, *inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur?*

Veriſſimum eſt iſtud, ait aliquis, ſed cum Sirmondo ſi non diſputandum, certè litigandum fuit, ne Hilduini & monachorum Sancti Dionyſij fraudes detegantur; ne nouorum aſſeclarum fama & eruditio tentetur, ne vnus homo

ſupra totam fratrum familiam ſapiat, ne non minùs alicui ex Monaſteriis, quàm ex Societate deeſſe videatur eloquentia, ne appetito tantæ exiſtimationis ſcriptore ceteri quicquam audeant, ne Monaſterium ſuâ fidè poſſidens quod poſſidet, in rutuba verſetur. Quæ omnia quanti ſint ad conuoluendam veritatem ponderis, qui neſcit, nihil ſcit.

Menardus vt ſuum collegam tueatur, docet modum reiiciendi traditiones Eccleſiæ vel ſanctiſsimas.

VII. MENARDVS Milleti defenſor in cap. IV. Diatribæ, implet eiuſdem Milleti veſtigia, & oblatam de Gregorio Turonenſi, & de vetere paſſionis S. Saturnini auctore diſputandi conditionem reſpuit, ſcilicet vt ſi quid paſſionis auctor, & approbator errauerint, per alios auctores, qui rem meliùs nouerint, vetuſtiores, æquales, vel ſuppares emendentur. Nam *inſtar religionis eſt fidem de temporibus aſſerere*, vt Tertullianus præclarè docet. Menardus horum facit nihil in capite IV. quod paginis ſexdecim conſtat. Sed vt paſſionis illius teſtimonium à Gregorio productum & à me aliquantulum confirmatum eludat, inter alia præſtat tria.

Primùm ait, *Diſcuſſor exſcribendo Gregorij textum ſedulam eius in hac ſeptem Epiſcoporum hiſtoria operam iactitat. Sed non eſt mirum, ſi pauca dicens in quibuſdam rem acu attigerit.* Sunt ergo quædam quæ verè narrauerit, ſed quænam ſint illa, *quædam*, reticet, ne fortaſſis vel Gregorio nimium tribuat,

tribuat, vel gratia certò, ſed vagè tantùm habeatur.

Deindè ſubiicit: *Ego Gregorij laudi nihil detrahi volo, attamen pace illius dixerim, in his quæ de Imperio Decij ſcripſit, vix aliquid ſani dixit, atque idcirco quidquid de ſeptem illorum Epiſcoporum miſſione facta Decio & Grato Conſulibus memoriæ prodidit, non eſt adeò certum, vt veterem Eccleſiæ Gallicanæ traditionem extirpare valeat.* In his duobus Menardus ſecum pugnat. Gregorius de ſeptem Epiſcoporum miſſione locutus *in quibuſdam rem acu attigit.* Gregorius in his quæ de Imperio Decij ſcripſit, *vix aliquid ſani dixit, atque idcirco quidquid de ſeptem illorum Epiſcoporum miſſione facta Decio & Grato Conſulibus memoriæ prodidit, non eſt adeò certum.* Si in quibuſdam rem acu attigit, *quædam* illa ſunt certiſſima. Huc ſpectat prouerbialis hyperbole de re diligenter veſtigata, in qua quis nihil aberrat, deinde quibuſdam illis, in quibus rem acu attigit, nulla vera Gallicanæ Eccleſiæ traditio opponitur, cùm nec lumen lumini, nec verum vero repugnet. Tum ſi quædam illa in quibus rem acu attigit, ſint talia, vt iis vetus Gallicanæ Eccleſiæ opponatur traditio, in illis aberrauit Gregorius, nec rem acu attigiſſe dicendus eſt. Præterea vocat Gallicanæ Eccleſiæ traditionem, quæ non habet teſtimonium ſui Gregorio vetuſtius. Certæ quædam ſunt recentiorum adinuentiones, quibus glorioſum traditionis nomen perperam appingit. Videns hinc ſe ex aliis quorum Gregorium accerſit erroribus profecturum eſſe nihil, inde negotium hoc totum ex vetuſtiori auctore paſſionis S. Saturnini

pendere, eum exceptione hac reiicit: *Sed vrget aduerſarius; ſcriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur. quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur & tantùm in ore hominum verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is, qui ſcribit non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?* Sic tractat paſſionis S. Saturnini ſcriptorem, qui longè ante Gregorium hoc eſt ante annos mille & ducentos plùs minùs claruit.

Ad me quod attinet, ſi Menardus æqualem auctoris huius auctorem alium adferret, qui miſſum à Clemente Dionyſium ſcriberet, & ſcribere ſe non ex fideli recordatione, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama diceret, ego nihil contrà dicerem, libenter aſſentirer. Non imitarer Menardum, qui traditionibus patrum, ſiue quæ ad doctrinam, ſiue quæ ad ritus & mores Eccleſiæ pertineant, reiiciendi locum idoneum & expeditum comparauit.

Irenęus in libri III. contra hęreſes cap. III. veram fidem noſtram probat ex vnius & eiuſdem doctrinæ profeſſione, quæ in variis Eccleſiis per vniuerſum orbem conſtitutis firmiter traditur. *Nam etſi*, inquit, *in mundo loquelæ diſſimiles, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt & neque hæ quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ*

quæ in medio mundi ſunt conſtituta. Quis nunc hæreticus è ſchola Menardi politus non dicat de Irenæo: *Quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?* & cetera quæ aptari facilè poſſunt.

Tertullianus in libri contra Iudæos capite VII. ſcripturarum adducit teſtimonia, quibus gentes omnes in Chriſtum credituræ prædicuntur. Hæc autem ita vrget: *In quem enim alium vniuerſæ gentes crediderunt niſi in Chriſtum, qui iam venit? Cui & aliæ gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam & incolentes Pontum & Aſiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem inhabitantes, Romani & incolæ; tunc & in Hieruſalem Iudæi, & ceteræ gentes, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diuerſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Prouinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs poſſumus?* Quis modò Iudæus Menardi doctrinâ munitus non dicat de Tertulliano: *quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?* & cetera, quæ accommodari negotio huic facilè poſſunt.

Hieronymus in epiſtolâ LIV. ad Marcellam contra Montanum, *Nos vnam quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anni tempore nobis congruo ieiunamus.* Quis modò hæreticus Menardi loco tectus non dicat de Hierony-

Digitized by Google

mo? *Quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?* & cetera quæ ad quæſtionem iſtam commodè referret.

Porro vel nulla ſunt, vel certè pauca Patrum ſimilia teſtimonia quæ hac fuligine monaſtica non dealbarentur, dicam meliùs, deturparentur. Horreſco dum memoro, ſed notanda fuit ſcriptoris temeritas: primùm, quia res agebatur mea, deinde ne qui ſeorſum à nobis per religionem ſentiunt, impij, Iudæi, hæretici, Menardum, Monachos omnes huic conſentientes, & alios libri approbatores opponant impunè. Ego dum communi Menardi loco vtor, ad hominem diſputo, nec in auctorem reflecterem tam ſæpe, niſi ſuppeteret Patrum auctoritas, qui Ethnicos, Iudæos, Hæreticos ex propria ipſorum diſſerendi methodo coarguunt & refellunt.

De reliquo, ſi talis circumſcribatur diſputatio, in me recipio relatâ Menardi reſponſione ferè nihil ab homine, qui Chriſtianam religionem adhuc colit, ſcribi poſſe inconſideratius, nihil pernicioſius, nihil deteſtabilius, ſi quò vſque pertineat ſpectetur. Non tango hominem, qui librum quidem compoſuit, ſed ei nomen præfigere noluit: quare noluerit, ignoro. Deus ſcit, poſt illius mortem collegæ monachi Congregationis ſancti Mauri præfigendum curarunt, idque fortaſſis vt ex viri tanti nomine & fama maior libro conciliaretur auctoritas.

Nunc pergamus ad alia, quæ licèt ſine vllo de Dionyſio quæſtionis detrimento poſſint omitti, illa tamen cum Milleto tantiſper examinabimus.

Digitized by Google

CAPVT V.

Conſignata ſub Decio Trophimi Arelatenſis, Pauli Narbonenſis, & Martialis Lemouicenſis epocha propugnatur.

I. QVI duo ſcriptores ante annos pluſquam mille Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, & Martialem Lemouicenſem ſub Decio conſtituunt, eos Milletus errauiſſe contendit, nos contrà verum dixiſſe ſuſtinemus. Res igitur ex certis inueniendi aſſerendíque veri legibus ponderanda eſt. Qui Trophimum, Paulum & Martialem Decio conſignant; fuit inprimis auctor vetuſtiſſimus, Saturnini martyris æqualis, aut certè ſuppar, ſed qui æqualium traditione inſtructus, Saturnini vitam conſcripſit, ſicut ipſemet teſtatur apud Gregorium. *Ait enim*, inquit Gregorius, *ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur*, &c. Deinde Gregorius Turonenſis Gallicarum rerum peritiſſimus approbator acceſſit in Hiſtoriæ Francorum libro primo.

Ex his, quæ an verè ab illis auctoribus ſcripta ſint, in dubium minimè vocantur, hæc tria colligimus; vnum eſt, nullam inter Gallos de miſſis à Petro vel Paulo tribus illis Epiſcopis opinionem tunc fuiſſe, cùm primùm ab homine in Septimania degente, ni fallor, Saturnini vitæ hiſtoria ſcripta eſt. Quippe pugnant inter ſe, vt ille ex fideli recordatione, ſicuti loquitur, Trophimum,

Digitized by Google

Paulum & Martialem ſub Decio locarit, & alij paſſim in Gallia crediderint, aut ſcripſerint; miſſos à Petro vel Paulo Trophimum Arelate, Paulum Narbonam, & Martialem Lemouicam veniſſe.

Alterum, nullam pariter inter Gallos de legatis à Petro vel Paulo tribus illis Epiſcopis opinionem, aut etiam rumuſculum tunc fuiſſe, cùm Gregorius illud idem, quod alter, in Hiſtoria Francorum aſſeruit, & præcipuas illorum antiſtitum circunſtantias deſcripſit. Neque ſimile vero eſt, Gregorium id tam conſtanter affirmaſſe, quod alij plerique tunc negaſſent. Huic rei fidem faciunt, quæ de Saturnino Toloſatium, & de Eutropio Sanctonum Præſulibus ex incerta fama ſcripſit aliquando. Verùm hanc vulgi credulitatem tacitus reiecit in Hiſtoria, dum antiquiorem Aurelio martyrem refert neminem, & Septemuirorum miſſionem ſub Decio collocat, vt alibi monuimus. Adhæc in Arelatenſis & Lemouicenſis Eccleſiæ rebus verſatum ſe demonſtrat Gregorius, vbi hinc Geneſij Arelatenſis Martyris, inde Martialis Confeſſoris miracula poſteritati commiſit.

Tertium, ſi contra receptam de Trophimi, Pauli, & Martialis ætate fidem nonnihil attentaſſent hiſtorici noſtri, dubium vix vllum eſt, quin, vt aſſolet, Arelatenſium, Narbonenſium, Lemouicenſium, vel etiam Gallorum aliquis ſcribendo reclamaſſet. At ex veris ediſſeras tu; quis tunc reclamarit? quis illos violatæ in Gallia traditionis reos egerit? Quod ſi feceris, libenter cedimus, vt intelligas nos ſolo quærendæ veritatis affectu duci.

Digitized by Google

Hæc autem cùm ita ſeſe habeant, duobus noſtris auctoribus vt detrahatur fides, opponendi ſunt alij, qui rem meliùs nouerint, antiquiores videlicet, æquales, vel ſuppares.

Menardus in Diatribæ capite v. tria hæc diſſimulat, quæ apud candidos atque eruditos homines rem conficiunt. Sed modò diſputandi cauſa fingamus verum eſſe, quod de paſſionis S. Saturnini auctore dicit, cùm videlicet *non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama* paſſionem illam ſcripſiſſe. Hoc ita poſito, qui non tempore Gregorij, ſed longè ante Gregorium Saturnini paſſionem memoriæ tradidit, eam ex hominum ſermonibus & currente fama tradidit. Ante annos igitur mille ſermones hominum erant, & fama currebat Saturninum & ſocios ſub Decio Roma in Galliam aduenisse. Non à tribus opinor, aut quatuor diebus vel menſibus, ſed iam ab annis aliquot hominum ſermones erant, & currebat fama, cùm auctor paſſionis S. Saturnini ad opus ſeſe accinxit. Nunc reuerendus admodum Pater Generalis Superior, & Monachi Congregationis S. Mauri in Francia, qui Hugonis Menardi opera mirificè colunt, definiant tempus illud, & auctorem, qui non ex hominum ſermonibus & currente fama, ſed ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus prodiderit, Saturninum & ſocios omnes à Petro vel Clemente legatos eſſe in Galliam, ſimul opponant, ego & pedibus, & manibus, vt ita loquar, in Menardi ſententiam tranſibo.

Hæc autem duo, vel ſaltem alterum niſi ſince-

Digitized by Google

rè & fideliter præſtiterint, verè affirmatéque dicemus, inprimis monachos malâ nobiſcum fide agere, dum alias nobis, alias ſibi leges diſputandi conſtituunt, nec conditione pari tractare nolunt; deinde auctorem paſſionis S. Saturnini, quæ de huius & ſodalium epocha ſub Decio ſcripſit, rei geſtæ & traditioni primæ conuenienter ac rectè ſcripſiſſe; tum Gregorium Turonenſem errauiſſe nihil, ſed de veritate & Gallicana Eccleſia bene meritum eſſe, cùm paſſionis S. Saturnini fragmentum Hiſtoriæ Francorum inſeruit; poſtremò falſum eſſe, quidquid aliter poſt auctorem paſſionis S. Saturnini de tempore miſſionis ſeptem Epiſcoporum iactari cœpit, & tunc Tertulliani regulam, vt murum aheneum obiicimus: *Ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe dominicum & verum, quod ſit priùs traditum, id autem falſum & extraneum, quod ſit poſteriùs immiſſum.* vel *poſterior res noſtra non eſt, immo omnibus* (quæ dicit Menardus) *prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis vbique occupantis principatum.*

Ceterum quæ hîc ad hominem, id eſt ad Menardum & coniuratos Congregationis S. Mauri monachos diſputo, vſque mihi ſufficiunt, dum oblatam quærendæ & aſſerendæ per ſuas regulas veritatis conditionem impleuerint. Quare quæ ſcripturus ſum, poſtea non ad Diſſertationis meæ neceſſitatem vllam, ſed mantiſſæ loco ſcripturus ſum.

Digitized by Google

Refertur Epiſtola, quæ inter Cyprianicas eſt ſexageſima ſeptima, in editione Iacobi Pamelij.

CYPRIANVS STEPHANO FRATRI, Salutem.

FAVSTINVS *collega noſter Lugduni conſiſtens, frater cariſſime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio vtique nunciata tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiſcopis noſtris in eadem prouincia conſtitutis, quòd Marcianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſeſe coniunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate atque à corporis noſtri & ſacerdotij conſenſione diſceſſerit, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem; vt ſeruis Dei pœnitentibus & dolentibus, & Eccleſiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fouenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli proiiciantur. Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubuenire, frater cariſſime, qui diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne vltrà Marcianum peruicacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio*

Digitized by Google

noſtro inſultare patiantur, quòd necdum videatur à nobis abſtentus, qui iam pridem iactat & prædicat, quòd Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens à communicatione ſe noſtra ſegregauerit; cùm Nouatianus ipſe, quem ſequitur, olim abſtentus & hoſtis Eccleſiæ iudicatus ſit: Et cùm ad nos in Africam legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à concilio plurimorum ſacerdotum qui præſentes eramus ſententiam retulerit; ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrûm ſibi communicari, qui, Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei iudicio & Cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentauerit. Proinde ſi reſipiſcere, & ad ſanæ mentis conſilium redire vellet, ageret pœnitentiam & ad Eccleſiam ſupplex rediret. Quàm vanum eſt, frater cariſſime, vt Nouatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à ſacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de maieſtate ac dignitate Eccleſiæ iudicare. Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ: quibus abſtento Marciàno, alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contèmnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace; vel cæteris ſubueniatur qui ſuperſunt, & diebus ac noctibus ingemiſcunt, & diuinam ac paternam miſericordiam deprecantes, ſolatium noſtræ opitulationis expoſcunt. Idcirco enim, frater cariſſime, copioſum corpus eſt ſacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque vnitatis vinculo co-

pulatum, vt ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri, & quaſi paſtores vtiles & miſericordes oues Dominicas in gregem colligant. Quid enim ſi in mari portus aliquis munitionibus ſuis ruptis infeſtus & periculoſus eſſe nauibus cœperit, nonne nauigantes ad alios proximos portus naues ſuas dirigunt, vbi ſit tutus & ſalutaris introitus, & ſtatio ſecura? aut ſi in via ſtabulum aliquod obſideri & teneri à latronibus cœperit, vt quiſquis ingreſſus fuerit, inſidiantium illic infeſtatione capiatur; nonne commeantes, hac opinione comperta, ſtabula alia in itinere appetunt tutiora, vbi ſint fida hoſpitia & receptacula commeantibus tuta? Quod nunc eſſe apud nos debet, frater cariſſime, vt fratres noſtros, qui vitatis Marciani ſcopulis petunt Eccleſiæ portus ſalutares, ſuſcipiamus ad nos prompta & benigna humanitate, & ſtabulum commeantibus præbeamus tale, quale eſt in Euangelio, quo à latronibus ſauciati & vulnerati ſuſcipi & foueri, & tutari ab ſtabulario poſſint. Quæ eſt enim maior aut melior cura Præpoſitorum, quàm diligenti ſolicitudine & medela ſalubri fouendis & conſeruandis ouibus prouidere? cùm Dominus loquatur & dicat: Quod infirmatum eſt, non confortaſtis: & quod malè habuit, non corroboraſtis: & quod contribulatum eſt, non conſolati eſtis: & quod errauit, non reuocaſtis: & quod periit, non inquiſiſtis: & diſperſa ſunt oues meæ eò quòd non ſint paſtores, & factæ ſunt in comeſturam omnibus beſtiis agri, & non fuit qui inquireret, neque qui reuocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oues meas de manibus eorum, & auertam eos vt non paſcant oues

Digitized by Google

meas, & iam non paſcent eas, & extraham eas de ore eorum, & paſcam eas cum iudicio. Cùm ergo paſtoribus talibus per quos dominicæ oues negliguntur & pereunt, ſic Dominus comminetur; quid nos aliud facere oportet, frater cariſſime, quàm colligendis & reuocandis Chriſti ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapſorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam; quando & Dominus in Euangelio moneat & dicat: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus.* Nam etſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſiuit, colligere & fouere debemus; nec pati ſupplices & dolentes fratres noſtros crudeliter deſpici, & ſuperba quorundam præſumptione calcari. Cùm ſcriptum ſit: *Ille autem qui contumax eſt vir, ſui iactans, nihil omnino perficiet; qui dilatauit tanquam infernus animam ſuam*: & eiuſmodi homines Dominus in Euangelio ſuo culpet & damnet, dicens: *Vos eſtis qui iuſtificatis vos in conſpectu hominum, Deus autem dignoſcit corda veſtra, quoniam quod excelſum eſt in hominibus, execratio eſt in conſpectu Dei.* Execrabiles & deteſtabiles dicit eſſe, qui ſibi arroganter aſſumant. Ex quibus cùm Marcianus eſſe cœperit, & ſe Nouatiano coniungens, aduerſarius miſericordiæ & pietatis extiterit: ſententiam non dicat, ſed accipiat. nec ſic agat quaſi ipſe iudicauerit de collegio ſacerdotum, quando ipſe ſit ab vniuerſis ſacerdotibus iudicatus. Seruandus eſt enim anteceſſorum noſtrorum beatorum martyrum Cornelij & Lucij honor glorioſus; quorum memoriam cùm nos honoremus, multo magis tu, frater cariſſime, honorificare & ſeruare grauitate & auctoritate tua

Digitized by Google

debes, qui vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt, & pœnitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non eſſe litteris ſuis ſignauerunt, quam rem omnes omninò vbique cenſuimus. Neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diuerſus, in quibus vnus eſſet Spiritus: & ideo manifeſtum eſt eum Spiritus ſancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diuerſa ſentire. Significa planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, vt ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

Oppoſita auctori paſsionis S. Saturnini, & Gregorio epiſtola hæc νοθείας accuſatur.

II. HANC epiſtolam Cypriani non eſſe, ſed alterius, qui longo pòſt tempore floruit, pluribus doceri poteſt argumentis. Primum eſt, quòd in multis, quibus Cypriani epiſtolæ continentur, manuſcriptis optimæ notæ codicibus non extet: vnus eſt in Bibliotheca Thuana vetuſtiſſimus, alter in Regia, tertius in Victorina, quartus in noſtra Nauarrica, quintùs in monaſterio Sancti Remigij Remenſis, ſextus in Bibliotheca Fuxenſis Collegij, ſeptimus Beneuentanus dictus, Vaticani plures; quibus Nicolaus Rigaltius in ſuis ad hanc epiſtolam notis codices opponit tres, Veronenſem, Corbeienſem, Cambronenſem, & impreſſum veterem. Quapropter ſi multitudo codicum qui tam variis in locis extant, paucita-

Digitized by Google

ti præferri debet, epiſtola indicabitur adſcititia. & certè mirum eſſet, cur epiſtola tam ponderoſa in tot & tantis Cypriani exemplaribus deſideraretur. quidquid in cauſa, quòd in nullis qui Cypriani ſint codicibus extare debeat, comprobatur.

MENARDI RESPONSIO.

Hæc nihil faciunt, ſi propterea reiicienda eſſet hæc epiſtola, ſequeretur multas alias einſdem Patris epiſtolas εἰς κυνόσαργες ablegandas, cùm rari codices MSS. reperiantur, in quibus ſimul omnes ſcriptæ ſunt. Eraſmus in diſcernendis legitimis auctorum operibus rigidus cenſor nunquam eam, ex numero epiſtolarum S. Cypriani delendam cenſuit. Præterea ſapit omnino ſtilum Cypriani & moribus ac legibus, quæ tum in Eccleſia vigebant, ſine controuerſia congruit.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Concedo quidem raros eſſe MSS. codices, in quibus Cypriani epiſt. ſimul omnes ſcriptæ ſint, ſed pernego reperiri tot codices, in quibus ponderoſior vel æquè ponderoſa epiſtola deſideretur. & hoc ipſum quod maximi ducimus, tandiu vrgebimus, donec adferantur antiqui & bona notæ codices, qui vnam vel alteram è ponderoſioribus epiſtolis non repræſentent. Eraſmus epiſtolam habuit pro legitima, ſed eius iudicio non ſtamus. illique recentiores magni nominis criticos duos, qui noſtram ſequuntur ſententiam opponere poſſemus. ſed nihil neceſſe eſt. Ad ſtilum quod attinet, is ab auctore nonnihil affectatus eſt. ſed hoc tangetur in vltima ratione. Quinam verò ſint mores & leges Eccleſiæ de quibus agit non ſatis explicat, & cùm non ſatis explicet,

perinde eſt ſi nihil diceret.

Secundum, quòd ſcriptorum veterum nemo meminerit huius hiſtoriæ, quæ cùm ex epiſtola ſic ſe habeat, omnibus notiſſima eſſe debuit. Marcianus Arelatenſium Epiſcopus Nouatiano Romæ contra Stephanum ſedenti coniungitur, & Chriſtiani complures à Marciano Nouatianorum dogmatibus imbuti ſine pace excedunt. Marcianus à Fauſtino Lugdunenſi, & aliis Galliæ Epiſcopis deponendus iudicatur. Hi ea ſuper re ad Stephanum ſemel atque iterum ſcribunt, tum nihil conſecuti Cyprianum rogant per literas vt cunctantem Stephanum excitet, & ad ſuccurrendum Eccleſiæ laboranti vehementiùs impellat. Huius, inquam, hiſtoriæ nemo meminerit hiſtoricorum Latinorum, aut Græcorum; non quidem inter Latinos Seuerus, qui centum quinquaginta circiter annos poſt Cyprianum & Stephanum ſcripſit; non Paulus Oroſius, qui eodem tempore hiſtoriam contexuit ampliſſimam; non Gregorius Turonenſis, qui Chriſtianæ apud Gallos religionis exordia, réſque memoratu dignas ſummo ſtudio proſecutus eſt; non Ado Viennenſis; non Freculphus Lexouienſis in Chronico; non illi omnes, quos ante Carolum Magnum Gallicanæ, ſeu etiam Latinæ hiſtoriæ monimenta reuoluiſſe comperimus. Non verò inter Græcos Euſebius, qui tamen Lugdunenſes Martyres, & habitas ab Irenæo in cauſa Paſchatis Synodos recenſet. Non Socrates, non Sozomenus, qui duo, quæ ad Nouatianorum initium, diſciplinam, ſucceſſionem, multiplicem propagationem, immò & ſingularem commendatio-

Digitized by Google

nem pertinent, diligentiſſimè notarunt. At totam illam Marciani hiſtoriam, & abdicationem, quæ prima intra Galliam, eáque inter Italos, Africanos & Gallos celebris facta fuiſſet, tot hiſtoricos, tótque veteres ex toto orbe ſcriptores fugiſſe, quis credat vnquam? Hoc vnico ratiocinij genere auctores omnes eruditi paſſim vtuntur, dum pleraque veterum ſcripta excutiunt, quæ ceteroqui multò minùs, vt apparet, nota fuerunt.

MENARDI RESPONSIO.

11. *Opponit, quòd nemo veterum Latinorum & Græcorum meminit communionis Marciani cum Nouatiano, eiúſque depoſitionis. Inter Latinos, non Seuerus, non Oroſius, qui hiſtoriam contexuit ampliſſimam, non Gregorius Turonenſis, qui Chriſtianæ apud Gallos religionis exordia, réſque memoratu dignas ſummo ſtudio proſecutus eſt, non Ado Viennenſis, non Freculfus in Chronico, non alij, qui ante Carolum Magnum vixerunt. Non verò inter Græcos Euſebius, non Socrates, non Sozomenus. Ita bellè argumentatur aduerſarius. Non ſcripſit Seuerus de Marciano, verum eſt. ergo reiicienda epiſtola, neutiquam: qui enim ſcriberet Seuerus de Marciano, qui res geſtas primorum Chriſtianorum ita breuiter perſtrinxit, vt ne vnum quidem Epiſcopum, ſeu martyrem præter Petrum & Paulum nominarit? Sanè malè ageretur nobiſcum Gallis, ſi Epiſcopos & Martyres noſtros ex hiſtoria Seueri vindicare teneremur. Non ſcripſit Oroſius, qui hiſtoriam contexuit ampliſſimam. Verum eſt eum hiſtoriam contexuiſſe ampliſſimam, ſed non in illis, quæ ad primos illos Chriſtianos ſpectant, vt palam fit ex iis, quæ ab Nerone ad Diocletianum vſque poſteritati conſignauit.*

Digitized by Google

gnauit. vnde non mirum eſt, ſi de noſtro Marciano tacuerit, quemadmodum & Freculfus, qui nihil de primis illis Galliarum Epiſc. dixit, vnius Philippi Apoſtoli, quem in Galliis prædicaſſe affirmat, mentione facta. Idem de Gregorio Turonenſi dicendum eſt, qui libro 1. Hiſt. de paucis quibuſdam primis illis martyribus & Epiſcopis ſcripſit Gallicanis, & de quorundam miraculis in libris miraculorum, ac de temporum illorum inter Epiſcopos controuerſiis nihil poſteritati mandauit. Si daret aduerſarius aliquem auctorem, qui ſaltem paulo ſupra ætatem Caroli Magni hiſtoriam Gallicanam Eccleſiaſticam enucleatiùs perſecutus fuiſſet, aliquem ſanè colorem argumento ſuo tribueret. Idem de Euſebio reſpondemus, qui pauca de Gallia ſcripſit. Si plura Socrates & Sozomenus de Nouatianis ſcripſerunt, non ea tamen, quæ Cypriani tempore contigerunt, exceptis paucis, idque obiter atque explicationis gratia. & falſum eſt hoc unico ratiocinij genere paſſim omnes eruditos ſcriptores vti, provt videlicet à diſcuſſore tractatur. Sed ſi repudianda eſt hac S. Cypriani epiſtola, quia Euſebius nihil in Hiſtoria Eccleſiaſtica de Marciano ſcripſit, ſanè plures aliæ eiuſdem Sancti Patris eſſent expungendæ, quæ memorabiliora vnius Epiſcopi cum ſchiſmaticis communione & regradatione complectuntur, quæ tamen vel primoribus labris nunquam Euſebium attigiſſe conſtat. Quot S. Auguſtini & aliorum eſſent repudiandæ epiſtolæ multæ & ea memoratu digna tractantes, de quibus hiſtorici poſteriores ſiluerunt? Videat lector, an ex eruditorum conſuetudine, vt ipſe venditat, aduerſarius argumentetur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Menardus argumentum meum quò diluat fa-

ciliùs, permultis illud partibus elumbat. Deinde quia in hoc argumentationis genere, quæ non proſunt ſingula, multa iuuant, & hoc ipſum egregiè diſſimulat: tum nihil opponit, quo vel epiſtolam vel res in epiſtola ſcriptas aſſerat. Ex his autem tribus ſi ea bene conſiderentur, argumentum meum euadit efficacius, tantùm abeſt, vt eneruetur. Sed ad Menardi reſponſionem aggredimur.

1. Marciani hiſtoriam cum adiunctis ſuis omnibus non exhibuit, quæ ſi conſtaret, toti vt minimum Occidenti notiſſima eſſe debuit, quippe iudices & ſpectatores habuit Gallos, Romanos, Afros, & in Gallia Synodum ampliſſimam, quæ & auctorum ſuorum commentariis & Cypriani Epiſtolis prodita in Orientem ſine dubio penetraſſet: eo magis, quòd prima intra Gallias Epiſcopi depoſitio foret, atque eius Epiſcopi, qui Nouatiani Romæ contra Stephanum ſedentis & abdicati communionem ſequeretur & dogma nefariè prædicaret. Quibus ſuppreſſis, me ita diſputantem facit: *Non ſcripſit Seuerus de Marciano, verum eſt, ergo reiicienda eſt Epiſtola.* Deinde adiicit, *Seuerum res geſtas primorum Chriſtianorum ita breuiter perſtrinxiſſe, vt ne vnum quidem Epiſcopum ſeu martyrem præter Petrum & Paulum nominarit.* Nonne ſub Hadriano nominat Marcum, qui primus ex gentibus apud Hieroſolymam Epiſcopus fuit? Nonne ſub Seuero nominat Leonidam Origenis patrem, qui ſacrum in martyrio ſanguinem fudit? Nonne perſecutiones ſingulas nominat, in quibus Epiſcopi, Clerici, Laïci patiebantur? Nunc videat lector, qua

Digitized by Google

mècum, & cum Sulpitio Seuero ſinceritate agat.

II. Dicit Oroſium, Gregorium & Freculfum pauca de rebus ad primos Chriſtianos ſpectantibus ſcripſiſſe; ſed inter illa, nihil de Marciani hiſtoria, quæ ſi credatur epiſtolæ, Gallorum, Afrorum & Romanorum curas, & ſtudia occupauit incredibiliter, & qua nihil tunc in illis regionibus contigit memorabilius, ſi contigiſſet. Hic de Gregorij libris locutus furtim præteriit, eundem Gregorium Nouatiani ſic meminiſſe in libri I. Hiſt. capite XXVIII. *Valentinianus & Nouatianus maximi tunc hæreticorum principes contra fidem noſtram inimico impellente graſſantur.* èn præſens occaſio loquendi de tota Marciani hiſtoria, quæ ſi vera eſſet, Gregorio non minùs, quàm Nouatiani hæreſis innotuiſſet, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd ibi de Trophimo Arelatenſi Epiſcopo loquatur. Adde quòd vt Lugdunenſium martyrum hiſtoria peruenit ad Gregorium, ſic & Lugdunenſis Synodi ad deponendum Marcianum coactæ geſta perueniſſent ad Gregorium, ſi quæ vnquam fuiſſet coacta.

III. De Adone ſilet nihil habens, quod mihi hac in parte reponeret. quo tempore lucubrauit Chronicum, neque Viennæ, neque Lugduni, neque Arelate, neque in Prouincia ea de Marciano vulgata erant, quæ in Epiſtola produntur; tantùm abeſt, vt illa per antiquam Eccleſiarum regionis illius traditionem ad noſtrum hiſtoricum perueniſſent.

IV. Ab argumento, quod præbet Euſebius, hæc detraxit: *Qui tamen Lugdunenſes martyres, &*

habitas ab Irenæo in cauſa Paſchatis Synodos recenſet, ex his autem verbis ratio mea plurimùm confirmatur. Qui enim factas à paucioribus Epiſcopis Synodos & ab ætate ſua remotiores notauit, maiores & ætati ſuæ viciniores omittere vix potuit, edoctus etiam ab iis, qui vulgatum miſſis ſæpius ex Gallia Romam & Carthaginem, & Carthagine Romam literis negotium viderant, aut certiſſimè audierant. Quinetiam cùm ex Chronico ſe Cypriani ad Lucium & Stephanum epiſtolas legiſſe teſtetur, ſuo de Gallicana Synodo, & de tota Marciani hiſtoria ſilentio prodit ſe nullam illius de Marciano Arelatenſi epiſtolam vidiſſe; quia nulla tunc erat, quæ videretur. Nam vidiſſe nec animaduertiſſe rem, quæ ad Eccleſiaſticam hiſtoriam maximè pertinet, credibile non eſt. Sic autem loquitur in Chronico: *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus* XXI. *Lucius menſes* VIII. *póſtque* XXII. *Stephanus annos* III. *extant ad vtrumque Cypriani epiſtolæ*. De Nouato paullò antè ſcripſerat: *Nouatus preſbyter Cypriani Romam veniens Nouatianum & ceteros confeſſores ſibi ſociat, eo quòd Cornelius pœnitentes Apoſtatas recepiſſet*. Deinde in libri VI. Hiſt. capite XXXV. de Nouato & eius hæreſi multa ſcribit, notátque Synodos, Italicas & Africanas, quibus dogma illius perculſum eſt. Sed Gallicanarum non meminit, etiamſi Cypriani epiſtolas ita citet: *Aliæ item extant epiſtolæ à Cypriano & aliis Epiſcopis, qui cum eo in Africa in eum errorem inquiſiuerunt*. Secundùm hæc omnia quis prudens & attentus crederet Cyprianum, eam de Marciano ſcripſiſſe epiſtolam, quæ nunc inter editas illius epiſtolas inueni-

Digitized by Google

tur. illam obruit Euſebij ſilentium, quod circunſtantiis illis communitum diſertiſſimè loquitur, & ſuppoſitionem arguit.

v. Diſſimulat, quæ, vt ad rem vehementer ſpectantia, de Socrate & Sozomeno obſeruaueram. *Qui duo*, inquiebam, *quæ ad Nouatianorum initium, diſciplinam, ſucceſſionem, multiplicem propagationem pertinent, diligentiſſimè tradiderunt.* quin autem ad Nouatianorum commendationem plurimùm valuiſſet animaduertere in Gallia fuiſſe magnæ auctoritatis Epiſcopum, qui ſublato vexillo partes illorum tueretur, dubitaturum credo neminem. Menardus ait Socratem & Sozomenum pauca ſcripſiſſe, quæ Cypriani tempore contigerint; quid inde? Scripſiſſent plura, ſi talis eſſet Marciani hiſtoria, qualem controuerſa Cypriani Epiſtola repræſentat.

vi. Argumenti conglobationem diſſimulat, quæ ita ſub finem exprimitur: *At totam illam Marciani hiſtoriam & abdicationem, quæ prima intra Galliam, eáque inter Gallos, Africanos & Italos celebris fuiſſet reddita, tot hiſtoricos, tótque ex orbe toto ſcriptores fugiſſe quis credet vnquam?* Fugit, inquit Rigaltius, Baſilidis & Martialis Epiſcoporum cauſa, de qua Cyprianus in Epiſtola LXVIII. ſermonem inſtituit. Fugit quidem, ſed non eſt æquè memorabilis, & præterea communis cum libellaticis & lapſis, quorum pleni ſunt omnes libri. Ad extremum, codices manuſcripti omnes bonæ notæ Epiſtolam illam LXVIII. habent, nec certè vir clariſſimus codicem vllum memorat, in quo deſideretur.

Ceterum, qui hanc Epiſt. LXVII. pro vera & certa

tenent, obſeruant eam vehementer commendare Romani Pontificis auctoritatem, qua Epiſcopos iuſta de cauſa per prouincias abſtinet, deponit, & alios in eorum locum ſubſtituit. Sed antiqui Pontifices, qui nihil omnino prætermiſerint, vt ſuam illam auctoritatem probarent & aſſererent, exemplum de Epiſtola Cypriani, de Marciano Arelatenſi nullum ſumpſerunt. Iulius, qui anno poſt Stephanum LXXVII. Romanam Eccleſiam adminiſtrare cœpit, atque inde Stephani geſta noſſe facilè poterat, in epiſtola ad Orientales ſuam quantâ poteſt diligentiâ auctoritatem confirmat, nec Cypriani Epiſtolam, nec abſtentum & depoſitum à Stephano Marcianum Arelatenſem opponit.

Gelaſius cùm in aliis epiſtolis, tum maximè in quarta, quæ eſt Fauſti legati commonitorium, damnatos & abdicatos à Romano Pontifice Epiſcopos recenſet ſtudioſiſſimè, ne verbo quidem vel Epiſtolam Cypriani, vel Marcianum attingit.

Nicolaus I. in epiſtola VIII. quam ad Michaëlem Imperatorem ſcribit, Gelaſij veſtigia relegit, & neceſſitate quadam compulſus auctoritatem ſedis ſuæ vindicat. In hunc finem congerit Synodorum canones, maiorum decreta, traditiones, auctoritates Patrum, depoſitiones Epiſcoporum; ſed inter hæc omnia, nec Cypriani Epiſtola, nec Marciani abdicatio comparet, etiamſi Pontifex Arelatenſis Eccleſiæ mentionem iniecerit. Cypriano ſubiecta nondum erat Epiſtola, & fortè circa illud tempus ſubiecta eſt, vt viri tanti teſtimonio veritas, quæ alioqui

Digitized by Google

non eget hominis mendaciis, confirmaretur. Hæc noua obſeruatio ad præcedentia rationum momenta vt cumulus accedit.

VII. Quòd Menardus non probet illud inficialis argumenti genus, quo vnico, id eſt, ſingulari & præcipuo in excernendis veterum commentariis eruditos omnes vti dixi, non ingratum haberem, ſi expoſuiſſet rectiùs, nec contra ſe dixiſſet. Nam in capite IV. Diatribæ in parergis ſuis nomina tria, quibus Gregorius Turonenſis, & Vſuardus ſancti Babylæ collegas appellant, vt apocrypha reiicit, quòd illa Chryſoſtomus, Theodoretus, & Philoſtorgius non exprimant, vbi trium puerorum cum Babyla celebratorum meminere. Ariſtidis quoque librum, quo Vſuardus, Romanum vetus Martyrologium & Ado, Areopagitam V. Nonas Octobris paſſum eſſe comprobant, ex eo ſuſpectum habet, quòd nec Euſebius, nec Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, nec Metaphraſtes, nec Græci recentiores alij librum Ariſtidis pro Areopagitæ martyrio laudarint. Scilicet Monachus ex priuilegio diſputat, quod à clerico nefas eſt vſurpari, à quo priuilegium tam vitioſum non vſurpatur. Etenim Græcos ac Latinos auctores omnes, qui ante Carolum Magnum vixerunt, appellaui, & ſic generalem ac perfectam diſputandi methodum complexus ſum. Monachus contrà Græcos nominauit tantùm, atque ita ſpecialem & imperfectam differendi rationem inſtituit, & ſe in contradictionis laqueum induxit.

Tertium, quòd ſi Nouatiani dogma tam latè propagatum ſit inter Arelatenſes, quemadmo-

dum propagatum eſſe docet Epiſtola, cur in Concilio Arelatenſi, quod LXIII. poſt Stephanum anno coactum fuit, non eſt conditus aliquis canon contra Nouatianos, qui nondum omnes, opinor, erant extincti, cùm vt malorum graminum, ſic & falſorum dogmatum vberrima ſeges, & difficillima extirpatio eſſe conſueuerit; immò, qui non faciliùs in Gallia periiſſent, quàm Romæ, vbi tandiù durarunt? Oblatam condendi canonis occaſionem nemo negabit, cùm ex loco, & re ipſa, quæ palam loquitur, tum ex hoc canone XXII.

De his, qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, ne quidem agere pœnitentiam quærunt, & poſtea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

MENARDI RESPONSIO.

Tertiò obiicit, quòd ſi Nouatianum dogma tam latè propagatum erat inter Arelatenſes, cur in Concilio Arelatenſi, quod ſexageſimo tertio poſt Stephanum anno coactum fuit, non eſt aliquis conditus canon aduerſus Nouatianos? Dico primò non conſtare ex epiſtola tot fuiſſe Nouatianos Arelate. II. *Si ex eo quòd in Concilio Arelatenſi nullus eſt conditus canon aduerſus Nouatianos, ſequeretur nullos fuiſſe Arelate eiuſmodi ſchiſmaticos, dicendum etiam eſſet nullos tum fuiſſe in Eccleſia Nouatianos, quia Concilium hoc prouinciale non erat, ſed plenarium, in quo non vnius prouinciæ affuerunt Epiſcopi, ſed multarum, congregatum præſertim aduerſus Donatiſtas, in quo ſi aliquis canon fuiſſet aduerſus Nouatianos*

Digitized by Google

condendus, non ſolius Arelatenſis Eccleſiæ, ſed multarum aliarum gratiâ, quæ hac ſchiſmaticâ lue funeſtatæ erant, ſtatuendus erat.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Argumentum meum in pauca contrahit, vt ſic eleuato illius robore, quidquid reſpondet aliquo colore fucetur. Oblatam condendi Arelate canonis occaſionem præterit, quo Marcianus Nouatiani fautor & defenſor percelleretur, hæc autem occaſio conſtat ex canone XXII. quem retuli. Cur quæſo occaſione datâ Concilium Arelatenſe primum non feciſſet id, quod Arelatenſe ſecundum anno CCCCLII. fecit canone IX. *Nouatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuſcepta pœnitentia credulitate præteritum damnet errorem.* Sed reſpondet primò non conſtare ex epiſtola multos fuiſſe Nouatianos Arelate. quò igitur ſpectant hæc verba? *Dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ quibus abſtento Marciano, alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace.*

Quæ in ſecunda reſponſione dicit non admodum capio, capiat qui capere poterit, & ad Conciliorum omnium canones aptare, & certè neſcio num auctor fucum faciat, aut patiatur. Nam in ipſis Conciliis generalibus non ſolùm vniuerſalia, ſed etiam particularia nonnunquam tractantur. Vnde in Arelatenſi Concilio, quod Occidentis generale habetur, fuiſſet vtiliſſimum, Nouatiani dogma, Marcianum & eius ſectario-

Digitized by Google

rum audaciam retundi, vt qui primùm in Italia Eccleſiaſticæ auctoritatis mucronem ſenſerant, eundem poſtea, à totius Occidentis Concilio diſtrictum in Gallia ſentirent. Profectò ſi Concilij huius epiſtolam ad Silueſtrum, & canones legiſſet, quæ ſecundo loco reſpondet minimè reſponderet. Sic autem Concilium ad Papam ſcribit. *Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater cariſſime, ad quæ fueramus inuitati, ſed & conſulendum nobiſmet ipſis conſuluimus, & quàm diuerſæ ſint prouinciæ, ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſeruare debere.* Hinc canon I. Arelatenſis Concilij ad Romanum Pontificem ſolum pertinet, canon XVIII. ad Diaconos vrbis Romæ, canon VIII. ad Afros. Canon VI. & VII. Nicæni Concilij ad omnes Eccleſias non pertinet, & tamen editus eſt à Concilio, quod omnes Eccleſias referebat. Menardus igitur infirmâ & inutili reſponſione noſtrum argumentum confirmauit.

Quartum, quòd auctor Epiſtolæ id ſuadeat fieri, quod aſſertæ à Cypriano in iudicandis Epiſcopis diſciplinæ repugnat. Nempe, vt Stephanus Marcianum abſtineat, & in illius abſtenti locum, alius ab eodem, vt ſatis apparet, Stephano ſubſtituatur: *Dirigantur*, inquit, *in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur.* Hæc autem abdicandi Marciani ratio contraria eſt Cypriano ſic epiſtola LV. ſcribenti: *Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit, ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt admiſſum crimen.* Quod diſciplinæ genus etiam

olim obſeruarunt Gallicani Præſules, cùm ad annum CCCLXII. in Concilio Pariſienſi Saturninum Arelatenſem depoſuerunt. Cur ergo Fauſtinus & alij collegæ ad Stephanum & Cyprianum toties ſcripſiſſent, vt id exequerentur, quod ſine eorum opera poterant exequi, atque eò faciliùs, quò Marcianus *ſententiâ* damnati nuper in Concilio Nouatiani *conuincitur adſtringi, & in ipſius pœnam meritò recidiſſe, cuius elegerat conſortium, ſicut in ceteris hæreſibus facta ſemel Synodus abiecti cuiuſlibet erroris cunctos ſequaces conſequenter inuoluit.* Vt ait Felix III.

MENARDI RESPONSIO.

Quartò impugnat Epiſtolam diſcuſſor, quòd auctor epiſtolæ id ſuadeat fieri, quòd aſſertæ à Cypriano in iudicandis Epiſcopis diſciplinæ repugnat, atque in hanc rem profert textum S. Cypriani epiſt. LV. *Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt admiſſum crimen. Reſpondeo ibi agi de Feliciſſimo, Fortunato, & aliis hæreticis, ac ſchiſmaticis Africæ, qui ab eiuſdem regionis Epiſcopis damnati circumcurſabant maria, terras obibant, & Epiſcoporum vnionem ſcindere moliebantur, & Cyprianum aliòſque Epiſcopos apud Sedem Apoſtolicam conuiciis proſcindebant, ſuáque crimina, ob quæ condemnati erant, negabant, ſuámque innocentiam prædicabant. At Marciani crimen erat manifeſtum, in quo ipſe peruicax erat. Itaque non indigebat accuſatoribus & teſtibus, ſed id vnum ſuperabat, vt ſuperbus & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicus, qui Epiſcoporum collegio inſultabat, à Romano Pontifice, tanquam ab Eccleſiarum principe*

Digitized by Google

damnaretur, quò eius audacia comprimeretur. Nec tum erat inauditum iudicari Epiſcopos à Sede Apoſtolica, maximè ſi eſſet ad eam prouocatio, vt ſequenti epiſtola S. Cypriani clarum eſt de Baſilide in Hiſpania Epiſcopo libellatico, & propterea depoſito, qui appellans Papam, eúmque decipiens Sedi ſuæ ab eo reſtituitur, nec proinde damnat Cyprianus Papam, quaſi poteſtatis ſuæ metas & limites exceſſerit, ſed ipſum prouocantem Baſilidem, qui Papam deceperit, cuius hæc poteſtas à Concilio plenario Sardicenſi confirmatur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Menardus, vt apparet, priorem argumenti partem mutilat, & poſteriorem reſcindit totam, quæ priorem validiſſimè confirmat. Hic agendi modus viro bono & homine cordato indignus eſt, & meum inſuper argumentum reddit inuictum. Quæſtionem de appellationibus ad Romanum Epiſcopum perinde tractat, quaſi Marcianus à Gallicanis Epiſcopis depoſitus, ad Stephanum prouocaſſet, quo nihil fingi poteſt inſulſius vel abſurdius. Sed de Baſilide ad Papam prouocante, de appellationibus, & de Sardicenſi Concilio dicendum aliquid fuit, quod lectores incautos circumueniret. Non hîc agitur de Marciani prouocatione ad Stephanum, cuius propter Nouatianum inimicus erat. Sed de prima illius damnatione, cui Gallicana Synodus, ſine Stephano vel Cypriano vacare poterat, eóque magis, quòd Marcianus in damnati nuper à Romano Concilio Nouatiani ſententiam incurrerat. Si ex Cypriani ſcriptis reſpondendum fuit aliquid, id ſanè, quod pari cauſæ faueret, non

Digitized by Google

quod extra oleas ferretur. Nos cum Cypriano loquimur de iudicio, quod de ſacerdotibus primùm habetur, non de eo, quod appellatione factâ denuò inſtauratur. Cyprianus igitur ex Eccleſiæ ſuæ diſciplina non ad Stephanum, ſed ad Fauſtinum & collegas ſcripſiſſet, vt Marcianum abdicarent ipſi, aliúmque in locum eius ſufficerent: id feciſſet, quod fecit in epiſtola LXVIII. quâ ad Hiſpanos reſcribens de Baſilide & Martiali, qui ad Epiſcopatum de quo deiecti propter manifeſta crimina fuerant, cùm eſſent reſtituti à Stephano Papa, fraude & obreptione reſtitutos fuiſſe iudicauit.

Ceterum quod diſciplinæ genus Felicis Papæ III. auctoritate confirmauimus, id iterum perpetuâ confirmamus traditione, cuius teſtis eſt Gelaſius in epiſtola IV. ad Fauſtum: *Euphemium*, inquit, *miror ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit, qui dicit Acacium ab vno non potuiſſe damnari. Itane non perſpicit, ſecundùm formam Synodi Calchedonenſis Acacium fuiſſe damnatum, nec nouit eam, aut ſe noſſe diſſimulat, in qua vtique per numeroſam ſententiam ſacerdotum erroris huius auctores conſtat fuiſſe damnatos: ſicut in vnaquaque hæreſi à principio Chriſtianæ religionis & factum fuiſſe, & fieri manifeſtâ rerum ratione monſtratur, deceſſorémque meum executorémque fuiſſe veteris conſtituti, non nouæ conſtitutionis auctorem? Quod non ſolùm Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed cuicunque Pontifici, vt quoſlibet & quemlibet locum ſecundùm regulam hæreſeos ipſius antè damnatæ à Catholica communione diſcernant. Acacius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua ſci-*

ta prodirent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Quibus profectò nihil dici poteſt ad inſtitutum accommodatius. Nam ſi vera eſſet Cypriani Epiſtola, id à principio Chriſtianæ religionis non eſt factum ſemper, quod rerum Eccleſiaſticarum ſcientiſſimus Pontifex ſcribit. Enimuero data Epiſtolæ veritate Euphemius, & ſuam ſcientiam legitimè probare; & Gelaſio ignorantiam exprobrare potuiſſet, ac proinde Acacium Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopum ab vno malè damnatum eſſe, cùm Marcianum longè inferioris ciuitatis Epiſcopum, qui Nouatiani Romæ in Synodo damnati conſortium elegerat, non vnus Epiſcopus, ſed nec ipſa Galliæ Synodus damnaſſet, vel damnare eſſet auſa. Hæc autem omnino cauſæ ſeruiunt, non Baſilidis factum quod Menardus non ſatis conſideratè proponit his verbis: *Nec tum erat inauditum iudicari Epiſcopos à ſede Apoſtolica*, &c. ſiue quia Baſilidis & Martialis depoſitio eodem tempore in Hiſpania, quo Marciani in Gallia contigiſſet, ſiue quia ex ipſa Cypriani Epiſtola LXVIII. diſcimus, Romani Pontificis iudicium à Carthaginienſi retractari. Hiſpani Epiſcopi Baſilidem & Martialem propter comperta crimina è ſacerdotio deturbant, Baſilides & Martialis confugiunt ad Stephanum, qui ablatam illis dignitatem reſtituit. Hiſpani verò confugiunt ad Cyprianum, qui Baſilidem & Martialem iuſtè depoſitos, nec illis reſtituendum eſſe Epiſcopatum ſtatuit, & retinendos, qui in illorum locum ſuffecti fuerant. ſic autem ſcribit in illa Epiſtola Cyprianus: *Cùm autem in vnum conueniſſemus, legimus li-*

Digitized by Google

teras veſtras, fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Epiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes Baſilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere & ſacerdotium Dei adminiſtrare non oportere, & deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis & iuſtam pariter ac neceſſariam ſollicitudinem veſtram, vel ſolatio, vel auxilio noſtræ ſententiæ ſubleuari. Sed enim deſiderio huic veſtro non tam noſtra conſilia, quàm diuina præcepta reſpondent, quibus cùm ex veteri, tum ex nouo fœdere allatis ſubiicit: *Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum, qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur. Nec reſcindere ordinationem iure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, vt exambiret reponi ſe iniuſtè in Epiſcopatum, de quo iuſtè fuerat depoſitus. Nec enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Sic Pontificem Roman. & illius factum excuſat. Ad eam, quam tractamus cauſam, quid magis ἀπροσδιόνυσον? Quid alienius, niſi hocce modo Menardus rem ſuam prodere, & meam adiuuare voluerit?

Quintum, quòd conſcribendæ Epiſtolæ tempus nec Cypriano, nec Fauſtini, ſi tamen iſte

fuit vnquam, conſilio ſuffragetur. Hoc ita planum facio. Fauſtinus de Marciano ad Stephanum ſcribit: Stephanus Fauſtino non ſatisfacit, ſiue reſcripſerit ad Fauſtinum Stephanus, ſiue non. At iſtud anno Stephani primo expediri non potuit citiùs, etiamſi pacem in Eccleſia Dei conſtitutam ſupponas. Deinde Fauſtinus, cui, vt apparet, non fuerat ab Stephano factum ſatis, ad Cyprianum ea ſuper re ſcribit ſemel atque iterum, nec iterum ſcripſiſſet, niſi poſtquam vidiſſet prioribus ſe literis nihil conſecutum eſſe. Vt demus interim Fauſtinum ſemel duntaxat ſcripſiſſe ad Stephanum, quem multò ſatius fuit ſecundis literis compellare, quàm Cyprianum. At iſta omnia vt minimùm inciderunt in annum Stephani ſecundum, quo omnes collatum ab hæreticis baptiſma reiicientes à ſua communione ſummouit. Nunc verò ex epiſtolis Cypriani LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. LXXIV. & ex Carthaginenſis Concilij præfatione iudicetur, vtrum abſtentus Cyprianus fauorabilis apud Stephanum patronus Fauſtini & collegarum fuiſſet? An quod Fauſtinus cum Coëpiſcopis Stephano communicans ab eodem obtinere non potuerat, excommunicatus obtinuiſſet pro Fauſtino Cyprianus? An quod tota Galliæ Synodus non effecerat apud Pontificem, id vnus Afer effeciſſet? An denique Cyprianus plenam tanta humanitate epiſtolam miſiſſet ad Stephanum, maximè cùm Stephanus improperandæ in cauſa Marciani negligentiæ iuſtiſſimam dediſſe videretur occaſionem?

MENARDI

Digitized by Google

MENARDI RESPONSIO.

Quintò diſcuſſor obiicit, primo Stephani anno non effici potuiſſe, vt Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis cum aliis Galliæ Epiſcopis Stephano Papæ de Marciano ſcripſerit, deinde interpoſita ſufficienti mora exſpectans à Stephano aliquam reſponſionem bis ad Cyprianum ſcripſerit, demum Cyprianus literas Stephano miſerit. Hæc diſcuſſor, qui vt illud tempus promittat, moráſque trahat longiores, ſolitis ſuis coniecturis, cautè tamen, dicit, vt demus, interim Fauſtinum ſemel duntaxat ſcripſiſſe ad Stephanum, quem multò ſatius fuit ſecundis literis compellare, quàm Cyprianum. ſed qui nouerunt, quot diebus Lugduno per veredarios Romam peruenitur, & quas moras traiectus Roma aut Maſſilia ad Carthaginem requirat, has difficultates facilè eleuabunt.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Menardus, vt apparet, priorem argumenti partem ſua contractione eneruat, & poſteriorem amputat, quæ ex ſeipſa plurimum habet firmamenti. Sic autem diſſero: *An quod tota Galliæ Synodus non effecerat apud Pontificem, id vnus Afer effeciſſet. an denique Cyprianus plenam tanta humanitate epiſtolam miſiſſet ad Stephanum, maximè cùm Stephanus improperandæ in cauſa Marciani negligentiæ iuſtiſſimam dediſſe videretur occaſionem?* Ad ea verò, quæ retulit, quod ſpectat, conditionem temporis diſſimulat, ne argumentum ſine reſponſo maneret. Nam qui nouerunt, quibus tunc anguſtiis fideles premerentur, quibus difficultatibus naſcentes Eccleſiæ præpedirentur, quibus vexationibus affligerentur, & quantis vitæ periculis Epiſcopi inter ſe etiam per Epiſtolas

Digitized by Google

communicarent, quin coniectura noſtra valeat, neminem conſideratâ re dubitaturum opinor. Quòd autem aduerſarius nolit, Stephanum citiùs quàm Cyprianum ſecundis literis compellandum eſſe, rationem reddit nullam, nec certè idonea vlla reddi poteſt. Quid enim quæſo cauſæ fuit, cur Fauſtinus & collegæ ad Stephanum ſcripſiſſent ſemel, bis verò ad Cyprianum, vt pro cauſa eadem Cyprianus ſuis quoque literis Stephanum conueniret? Proculdubio Romam ſcribendum fuit ſæpius, niſi cùm ſemel ſcriptum eſt, Gallicanam Synodum fauens Marciano Pontifex audire noluerit, vel negotiis, ſi darentur, grauioribus præpeditus audientiam in aliud non proximum tempus remiſerit, vel quòd impactum Marciano crimen non liqueret. Si primum Menardus capiat, incenſum zelo fidei Pontificem gratìs offendet; ſi ſecundum, veredariis ſuis toto vt minimùm anno vno calcar non addet; ſi tertium, niſi cauſæ ſtatum Stephano meliùs intellexerit, hæc recantabit, quæ in reſponſione ad argumentum quartum appoſitè dixit: *At Marciani crimen erat manifeſtum in quo ipſe peruicax erat, itaque non indigebat accuſatoribus & teſtibus, ſed id vnum ſuperabat, vt ſuperbus & diuinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicus, qui Epiſcoporum collegio inſultabat, à Romano Pontifice tanquam ab Eccleſiarum principe damnaretur.*

Præterea cùm Cyprianus Fauſtinum ſibi ſemel atque iterum ſcripſiſſe dicit, vel poſt vnas acceptas literas, Fauſtino breui ſe facturum eſſe ſatis, vel non facturum reſpondit; ſi primum ſortiatur aduerſarius, quid opus fuit, alteras ea

de re ad Cyprianum literas mittere : ſi ſecundum , veredarij aut naues nihil proderunt etiamſi procella nulla conturbaret Eccleſiam. Ad hoc ſecundum ſe recipit in reſponſione ad argumentum ſextum : *Sed cui ex officio*, inquit, *totius Eccleſiæ cura incumbit ; poteràtne ſtatim Fauſtino ſatisfacere.* quo ita poſito annus Stephani primus vt minimùm elabetur. Porro cùm Menardus Epiſcopis veredariorum copiam facit , non ſatis attendit ad tempus , in quo controuerſia verſatur. Sed rerum præſentium felicitate antiquas Epiſcoporum facultates inſulsè metitur , deinde tunc multiplices Lugduno Romam , Roma Lugdunum , Maſſilia vel Roma Carthaginem itus reditúſque non tam commodè expedit vnius anni ſpatio , quàm in charta expeditos fingit , quo tempore Chriſtiani in lucem prodire vix auderent. Nicolaus Rigaltius in ſuis ad Cyprianum obſeruationibus , & Petrus Marca Toloſanus Archiepiſcopus , in epiſtola de ſuſcepta primùm in Galliis Chriſti fide , dicunt epiſtolam Cypriani datam eſſe priùs , quàm exarſiſſent animi. Sed illud rei difficultate præpediti dicunt , & ſuppoſitâ theſi : vnde poſterior ita ſcribit : *Neceſſe verò eſt , hanc Cypriani epiſtolam ſcriptam eſſe initio Sedis Stephani , quando duos inter illos Pontifices* (Cyprianum & Stephanum) *diſſenſio nondum vlla interceſſerat.* Hoc ipſum eſt reſpondere , id quod in quæſtione ponitur , & id de quo ambigitur , velle pro certo tenere. Hoc autem ſi ita eſſet , nonne Cyprianus cùm exorta eſt diſſenſio , & ſe vt ſchiſmaticum à Stephano abſtentum vidit , Stephanum de nimia in damnando & abdicando

Marciano negligentiam obiurgaſſet? Nonnè Nouatianorum fautorem appellaſſet? Siue cùm ad Iubaianum vel ad Pompeium, vel ad Magnum acerrimas contra Stephanum ſcripſit literas? Nonne Firmilianus rem eandem in ſua ad Cyprianum præſtitiſſet epiſtola? In procinctu paratam habuerunt exprobrandi cauſam, quæ tamen nuſquam apparet. quia tunc quæ de Marciano Cyprianus ad Stephanum ſcripſiſſe dicitur, minimè ſcripſerat.

Sextum, quòd incredibile ſit penitus Stephanum in deponendo Marciano, qui ſedenti, atque docenti Romæ Nouatiano coniungebatur, aut certè in procuranda illius depoſitione tandiu ſeſe habuiſſe negligenter, vel tot tantíſque cohortationibus ad pium & neceſſarium iuxtà opus exequendum indiguiſſe, quot, quantáſque adhibet auctor epiſtolæ ſub finem: *Seruandus eſt*, inquit, *anteceſſorum noſtrorum beatorum martyrum Cornelij & Lucij honos glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multo magis tu, frater cariſſime, honorificare & ſeruare grauitate & auctoritate tua debes, qui Vicarius & ſucceſſor eorum factus es.* Quorſum amabo vos in retinendis anteceſſorum decretis tam iners, támque lentus fuiſſet Stephanus, qui aliàs contra Cyprianum tam vehementer incaluit, aut quorſum Nouatianum ipſum Romæ ſedentem, eíque in Gallia ſtudentem Marcianum animo tam æquo tuliſſet?

MENARDI RESPONSIO.

Sextò ait incredibile eſſe tam fuiſſe in cauſa Marciani deſidem Stephanum, vt tot & tantis cohorta-

tionibus indiguerit, cùm ſemel duntaxat Fauſtinum Epiſcopum Stephano Papæ ſcripſiſſe conſtet? Sed cui ex officio totius Eccleſiæ cura incumbit, poterátne ſtatim Fauſtino ſatisfacere?

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Menardus cùm argumentum conuoluat & penitus eludat, vt mutua docet argumenti cum reſponſione contentio, vim illius agnoſcit atque auget. At vbi dicit conſtare, Fauſtinum Stephano ſemel tantùm ſcripſiſſe, falſum eſt id conſtare. Immo cùm Fauſtinus & collegæ ad Cyprianum bis ſcripſerint, inde non immeritò coniicimus eoſdem ad Stephanum ſæpius ſcripſiſſe. Ad Stephanum enim, quàm ad Cyprianum pluries ſcribendi cauſam iuſtiorem & magis neceſſariam fuiſſe, quis non videt? Quod autem Stephanus poſſet ſtatim Fauſtino ſatisfacere, oſtendunt maximè duo: primùm, quòd iunctus Nouatiano Marcianus eandem cum illo pœnam mereretur. Is quippe, vt cum Gelaſio loquar, *Non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua ſcita prodirent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit.* Deinde, quòd, vt fatetur aduerſarius, *manifeſtum eſſet crimen, nec vllis accuſatoribus aut teſtibus indigeret.* Porrò cùm ſignificat Stephanum totius Eccleſiæ negotiis tunc occupatum fuiſſe, quo modo Pontifices alij occupati fuerunt poſtea, vel iocatur, vel de quo tempore loquatur, ignorat, vel lectores ſuos bardos ac ſtipites ducit.

Septimum, quòd auctor Epiſtolæ non obſcurè doceat ſe pro more communicatorias ad Arelatenſes vel alios Galliarum Epiſcopos literas tunc miſiſſe. *Significa*, inquit, *planè nobis, quis in*

locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, vt ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus. At inter omnes Cypriani epiſtolas nulla eſt, quæ vel ad Arelatenſes, vel etiam ad alios Galliarum Epiſcopos mittatur.

MENARDI RESPONSIO.

Septimò occurrit aduerſarius, quòd auctor Epiſtolæ non obſcurè doceat, ſe pro more communicatorias ad Arelatenſes vel ad alios Galliarum Epiſcopos tunc miſiſſe: attamen inter Cypriani epiſtolas nulla eſt huiuſmodi. Reſpondeo omnes Cypriani epiſtolas non extare, & cùm frequentes eſſent Epiſcoporum communicatoriæ, quas aut ad Epiſcopos recens ordinatos pro bono vnitatis mittebant, aut pœnitentibus Eccleſiæ reſtitutis in ſignum communicationis concedebant, vix vnicam huiuſmodi inter S. Cypriani epiſtolas repereris, vbi ſunt epiſtolæ communicatoriæ, quas iuxta conſuetudinem miſit Cyprianus, Cornelio & Stephano Romanis Pontificibus, cùm ſuam Sedem inierunt? Lucio Pontifici Romano recèns ordinato communicatoriam miſerat Cyprianus, vt ipſe teſtatur epiſt. LVIII. *ad eundem Lucium: Et nuper quidem, frater cariſſime, gratulati ſumus, cùm te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione confeſſorem pariter & ſacerdotem conſtituit diuina dignatio. Sed hæc epiſtola* οἴχεται.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Fruſtra diuinat non omnes extare Cypriani epiſtolas, quas ille ſcripſit. Atque vt de miſſis ad Cornelium epiſtolis, quas omnes requirit, exemplum ſumatur, tot reperiüntur epiſtolæ quot ille ſcripſit. Reperiuntur octo, quot Euſebius in Chronico vetere maiuſculis literis exarato nu-

merauit ad annum CCLIII. *Extant ad eum (* Cornelium *) Cypriani octo epiſtolæ :* In quibuſdam editis codicibus ſcribitur, 7. epiſtolæ, ſed in nota arithmetica 7. error obrepere facilè poteſt. Accedit Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Cornelio, *ad quem octo Cypriani extant epiſtolæ.* Sophronius Græcè, πρὸς ὃν ὀκτὼ Κυπριανοῦ ἐπιστολαὶ τυγχάνουσιν. Ad hunc octonarium numerum non ſpectat epiſtola, quam Synodi Africanæ nomine ad eundem Cornelium ſcripſit : eſt Synodica, non priuata. Hæc obſeruatio vanam eſſe Menardi coniecturam & interrogationem non obſcurè demonſtrat. Deinde in epiſtola ad Lucium Cyprianus, ſe quidem gratulatum fuiſſe ait, ſed gratulatum ſe per literas non ait. & reuera Cyprianus ſecum & cum aliis Epiſcopis de geminato Lucij honore gratulari potuit, quamuis id per alias ab citata literas non fecerit, aut teſtaretur. Tum Cyprianus ad Lucium mittere poterat Presbyterum vel Diaconum, qui ei non literis ſed ſermone gratularetur. Verumenimuero demus Cyprianum aliquam generis huius ſcripſiſſe epiſtolam, quæ non extet ampliùs, eam aliquando extitiſſe, ex aliis epiſtolis manifeſtum eſſe debet. At ex iis, quas Cyprianus ad Epiſcopos Galliarum miſerit, habemus nullam, nec vllam talem extitiſſe vnquam in aliis epiſtolis ſignificat. quidquid id eſt, Menardus in diluenda ratione mea ſudauit, ſed alſit.

Octauum, ſi tanta lapſorum multitudo fuit Arelate, quantam fuiſſe ſignificat auctor Epiſtolæ, cur à veteribus non memoratur perſecutio,

quæ Arelatenſibus Chriſtianis deficiendi cauſam dediſſet? cur nullus in Arelatenſi Eccleſia martyr legitur ante Geneſium, qui ſub Maximiano paſſus eſt? Conſuetam profectò de lapſis Cypriani tempore ſcribendi rationem, non res eo tempore geſtas, neque temporum conditionem attendit: quæ omnia ſuppoſitionem arguunt.

MENARDI RESPONSIO.

Octauò obiicit, quòd ſi tanta fuit lapſorum multitudo Arelate, quantum ſignificat auctor Epiſtolæ, cur à veteribus non memoratur perſecutio Arelatenſium? Primò dico, tantam lapſorum multitudinem non fuiſſe Arelate, quantum imaginatur aduerſarius: ſine exaggeratione Epiſtola dicit multos fuiſſe lapſos; de numero martyrum non conſtat. Deinde quamuis multi eſſent, vt credere par eſt, non tamen id negari poteſt, etſi de his olim ſcripſerit nemo, alioquin omnes fere in Gallia Chriſtiani, qui à iudicibus ſunt comprehenſi in Deciana perſecutione tormentis non ſuccubuiſſent, quia nullos veteres actuum ſuorum ſcriptores habent. Quis eſt adeò ab omni mente alienus, qui neſciat, innumeros propemodum martyres ſcriptorum antiquorum penuria obliuioni ſepultos? Quot ſunt hodie in Eccleſiis, quorum memoria celebris eſt ex ſola traditione, & quorum actus certis auctoribus carent? Qui ſi diſcuſſoris placitis acquieſcendum eſt, fabularum loco ponendi. Confirmat argumentum aduerſarius, quia nullum habent Arelatenſes martyrem præter Geneſium, qui ſub Maximiano paſſus eſt. Sed eadem eſt reſponſio.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Solâ lectione epiſtolæ opus eſt, vt quo in ſtatu grex Domini, & quanta lapſorum multitudo fue-

rit, iudicetur. Quod autem pertinet ad memoriam martyrum, qui tunc obiiſſent Arelate, Menardus id reſpondet, quo noſtrum argumentum confirmatur. Ad ſolam Eccleſiarum traditionem nos remittit, vt qui tunc ea in vrbe martyrium fecerant, ediſcamus. Vrbem adimus, vbi Arelatenſes nullam vllius ante Geneſium martyris traditionem habent. atque ita Arelatenſium traditione ſtabilitur, quod ille euerſum cupit. De Menardo quæro num Arelatenſibus fuit operoſius, multorum martyrum qui ante Decium exceſſiſſent, quàm vnius exceptoris Geneſij nomen & memoriam celebrare & poſteritati tradere? Verbis exprimi non poteſt, quàm ſcriptor iſte lubricus ſit in diſputando & incomprehenſibilis. Hinc conqueritur, innumeros propemodum martyres ſcriptorum antiquorum penuriâ obliuioni ſepultos; inde methodum docet, qua quæ ſuperſunt acta martyrum diſſipentur. Verba ſunt è capite IV. Diatribæ; *Sed vrget aduerſarius; ſcriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur, quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in hominum ore verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is qui ſcribit, non ex veteribus membranis aut ex antiquis ſcriptoribus. Sed ex hominum ſermonibus & currente fama?* Ceterum quid ſibi vult hoc nouum Phyſicæ dogma? *Quis eſt adeò ab omni mente alienus, qui neſciat?* Defectus ſtudij cauſa eſt ignorantiæ, non ſtultitia vel mentis alienatio. Cùm de antiquitatis ignorantia obiurgare

vellet aduerſarium, ſeipſum de Phyſicæ ignorantia obiurgandum præbuit.

Nonum, quæ de priſco Saturnini vitæ ſcriptore, & de illius vindice Gregorio diſſeruimus, & poſtea diſſeremus, huic Epiſtolæ fidem omnem detrahunt. Quod ex annorum expanſione manifeſtum fiet. Trophimus apud Arelatenſes Chriſtianam religionem prædicare cœpit anno circiter CCLI. Nouatianus contra Cornelium eligitur Epiſcopus, & ſchiſma conflat anno CCLIV. Nouatiano coniungi poſtea debuit Marcianus, Trophimi ſucceſſor, ſuâ prædicatione efficiens, vt plures Chriſtiani ſine pace excedant. At quî quæſo factum, vt deinceps verum ſit, tot Chriſtianos annis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace, ſi Chriſtiana religio primùm prædicata ſit Arelatenſibus anno CCLI. ſi Marcianus Trophimi ſucceſſor Nouatiano coniungi non potuerit ante annum CCLIV. quo Nouatianus ſchiſma conflauit? Si Stephanus, cui ſcribitur, factus anno CCLVII. Epiſcopus obierit anno CCLIX. Quaſi verò intra ſpatium tam paucorum annorum à tam multis ethnicis Chriſtiana ſuſcepta ſit religio, & tam multi ſuperioribus annis exceſſerint ſine pace? Ceterùm quæ primo & ſecundo argumento notauimus, efficiunt, vt vetus Saturnini hiſtoria huic Epiſtolæ non immeritò opponatur.

MENARDI RESPONSIO.

Nonò argumentatur diſcuſſor ex Gregorio Turonenſi, & auctore vitæ S. Saturnini, ex quibus ait conſtare Trophimum fuiſſe Arelatenſem primum Epiſcopum anno CCLI. *& Marcianum ſucceſſorem coniungi debuiſſe Nouatiano poſt annum* CCLIV.

quo ſchiſma conflatum eſt, ac non poſſe deinceps tot Chriſtianos ſine pace ſuperioribus annis exceſſiſſe, ſi religio Chriſtiana Arelatenſibus non fuit ante annum CCLI. *prædicata: Sed vnde tot lapſos Arelatenſes habet aduerſarius? Epiſtola dicit multos abiiſſe ſine pace & nihil vltrà. Ex loco Gregorij controuerſo vult epiſtolam hactenus indubitatam & omnium calculo receptam* νοθείας *conuincere, & egregius Dialecticus principium petit.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

In hac reſponſione malâ fide mecum agit, vbi multitudinem lapſorum attigiſſe me ſcribit; in argumento de lapſis ne verbum quidem: deinde malâ fide agit mecum, vbi ex citata Epiſtola reſcindit voces duas, in quibus argumenti robur ſiſtit. *Epiſtola,* inquit, *dicit, multos abiiſſe ſine pace, & nihil vltrà:* quod falſum eſt, cùm voces hæ duæ, *ſuperioribus annis*, addantur. Quòd autem in his vocibus argumenti robur conſiſtat, argumentum ipſum declarat. Tum malâ fide agit mecum, vbi ſcribit me cùm ex auctoritate Gregorij diſputo, principium petere. Hiſtoriam enim ſancti Saturnini ea ratione propoſueram, quæ petitam ex loco controuerſo reſponſionem declinaret. vt conſtat ex iis, quæ antea in eandem Saturnini hiſtoriam animaduerti: Bellarminus, qui non erat tam malus Dialecticus, ex Saturnini hiſtoria memoratæ in epiſtola ſecunda S. Martialis Valeriæ martyrium reiicit, tametſi quidam monachi illam, ſua vt venditent ſomnia, recipiant. Denique cùm minora non ſint rationum momenta, quibus epiſtolam probamus ſubdititiam, quàm quibus Saturnini hiſtoriam verè à Grego-

rio relatam, & doctiſſimorum virorum calculo comprobatam accuſat, in petiti principij vitium incurrit, quod nobis cum certa quadam conditione loquentibus affricare ſtudet.

Decimum, inter initium Nouatiani, & electionem Stephani vix anni tres intercedunt, & tamen de Marciano & Nouatiano perinde loquitur auctor Epiſtolæ, ac ſi ab ætate Stephani longiſſimè abfuiſſent. *Qui* (Marcianus) *iampridem iactat & prædicat, quòd Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens à noſtra ſe communione ſegregauerit.*

MENARDI RESPONSIO.

Decimò obiicit, quòd inter initium Nouatianæ defectionis & electionis Marciani Epiſcopi, vix tres anni intercedant, tamen iuxta hanc Epiſtolam Marcianus iampridem iactat & prædicat, quòd Nouatiano ſtudens, &c. ſe à communione ſegregauerit. An non triennium particulæ, iampridem, *ſufficit? Quis eſt, qui in doctore Eccleſiaſtico tam exactam grammaticam requirat?*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Videat lector è criticorum ſchola limatus, an triennium particulæ *iampridem* ſufficiat? Hoc in epiſtola notaueram, quòd Hieronymus me docuerat, Cyprianum magna cum laude Rhetoricam in Africa publicitùs tradidiſſe: in his porro quæ non proſunt ſingula, iuuare multa nemo ierit vnquam inficias.

Vndecimum, quòd hæc Epiſtola licèt Cypriani ſtilum affectetur, & ex nonnullis illius locutionibus conſuta ſit, non vbique tamen prudentiam Cypriani & iudicium repræſentat; non

prudentiam quidem, cùm epiſtolâ ferè totâ Stephanum doceat auctor, qua in re Nouatianorum prauitas, & præpoſitorum Eccleſiæ munus conſiſtant. At his de rebus multo minùs docendus erat Stephanus Nouatianæ prauitatis oculatus teſtis, quàm Cyprianus, qui & inſuper eo tempore expertus eſt, quanta fuerit Stephani in caſtigando ſchiſmate, & in obeundo munere cura & ſeueritas. Non iudicium quoque & ingenium; I. quidem, quia ſub initium epiſtolæ, *eandem*, cuius nulla præceſſerat mentio, *prouinciam* dicat, niſi velit idem eſſe Lugdunum, atque prouinciam, ſed aliud Lugdunum, aliud Lugdunenſis prouincia. II. Quia idipſum intra paucas lineas repetit: *Quapropter*, inquit, *facere te oportet pleniſſimas literas*, &c. & paullo pòſt, *dirigantur à te literæ.* III. Quia nimium affectat *abſtenti* vocabulum, quod identidem quater iteratur; at hæc nimia affectatio ſignum fraudis eſt. IV. Quia quæ Galliæ regio nunc *Prouincia* dicitur, *Prouinciam* appellat abſolutè, quod ex vſu recepto ſuffragium nullum habet in antiquis Galliæ ciuilibus, ſeu Eccleſiaſticis diuiſionibus. Quinetiam Arelatenſi Synodo ſubſcribunt Marinus de ciuitate Arelatenſi, *prouincia Viennenſi*; Oreſius Epiſcopus de ciuitate Maſſilienſi, *prouincia Viennenſi*, & alij. Vt non referam Aquileienſe Concilium *Epiſcopis prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis prima & ſecunda* reſcribens. V. Quia duo hæc pugnant inter ſe; *Nouatianus olim abſtentus*, & *Nouatianus nuper retuſus & refutatus*. VI. quia Stephanum Cornelij & Lucij prædeceſſorum Vicarium & ſucceſſorem appellat: fue-

runt quidem bene multi, qui Felicem tertium ſecuti, Romanum Pontificem Beati Petri Vicarium nuncuparunt; ſed hoc nec ad Cyprianum ſpectat, nec ad rem facit, in qua Stephanus non Petri, ſed ſucceſſorum Petri Vicarius nominatur. VII. Quia hæc parum conſentanea videntur: *Quàm vanum eſt, vt Nouatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à ſacerdotibus Dei abſtento nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere.* Qua in re quæſo & cuinam adulabantur Nouatiani ſectatores? Lapſiſne ac pœnitentibus, quos, vt ait auctor Epiſtolæ, *ſine ſpe pacis & communicationis relictos ad luporum rapinam & prædam diaboli proiiciebant?* Cornelióne fortean, Lucio & Stephano Romanis Pontificibus *contra quos*, vt idem auctor ait, *adulteram Cathedram Romæ collocarat*. Nouatianus, & in Gallia Marcianus? Procul à me iſtud inauditum adulationis genus, quo vnius vita luporum rabiei committitur, & alterius corpus duas in partes diſſecatur.

MENARDI RESPONSIO.

Vndecimò dicit Epiſtolam, etſi ſtilum affectet Cypriani, ab eius tamen prudentia & iudicio alienam eſſe; à prudentia quidem, quia docet Stephanum munus Prælati, & quàm ſit lethale Nouatianum virus, in quibus non cæcutiebat Stephanus, qui iſta meliùs callebat, quàm Cyprianus. Quod ſi ita eſt, epiſtola LV. *ad Cornelium Papam procul eſt etiam exigenda, in qua ille fusè à Cypriano docetur: ſed hæc non eſt imprudentia. Nam epiſtolæ ſuaſoriæ docere & monere ſolent, vt perſuadeant.*

Digitized by Google

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Vt argumentum ita & reſponſio, longiorem ſermonem continet, & varia complectitur, eam ob cauſam vtrumque in plures partes diuidemus.

Menardus in hac prima parte oculis ipſis fucum facere conatur, cùm latiſſimum ſit inter epiſtolam LV. ad Cornelium & iſtam, qua de agimus, diſcrimen. Vt mirum omnino appareat eam à Menardo iis opponi, quæ de Nouatiano ſcripta ad Stephanum notauimus. Deinde quò faciliùs imprudentiæ vitium eleuet, mediam obſeruationis meæ partem callidè amputat, quæ ſic ſe habet: *At his de rebus multo minùs docendus erat Stephanus Nouatianæ prauitatis oculatus teſtis, quàm Cyprianus, qui & inſuper eo tempore expertus eſt, quanta fuerit Stephani in caſtigando ſchiſmate, & in obeundo munere ſuo cura & ſeueritas.* Stephanus poſt Lucium ſucceſſerat Cornelio, qui apud Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum epiſtolam ad *Flauianum prolixam, & Nouatianæ hæreſeos cauſam & anathema continentem*, ſcripſerat. Tum de ſuaſorio epiſtolarum genere ea proponit, quibus Pontificis huius vigilantia & integritas grauiſſimè ledũtur, quaſi neceſſe fuerit, virum grauem & in obeundis ſuis partibus impigrum Rhetorices artibus induci, vt Marcianum Nouatiani Romæ ſedentis collegam abſtineret, hoc eſt publicum Eccleſiæ hoſtem exſcinderet.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Nec propterea ineſt aliquod indicij in Cypriano deliquium, 1. cùm ſub initium Epiſtolæ dixit Cyprianus, eandem prouinciam, cuius nulla antea mentio

præceſſerat, ſanè quia antea Lugduni mentionem fecerat, & proximè ſubiungit mentionem Epiſcoporum, quàm à ceteris, inquit, in eadem prouinciâ conſtitutis facilè intellectu erat de qua prouincia loqueretur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Iudicet eruditus & cordatus lector, an Rhetoricæ magiſtrum qui tam propriè támque ornatè ſcribit, loqui ſic deceat, vt idem velit eſſe prouinciam, quod Lugdunum. Hîc non quærimus, num ſuſpicari quis poterit, quid Cyprianus dicere voluerit, ſed quærimus, num auctor Epiſtolæ appoſitè mentem ſuam aperuerit.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

II. *Cùm bis intra paucas lineas Stephanum rogat, vt ſcribat literas, pudet me obiectionis. Deinde non eſt hæc repetitio, quia primò rogat, vt ſcribat literas ad Epiſcopos Galliæ, vt Marcianus excommunicetur, ſeu abſtineatur, ſecundò vt ſcribat literas ad prouinciam, & ad plebem Arelatenſem, vt abſtento Marciano alter Epiſcopus ſubrogetur. en diuerſa materia & perſona.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Ex lectione ſatis ſupérque liquet, rem eſſe eandem quæ tractatur. *Quapropter,* inquit, *facere te oportet pleniſſimas literas ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne vltrà Marcianum peruicacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis, & fraternæ ſalutis inimicum collegio noſtro inſultare patiantur:* & poſt pauca, *Dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum eius ſubſtituatur.* Res eſt eadem, quæ diuerſis phraſibus exprimitur. Deinde

de in his quæ non proſunt ſingula, vt antè diximus, multa iuuant.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

III. *Quia affectat nomen* abſtenti, *quod ibi quater repetitur, éſtque ſignum fraudis. Quod ſi ita eſt, reiicienda eſt etiam epiſtola* LV: *in qua quinquies idem vocabulum repetitur, tanquam fraudulenta. Sed nemo adeò in lectione S. Cypriani nouus eſt, qui non videat hoc vocabulum eſſe ei familiare.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Hinc coniicimus affectatum eſſe *abſtenti* vocabulum, quò ſecuriùs epiſtola Cypriano tribueretur. Sed quia intra verſiculos XXX. repetitur quater, hoc nimiam Cyprianicæ vocis affectationem appellauimus, & inde fraudem ſuboluimus. Quàm autem diſpar ſit huius atque quinquageſimæ quintæ epiſtolæ conditio, non diffitebitur, qui vtramque inter ſe componet: quinquageſima quinta octo fere paginas continet, altera vnam cum dimidia tantùm. Deinde in illa, quàm in hac vocis iſtius repetitio interuallis longè maioribus diſtinguitur. Quæ duæ cauſæ ſufficiunt, vt ab epiſtola LV. nimia affectatio, & ex affectatione fraudis tollatur ſuſpicio. Similis eſt affectatio quæ in adlocutione, *frater cariſſime*, deprehenditur. Hæc enim octies repetitur, nec in vlla alia paris magnitudinis epiſtola toties repetitam inuenies.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

IV. *Quæ Galliæ regio nunc Prouincia dicitur, prouinciam appellat abſolutè, ſed hoc falſum eſt. Nam intelligit prouinciam illam, in qua tunc erat Arelate, ſiue eſſet hæc Viennenſis, vt erat tempore Concilij Are-*

latenſis primi, ſub Silueſtro Papa, ſiue Narbonenſis, aut alio nomine indigitaretur. Nec neceſſe erat addere proprium nomen prouinciæ. nam ſubiungendo ſtatim τὸ Arelate, ſatis intelligebatur de qua prouincia loquebatur. Sub initium Epiſtolæ dixit prouinciam non intelligendo eam Galliæ partem, quæ nunc Prouincia dicitur, ſed vel Lugdunenſem vel omnes Gallias.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Hæc volatica non magis, opinor, admittetur reſponſio, quàm quæ in Pamelij adnotationibus reperitur: vbi prouinciæ nomine intelligit modò Lugdunenſem, quæ Epiſcopatus quatuor, modò Arelatenſem, quæ etiam Epiſcopatus totidem complectitur. Hæc vtraque diuiſio tunc inaudita erat. res eſt poſteriorum temporum. Pamelium ſanè non appellarem, niſi Menardus factam ab eo Cypriani recenſionem indicaret. Ceterùm illa Menardi partes in omnes verſata reſponſio facit tria: primùm, hominem rei difficultate impeditum oſtendit: deinde vt nomine prouinciæ quidquid rectè intelligi poteſt, intelligatur, niſi reſponſionem ſpontanea diſiunctionis voce concluderet. Sic enim efficitur, vt prouinciæ nomine, quod ſub initium Epiſtolæ habetur, vel Lugdunenſem, vel omnes Gallias, vel vicinas tantùm Italiæ aut Hiſpaniæ regiones quis intelligat, ſi velit. Poſtremò id generis reſponſio argumentum validè confirmat. Nam rhetor prudentiſſimus, atque eruditiſſimus iuxtà ſuis in ſcriptis multò preſſiùs loquitur, cùm ſermonem habet de Epiſcopis, qui in prouincia Africa, vel Numidia, vel Mauritania conſti-

Digitized by Google

tuuntur, quique ex iiſdemmet locis in Concilium apud Cyprianum vocantur.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

v. *Quia hæc duo pugnant inter ſe, Nouatianus olim abſtentus, & Nouatianus nuper retuſus. Sed τὸ olim, etiam ſignificat τὸ nuper, vt videre eſt apud Terentium in Andria act. 1. ſc 5.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Quæſtio non eſt vtrum, *olim*, idem ſignificet aliquando, quod, *nuper*, ſed an rectè in eadem materia, & in eodem loco dicantur hæc duo. Nouatianus olim abſtentus, & Nouatianus nuper retuſus. Adducendum non erat è Terentio teſtimonium, in quo, *olim*, pro, *nuper*, ſumeretur. Sed ex illo vel alio auctore dandum erat teſtimonium, in quo de re eadem ita diceretur, *olim* & *nuper*. At defectu teſtimonij huiuſcemodi confirmatum remanet argumentum.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

vi. *Quia Stephanum Cornelij & Lucij prædeceſſorum Vicarium, & ſucceſſorem appellat, & multi quidem poſt Felicem III. Romanum Pontificem Petri Vicarium appellarunt. Sed hoc nec ſpectat ad Cyprianum, nec ad rem facit, in qua Stephanus non Petri, ſed ſucceſſorum Petri Vicarius nominatur. Quid tum? An idcirco Stephanus dici non poterit, Vicarius Cornelij & Lucij, quemadmodum poſt Felicem III. appellatus eſt Romanus Pontifex Petri Vicarius. Præſertim cùm Vicarius etiam ſucceſſorem ſignificet, vt teſtantur Suidas, & Phauorinus βικάριος ὁ διάδοχος παρὰ Ῥωμαίοις. Vicarius ſucceſſor apud Romanos, & vocem ita Cyprianus interpretatus eſt, cùm addidit, & ſucceſſorem.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Cauſæ ſunt maximè duæ, cur à Cypriano Stephanum, Cornelij & Lucij Vicarium & ſucceſſorem non eſſe dictum credimus. Primùm, quia ab eloquenti & perito rhetore qualis eſt Cyprianus, aliena eſt hæc locutio. Nam mortuo propriè ſucceditur, & viuentis vices aguntur. Deinde in aliis Cypriani epiſtolis nihil habetur, quo ſimilis verborum compactio ſuſtentetur. Ibi tamen frequens occurrit Romanorum vel aliorum Pontificum, qui ſibi inuicem ſuccedunt mentio. Præterea Silueſtri, Iulij, Damaſi, &c. Vicarius & ſucceſſor quis R.P. apud veteres reperietur nuſquam. Si Suidas & Phauorinus verum dicunt, exemplum rei talis adferri debuit. allatum eſt nullum. In ſumma, Menardus quæſtionem reuocat ad ſtatum metaphyſicum, in quo vtrum res fieri poſſint, diſputatur. Sed ſtatus eſt hominis difficultate impediti.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Septimò hac ſancti Cypriani verba diſplicent aduerſario. Nunc adulatores nobis patiamur illudere, cùm ait: qua in re quæſo & cuinam adulabantur Nouatiani ſectatores, an pœnitentibus, quos vt ait auctor Epiſtolæ, ſine ſpe pacis & communicationis relictos ad luporum rapinam & prædam diaboli proiiciebant, Cornelio-ne forſitan, Lucio & Stephano, &c. *Non adulabantur Nouatiani ſectatores prædictis Pontificibus, ſed populo Chriſtiano, & aliis Epiſcopis, vt ſuis lenociniis eos ad partes ſuas pellicerent. Nam ipſe Nouatus (ita Græci loquuntur) auctor ſectæ omnibus Eccleſiis ſcripſit literas, vt eos, qui ſimulachris immolaſſent, minimè ad communicationem admitte-*

Digitized by Google

rent, vt docet Socrates lib. IV. *cap.* XIII. *Adulabantur lapſis, non quatenus eos pace, & communicatione priuabant, ſed vt eos ad ſchiſma traherent, & ſi fortè titubarent, à ſecta deficere cupientes in ea confirmarent.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Reſponſionem ſponte corruentem perſequimur inprimis, quia gratìs & ſine ratione fingit lenocinia, quibus alios à Romanis Epiſcopos ad partes ſuas pelliceret. Etenim cùm alij Epiſcopi Nouatianum abſtinuerant, & per orbem totum, vt ait auctor Epiſtolæ, refutauerant, quo quæſo colore eos ſectatores ſuos efficere poterat? Deinde Nouatiani dogma diſſimulat, vbi ſcribit, illius ſectatores lapſis adulari, vt eos ad ſchiſma traherent, hi enim ſeſe æſtimabant puros & καθαρούς, & lapſorum communionem vehementer abhorrebant.

Hîc finio poſtquam monuerim Menardum mihi turpiter imponere, dum ait, *Hæc S. Cypriani verba diſplicent aduerſario.* Cypriani verba mihi placent omnia, quæ placere poſſunt; ſed diſplicent verba auctoris Epiſtolæ, quam ſanctiſſimo martyri ſubiectam eſſe contendo: ídque tantùm quærendæ & aſſerendæ veritatis gratiâ, non vt auctorem paſſionis S. Saturnini, & Gregorium defendam. Nam dici poteſt, Trophimum anno primo Imperij Decij veniſſe Arelate, & Marcianum Trophimo poſt quatuor aut quinque, vel ſeptem annos mortuo ſucceſſiſſe. Quæ & rectè quadrant, nec poſſunt vllis veterum teſtimoniis refelli.

Oppoſita Zoſimi Papæ epiſtola quinta reiicitur, & νοθείας accuſatur.

Hæc epiſtola ſic ſe habet. *Placuit Apoſtolicæ Sedi, vt ſiquis ex qualibet Galliarum parte ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi formatas acceperit, quibus ſacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum, quem habet, ſcriptorum eius adſtipulatione perdoceat. Quod ea gratia ſtatuimus, quia plures Epiſcopi, ſiue Preſbyteri, ſiue Eccleſiaſtici ſimulantes, quia nullum documentum formatarum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reuerentiam promerentur. Quiſquis igitur, fratres cariſſimi, prætermiſſa prædicta formata, ſiue Epiſcopus, ſiue Preſbyter, ſiue Diaconus, aut deinceps inferiore gradu ad nos venerit, ſciat ſe omnino ſuſcipi non poſſe. Quam auctoritatem vbique nos miſiſſe manifeſtum eſt, vt cunctis regionibus innoteſcat id quod ſtatuimus omnimodis eſſe ſeruandum. Si quis autem hæc ſalubriter conſtituta temerare tentauerit; ſponte ſua ſe à noſtra communione nouerit diſcretum. Hoc autem priuilegium formatarum ſancto Patroclo, fratri & Coëpiſcopo noſtro meritorum eius ſpeciali contemplatione conceſſimus.* II. *Iuſſimus autem præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis, in ordinandis ſacerdotibus teneat auctoritatem. Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam prouincias ad Pontificium ſuum reuocet. Quiſquis verò poſthac contra*

Apoſtolicæ Sedis ſtatuta & præcepta maiorum omiſſo Metropolitano Epiſcopo, in prouinciis ſupradictis quemquam ordinare præſumpſerit, vel is, qui ordinari ſe illicitè ſiuerit, vterque ſacerdotio ſe carere cognoſcat. quomodo enim poteſt auctoritatem ſuam ſummi Pontificis obtinere, qui quæ erant Pontificis ſeruare contempſit? III. *Omnes ſanè admonemus, vt quique finibus territoriiſque ſuis contenti ſint, de qua re ne ad nos querela vlteriùs redeat admonemus. Dedit enim exemplum Arelatenſis Eccleſia, quæ ſibi Ciſtariſtiam & Gargariam Parochias in territorio ſuo ſitas incorporari iure deſiderat, ne de cetero vllus ſacerdos in alterius ſacerdotis præſumat iniuriam. Sanè quoniam Metropolitanæ Arelatenſium vrbi vetus priuilegium minimè derogandum eſt, ad quam primùm ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cuius fonte tota Gallia fidei riuulos acceperunt, directus eſt. Id per quaſcunque Parochias, in quibuſlibet territoriis etiam extra Parochias ſuas, vt antiquitus habuit, intemerata auctoritate poſſideat, ad cuius notitiam ſi quid illic negotiorum emerſerit, referre cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen. Data* XI. *Calend. April. Honorio Aug.* XI. *& Conſtantio* II. *Conſulibus.*

III. Deinde opponitur Zoſimus Pontifex in epiſtola quinta ad annum CCCCXVII. Sed primò nec debet, nec poteſt opponi. Etenim cùm de Trophimo Arelatenſi loquitur, eum nunquam *diſcipulum Apoſtolorum* appellat, & tamen ab aduerſario perinde quaſi appellaſſet, opponitur. Ex quo manifeſtum fit, quàm ſincera fide agat. Aliud eſt, Trophimum ab Apoſtolica Sede ad

Arelatenſem vrbem mitti, quod aſſerit Zoſimus; aliud, illum eſſe *Apoſtolorum diſcipulum*, quod aſſerit nunquam.

Tum ne vera ſint, quæ diximus, ſcriptori noſtro Zoſimus opponatur, & æqualis ſit: vtri tunc in re hiſtorica potior fides habebitur? Zoſimóne, ſeu eius Commentarienſi, qui Romæ ſcripſit epiſtolam? an alteri, qui Arelatenſium longè vicinior fuit, atque certam illorum de ſuo Trophimo traditionem calluit multò magis? Zoſimóne, qui non eam opinor in conſcribenda epiſtola diligentiam adhibuit, quam alter in conficienda Saturnini vita adhibuiſſe cenſendus eſt? Ait enim ſe quicquid ea de re ſcribit, *ex fideli recordatione* ſcribere; quæ verba ſummam accurationem ſignificant, & veritatem ex ſuis legibus atteſtantur.

Menardus ſuperiorem rationem fraudulenter exhibet. *Deinde*, inquit, *poſtponit aduerſarius Zoſimum Papam, aut eius commentarienſem auctori vitæ ſancti Saturnini, quaſi Papa in tanta cauſa diſceptanda non adhibuiſſet omnem diligentiam, aut eius Amanuenſis auſus fuiſſet ſcribere aliter quàm ſtatutum fuerat, & aliam decreti cauſam tam impudenti impoſtura fingere, quod eſt abſurdum, cùm etiam epiſtola ſequenti eadem verba repetantur*: I. Quæ ex inueniendi aſſerendíque veri regulis propono, ſubdolè conuoluit; in quo tota conſiſtit firmitas argumentationis. II. Hiſtoriæ leges negligit affirmans, in epiſtola ſequenti eadem quæ in prima verba repeti, ſcilicet *ex fonte Trophimi totas Gallias fidei riuulos accepiſſe.* In nulla alia Zoſimi epiſtola verba illa repetuntur, ſed hæc

tantùm, *Qui* (Trophimus) *primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac ſede directus eſt.*

Denique hæc epiſtola mihi multis de cauſis ſpuria videtur. Prima eſt, quòd Arelatenſem Epiſcopum ſemper fuiſſe Metropolitanum Epiſcopum tradat. Sed hoc imprimis repugnat antiquis omnibus Prouinciarum notitiis, in quibus Arelatenſium ciuitas Viennæ vt metropoli ſubiicitur. Secundò repugnat Concilio Arelatenſi primo, vbi *Marinus Epiſcopus de ciuitate Arelatenſi, Prouincia Viennenſi ſubſcribit.* Tertiò repugnat Taurinenſi Concilio, vbi canone II. de primatu Arelatenſis, & Viennenſis Eccleſiæ ſic ſtatutum eſt: *Illud deinde inter Epiſcopos vrbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant, à ſancta Synodo definitum eſt, vt qui ex eis approbauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim, is totius prouinciæ honorem primatus obtineat.* Ludicrum eſt ſanè decretum illud, ſi Arelatenſis Epiſcopus fuit ſemper Metropolitanus, aut vt eſt in ſeptima Zoſimi epiſtola, *iam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat.* Quartò, hæc ipſa ſeptimæ epiſtolæ verba, & quæ ſunt eadem in quinta, falſi conuincuntur ex Taurinenſi Concilio, vbi canone primo Arelatenſis Epiſcopus non conqueritur de Maſſilienſi Proculo, qui ordinationes Epiſcoporum Narbonenſis ſecundæ ſibi vindicabat. Sic enim ibi ſtatutum eſt in gratiam Proculi: *Hæc ipſi tantùm in vita eiuſdem forma ſeruabitur, vt in Eccleſiis prouinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas parochias, vel ſuos di-*

ſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, primatus habeat dignitatem.

MENARDI RESPONSIO.

Menardus in capite v. Diatribæ dicit, *Verum quidem eſt in Notitiis eam Galliæ partem, quæ Viennenſis dicta eſt, à Vienna nomen accepiſſe, quæ ita etiam appellatur in Rufi breuiario, & in Notitia Imperij Occidentalis: ſed hæc ſpectant ad dignitatem ſæcularem, non ad ſpiritalem.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Sed diſſimulat vel neſcit, quod eruditi viri omnes ſciunt: ad ciuilium Præfecturarum exemplar Eccleſiaſticas Diœceſes olim ſolitas eſſe conformari: ita vt quæ ciuilis erat Metropolis, eadem & Eccleſiaſtica foret. Antiochenum Concilium opportunitatem rei ſic explicat in can. IX. *Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius prouinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere, concurrunt. Vnde placuit eum & honore præcellere.* Hoc apprimè nouerat Sidonius, qui de Patiente Lugdunenſi ſic ſcribit in libri IV. epiſt. XXV. *Fecit & Patiens vir quamlibet magnis par tamen laudibus, quod ſatis decuit facere perſonam, quæ caput eſt ciuitati per ſacerdotium, prouinciæ veſtræ per ciuitatem.* Menardus alia multa ſubiicit, ſed quæ eò ſpectent, vt Eccleſiaſtica dignitas ſæcularem & ciuilem ordinem non æmuletur: quod vt apparet, falſum eſt. Sub finem reſponſionis ſcribit: *In tertia Zoſimi epiſtola Canones primus & ſecundus Taurinenſis Concilij abrogantur.* Sed ignorat, Romanos Pontifices tunc canones Conciliorum, quæ legitima

erant, vindicare, aſſerere, non abrogare. Nec id Zoſimus obſcurè ſignificat in epiſtola ad Heſychum Salonitanum Epiſcopum: *Exegit dilectio tua præceptum Apoſtolicæ Sedis, in quo Patrum decreta conſentiunt.* Iterum, *Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apoſtolicæ Sedis auctoritas.*

Secunda cauſa, quòd vetus priuilegium appellet ius metropoliticum, quo per Viennenſem & Narbonenſem vtramque Arelatenſis Epiſcopus vtebatur. At Taurinenſi Concilio nihil dici poteſt repugnantius, vbi ſancitum eſt, vt qui ex Arelatenſi & Viennenſi Epiſcopis ſuam ciuitatem probaret eſſe metropolim, illa Eccleſiaſtico primatu gauderet; tantùm abeſt, vt vetus priuilegium confirmaretur. Deinde ius illud metropoliticum, quod ſibi in Viennenſem & Narbonenſem vtramque arrogat, omni retrò ætati inauditum eſt: imò aduerſatur iuri communi, quod in ordinandis per vnamquamque prouinciam Epiſcopis Nicæna Synodus ſtatuit. At Zoſimus contra Nicænos canones nihil vnquam molitus eſſet. Nec eſt inſuper, quo Arelatenſium Præſul exceptus canone ſexto dicatur, vbi agitur *de priuilegiis, quæ quibuſdam ciuitatibus conueniunt.* Hoc autem fingere quid abſurdius? Et tamen Antiochenus in prouincias Orientis nihil habuit, quod Arelatenſis non habuiſſet in Viennenſem, & Narbonenſem primam & ſecundam.

MENARDI RESPONSIO.

Secunda cauſa eſt, quia ius metropoliticum Arelatenſis Eccleſiæ in Viennenſem & Narbonenſem appellatur vetus priuilegium, quod repugnat Concilio

Taurinenſi, vbi ſancitum eſt, vt qui ex Arelatenſi & Viennenſi Epiſcopis ſuam ciuitatem probaret eſſe metropolim, illa primatu gauderet Eccleſiaſtico. Huic obiectioni ſuprà reſponſum eſt.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Sed hæc ſuprà confutata eſt reſponſio.

PERGIT MENARDVS.

Nec obſtat, quòd ius illud ſit omni retro ætati inauditum. non enim omnia ſcripta ſunt.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Hic communis locus eſt, quo fabuloſiſſima quæque narratio defendetur. Ab anno Chriſti MCL. ſcriptum quidem eſt, Cyriacum Papam extitiſſe, qui Pontianum inter & Anterum ſederit, Vrſulam & vndecim mille Virgines Roma Coloniam redeuntes ſecutum eſſe, ibíque martyrium feciſſe, ſed ab anno CCXXXVII. quò Pontianus obiit, ad annum M.CL. non eſt ſcriptum. quo tempore Ioannam Papiſſam Romanæ Eccleſiæ clauum tenuiſſe volunt nonnulli, id non eſt memoriæ proditum. Antequam Hericus Autiſſiodorenſis monachus B.Germani Autiſſiodorenſis miracula literis mandaret, non erat ſcriptum, Germanum hunc cùm eſſet in Britannia, vt Pelagianam hæreſim comprimeret abdicaſſe regem, quòd ei noluiſſet de habitatione accommodare, & in abdicati regis porculatorem eius ſuffeciſſe, quòd de habitatione libenter accommodaſſet. In ſumma, quæcunque progreſſu temporis excogitata fuerunt commenta, hoc communi loco propugnarentur.

PERGIT MENARDVS.

Deinde ſequeretur, multarum Metropoleon iura

Digitized by Google

eſſe falſa & ſpuria, quia de illis ante Zoſimum Papam nihil ſcriptum reperitur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Menardus non attendit ad ea, quæ ſcribit. Metropolitanorum iura ſancita ſunt in canone IV. Nicæni, & can. IX. Antiocheni Concilij: qui canones reperiuntur, & ante Zoſimum conditi fuêre.

PERGIT MENARDVS.

Neque hoc priuilegium pugnat cum Nicæna Synodo. Non enim reſcindit priuilegia, imò confirmat can. VI.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Si non pugnat cum Nicæna Synodo, cur Bonifacius ita ſcribit ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum: *Ecce enim vt caritas tua recognoſcit ex ſubditis Lutubenſis Eccleſiæ ordo vel plebis preces ſuas vel lacrymas ad nos quantum datur intelligi, magno cum labore miſerunt, dicentes Coëpiſcopum noſtrum Patroclum ſua petitione ceſſante in locum decedentis Epiſcopi neſcio quem in aliena prouincia prætermiſſo Metropolitano, contra Patrum regulas ordinaſſe, quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia conuenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicæna, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus: per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubiectas, quod illi quia aliter credendum non eſt, ſeruandum ſancto Spiritu ſuggerente ſibimet cenſuerunt.*

PERGIT MENARDVS.

Nec abſurdum eſt propterea Arelatenſem Epiſco-

Digitized by Google

pum eandem habuiſſe poteſtatem in Viennenſem & vtramque Narbonenſem, quam Antiochenus Metropolites in Eccleſias Orientis habet.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Atque hoc non eſt modò abſurdum, ſed etiam abſurdiſſimum, vt antiquitatis Eccleſiaſticæ periti iudicabunt.

Tertia cauſa, quòd *ex Trophimi fonte totas Gallias fidei riuulos accepiſſe* dicat auctor Epiſtolæ. Sed ab Eccleſiaſtica hiſtoria nihil excogitari poteſt alienius. Da primùm tu vel vnam ex vniuerſa Gallia prouinciam, quæ ſe ab Arelatenſi ſede fidem accepiſſe profiteatur. Deinde, ſi, vt contendit Milletus, ex diſcipulis Petri Sixtus fuit Remenſis Epiſcopus, ſi Martialis Lemouicenſis, ſi Sauinianus Senonenſis, ſi Memmius Catalaunenſis, ſi Eucharius Treuirenſis, ſi Fronto Petragoricenſis, ſi Iulianus Cenomanenſis, ſi ex diſcipulis Pauli Creſcens Viennenſis, ſi Paulus Narbonenſis, quomodo ex Trophimi fonte totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt? Hæc tamen premit omnia, hæc vrget aduerſarius, ſed quo cerebro? quâ prudentiâ? ſcilicet, vt in Areopagiticis campis Andabatarum certamen repræſentet, & in tanta rerum contrarietate non lumen, ſed tenebras adferat antiquæ veritati.

MENARDI RESPONSIO.

Tertia cauſa eſt, quòd ex Trophimi fonte totas Gallias fidei riuulos accepiſſe dicat auctor Epiſtolæ, quod eſt contra Milletum, qui produxit quoſdam Epiſcopos, Frontonem Petracoricenſem, Sabinianum & Potentianum, Martialem, Memmium, &c. à Petro in Gallias miſſos. At ſi quis attentus Zoſimi

Digitized by Google

verba diſpiciat, hæc cum Milleto non pugnant. Dixit enim Papa riuulos, non fluuios, quaſi ſubindicans quoſdam ex Trophimi ſchola diſcipulos per Gallias ſparſos, qui priùs Gallos fidei lymphis leuiter aſperſerunt, dum largi illi fluuij à Milleto memorati per Gallias vniuerſas exundarent.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Rhetoricatur & ridet dum ita loquitur. Nec etiam ſatis conſiderat quæ ſcribit, *Per quoſdam Trophimi diſcipulos tota Gallia fidem acceperunt.* Quomodo diſcipuli quidam, pauci ſcilicet homines opus tantum potuerunt abſoluere? abſoluerunt. Cur ergo ante Diocletiani tempora nullus in Arelatenſi Eccleſia martyr effectus eſt? Cur Imperatores, qui tam crudeli diligentia Chriſtianos vbique vexarunt, in Arelatenſes arma non conuertêre? Cur Imperatores, qui riuulos fidei conſectati ſunt & ſanguine tinxerunt, fontem ipſum omiſere? Fuerúntne in ea Galliæ parte minùs in nefariis conſiliis induſtrij, quàm in Italia vbi Chriſtianos toties appetierunt? Cur tandem quinta perſecutio, vt Lugdunenſes ita Arelatenſes non affecit, afflixítque? Quâ quæſo patientiâ homo ſic diſputans audiretur? Trophimus ſtatim atque Arelate venit, Neronis clementiſſimi Principis permiſſu, falſorum numinum cultum profligat, aras euertit, gentilium ſacerdotes vrbe pellit, ne hoc impediant Officiales Imperij auctoritate ſua vetat, ſcholam veræ religionis aperit, & multos ad Chriſti fidem pertrahit, & quia Metropolitanus erat, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos creat, quos per totas Gallias dimittit? & ſecundùm hæc omnia Me-

nardus deſignare nequit vel vnam ex vniuerſa Gallia prouinciam, vel vnam ex vna prouincia ciuitatem, quæ ſe ab Arelatenſi ſede fidem accepiſſe profiteatur. quàm ingrata eſſet vniuerſa Gallia, quæ Trophimum vt verum Apoſtolum ſuum non appellat, non colit, non reueretur, Baſilicis & ſolemni feſto non cohoneſtat? Hæc autem omnia perficiunt, vt verba illa Zoſimo tribuenda non ſint, ſed imperitiſſimo nugatori, qui epiſtolam illi ſubiecit.

Quarta cauſa, quòd hæc decretalis epiſtola in Codice canonum Eccleſiæ Romanæ non extet, cùm tamen minoris momenti non ſit, quàm quæ in eo vel ad Heſychum Salonitanum Antiſtitem, vel ad Presbyteros Rauennæ dirigitur. Taceo quòd etiam in collectione Iſidori non reperiatur.

MENARDI RESPONSIO.

Quarta cauſa eſt, quia hæc epiſtola in collectionibus Romana & Iſidori non extat. Quid tum? ſufficit, quòd illius mentio ſit apud Vſuardum & alios antiquos auctores à Milleto citatos, quibus addo vetus Martyrologium MS. ad ſimilitudinem Adonis IV. *Calend. Ian. Sed & Iſidori collectionem infrà reiicit diſcuſſor, cuius tamen auctoritatem hîc ambire non erubeſcit.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Præcipuam argumenti partem omittit, quæ ſic ſe habet. Quarta cauſa, quòd hæc decretalis epiſtola in Codice canonum Eccleſiæ Rom. non extet, cùm tamen minoris momenti non ſit, quàm quæ in eo vel ad Heſychum Salonitanum Antiſt. vel ad Presbyteros Rauennæ dirigitur. At in Romana collectione nihil de hac & aliis ſimilibus

epiſtolis

epiſtolis haberi plurimùm intereſt. Collector quippe Dionyſius vno tantùm poſt Zoſimum ſæculo ex Romanis ſcriniis Pontificum epiſtolas collegit, qui non alias ibidem, vt credere par eſt, inuenit, quàm quas collectioni ſuæ inſeruit. Qui harum Zoſimi epiſtolarum ante Francofordienſe Concilium, id eſt annum DCCXCIV. & Vſuardum meminerit, hactenus inuentus eſt nemo. quod ſignum eſt, eas tunc extitiſſe, ſed veras non eſſe rationes noſtræ confirmant. Ceteros, qui has citarunt epiſtolas, Francofordienſi Concilio & Vſuardo poſteriores eſſe conſtat. Quid Martyrologio MS. reſpondeam, paullo pòſt Menardus ſuppeditat. *Obſcura incerta auctoritatis Martyrologia producit.* Sic ei ſuas voces reddimus. Ad Iſidorum quod attinet, illius in ſua collectione de epiſtola Zoſimi ſilentium iuſtè laudaui, & illius de Anteri epiſtolis ſuffragium iuſtè recuſaui. Iſidorus enim, qui plures falſas Pontificum epiſtolas veris immiſcuit, cùm ne vnam quidem ex iis habeat, quæ ad Arelatenſium priuilegia ſpectant, aduerſus eaſdem ſuo ſilentio præſcribit. Sunt alterius, quàm huius mercatoris merces.

Quinta & vltima, quòd in epiſtolis Leonis, & Symmachi, qui exortas ſubinde Arelatenſem inter & Viennenſem Epiſcopum controuerſias diremerunt, nulla vnquam fit Trophimi vel Zoſimi mentio. At ſine dubio fieret, ſi Zoſimus illa ſcripſit omnia, quæ in eius epiſtolis de Trophimo, & de veteribus Arelatenſis Eccleſiæ ſupra Viennenſem & Narbonenſem vtramque prærogatiuis leguntur.

Digitized by Google

MENARDI RESPONSIO.

Quod ſpectat ad Leonis & Symmachi epiſtolas, non mirum eſt, ſi nulla ſit in eis mentio epiſtolæ & Trophimi, cùm ſecùs in illis atque in Zoſimi Epiſtola ſtatuatur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Immo cùm aliter ſtatuatur, facienda eſt mentio, ne querelæ & ſubreptioni vel obreptioni datus fuiſſe locus iudicetur. Id de Zoſimo Leo & Symmachus feciſſent, quod de Anaſtaſio deceſſore ſuo Symmachus fecit, ad Eonium ſcribens Arelatenſ. Epiſcopum. *Dilectionis*, inquit, *tuæ literas mandatáque filio noſtro Creſcentino Preſbytero internuntio deferente ſuſcepimus, quibus conſtat inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſiam aliquod in ordinandis Epiſcopis in vicinis ciuitatibus oriri luctamen. Illa re videlicet faciente, quòd deceſſor noſter ſanctæ recordationis Anaſtaſius tractans confuſionem prouinciæ, aliquam contra veterem conſuetudinem iuſſerit obſeruari, deceſſorum ſuorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, ſub aliqua neceſſitate tranſgrediens.* De Zoſimo autem nihil dicit, neque Leo, qui dicendi tamen occaſionem habuit, ſi veræ eſſent Zoſimi epiſtolæ, quibus Arelatenſis Eccleſiæ priuilegia confirmantur. Sic igitur Leo ſcribit in epiſtola CIX. ad Epiſcopos Prouinciæ: *Lectis dilectionis veſtræ literis, quas ad nos filij noſtri Petronius Preſbyter & Regulus Diaconus detulerunt, quàm beneuolum fratri & Coëpiſcopo noſtro Rauennio impendatis affectum, euidenter agnouimus. Siquidem poſtulatis, vt ei quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerat, reformetur. Sed petitionem fraternitatis veſtræ Vien-*

Digitized by Google

nenſis Epiſcopus miſsis literis & legatis ſuà ſuggeſtione præuenerat conquerens, Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi Vaſenſis Antiſtitis vſurpaſſe. Cùm itaque nobis & paternarum reuerentia ſanctionum, & omnium veſtra ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidi, conſequens fuit, vt ad conſeruandam intra Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret. Conſideratis enim allegationibus vtriuſque partis præſentium clericorum ita ſemper intra prouinciam veſtram, & Viennenſem, & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe repetimus, vt quarumdam cauſarum alterna ratione; nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cùm tamen eiſdem commune ius quondam fuiſſe à gentibus proderetur. Vnde Viennenſem ciuitatem, quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cùm de receptione priuilegij auctoritate iam noſtræ diſpoſitionis vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam Viennenſi Epiſcopo credimus deputandam. Qui ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt Valentiæ, Tarantaſiæ & Genauæ, & Gratianopoli, vt cum his ipſa Vienna ſit quinta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat; reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant.

Hîc multa ſunt in cauſa, cur Leo epiſtolarum Zoſimi mentionem faceret, ne de obreptione conquerendi cauſa vlla ſupereſſet.

I. Si quæ Zoſimus de Arelatenſis Eccleſiæ priuilegiis decreuiſſe legitur in epiſtolis, reipſa decreuiſſet, ea ignorare Leo non potuit. Zoſimum vidit & cum eo familiariter vixit. Zoſimus anno Chriſti CCCCXVIII. VII. Calend. Ian. migrauit, Leo tunc emendatus grauiſque iam adoleſcens vt minimùm erat, cùm anno CCCCXXXIII. Archidiaconi munere in Romana Eccleſia fungeretur, & anno CCCCXL. Pontifex creatus fuerit, anno ſcilicet poſt exceſſum Zoſimi XXI. aut XXII.

II. Verba hæc è quinta Zoſimi epiſtola: *Iuſſimus autem præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis, in ordinandis ſacerdotibus teneat auctoritatem. Viennenſem Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam prouincias ad Pontificium ſuum reuocet.*

Deinde ex eiuſdem epiſtola VII. *Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus iam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat.*

Tum ex eiuſdem epiſtola VIII. ad Hilarium Narbonenſem: *Ideóque vacuato eo, quod obtinuiſſe à Sede Apoſtolica ſubrepticiè comprobaris, quia ſatis conſtitit, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdoti priſca id inſtitutione conceſſum, vt non ſolùm in prouincia Viennenſi, ſed etiam per duas Narbonenſes Epiſcopos faciat. Nam ſancta memoria Trophimus ſacerdos quondam Arelatenſi vrbi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus ad illas regiones tanti nominis reuerentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò ea, quam acceperat auctoritate transfudit. Atque*

Digitized by Google

hanc ordinandi conſuetudinem & Pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus & iuſtus, cuſtoditum vſque in proximum tempus geſtis apud nos habitis, multorum conſacerdotum teſtimoniis approbatur.

At verba hæc, inquam, cum relatis verbis & actionibus Leonis minimè concordant: *Cùm itaque*, inquit, *nobis ita & paternarum reuerentia ſanctionum & omnium veſtrûm ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidi, conſequens fuit, vt ad conſeruandam inter Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret.* En verba. Actiones verò ſunt: *Qui* (Viennenſis Epiſcopus) *ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ & Tarantaſiæ, & Genauæ, & Gratianopoli, vt cum his ipſa Vienna ſit quinta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat, reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant.* Antiquitatis vſus, quem Leo retinere ſe velle dicit, à Trophimo ex epiſtolis Zoſimi deſcendit, & ita deſcendit vt inuiolabilem in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritatem poſſederit, atque Epiſcopos ordinarit: ſed Leo cùm antiquitatis vſum retinet, de iure Arelatenſis Epiſcopi in Narbonenſem primam & ſecundam nihil omnino ſtatuit, & dimidiam tantùm Viennenſis prouinciæ partem Arelatenſi Epiſcopo addicit: eòque facto alteram huius prouinciæ partem & Narbonenſem vtramque illi detrahit.

Digitized by Google

Quid autem quæſo poteſt eſſe magis contrarium vel Leoni, qui antiquitatis vſum retinere vult, vel Zoſimi epiſtolis, quarum verba retulimus? Quoniam verò indubitata eſt Leonis epiſtola, & aliunde credo Leonem feciſſe nihil, quod antiquitatis vſui repugnet, antedictæ Zoſimi epiſtolæ non ſubreptionis vel obreptionis modò, ſed & ſuppoſitionis conuincuntur.

III. Leonem cum Zoſimo vixiſſe familiariter, rebus ab eo geſtis interfuiſſe, & quæcunque Zoſimus antiquam traditionem ſecutus de priuilegiis Arelatenſibus in tres prouincias ſanxerat, funditus euertiſſe, & deceſſori crimen impoſturæ adeò notabilis impingere voluiſſe, quis vnquam crederet? Neque verò ſufficeret dicere, Zoſimo fuiſſe obreptum. Id enim nouiſſet Leo, & qua potuiſſet ratione Zoſimum excuſaſſet. Non excuſauit, quia Zoſimus de priuilegiis iſtiuſmodi nihil tale decreuerat.

IV. Fingamus Leonem noluiſſe id facere, quod neceſſariò faciendum fuit, quod fecit de Anaſtaſio Symmachus, id de Zoſimo feciſſet. Non tamen fecit, cùm faciendi ſeſe obtulit occaſio, vt iam vidimus. & confirmatur adhuc ex ſecunda ad Eonium Arelatenſem epiſtola, quæ ſic ſe habet: *Monuit equidem nos, quod dilectionis tuæ relatio declarauit. Namque contra regulas Eccleſiaſtici conſtituti, & aduerſum reuerendorum canonum tractatum per ſubreptionem Viennenſis Eccleſiæ Pontificem de Apoſtolica præſidente prædeceſſore noſtro ſede culpabiliter aliqua meruiſſe, cùm ſi ſit vera conqueſtio, effectum non poſſint impetrata friuolè poſſidere, nec à nobis aliquid noui poterit ordi-*

nari, niſi quæ à Patribus prædeceſſoribúſque noſtris in hac cauſa ſtatuta claruerint. Tamen ne facilè alterius partis abſentia præiudicabiliter videremur aliqua decreuiſſe, id maximè duximus ordinandum, vt fraternitas tua competenti tempore de Eccleſiaſtico ordine inſtructum non moretur de omni cauſa dirigere, qui apud nos totius veritatem cauſæ competenter alleget, quatenus pertractatis omnibus, quod ſtatuendum eſt ſub deliberationis robore ſanciatur. Ex hac igitur, & ſecunda, & prima Symmachi epiſtola ſatis intelligitur, id apud Anaſtaſium conſecutum eſſe Viennenſem Epiſcopum, vt ei redderentur prouinciæ ciuitates, quas Leo Arelatenſi Epiſcopo ſubiecerat, atque hoc pacto integra Viennenſis prouincia ad Viennenſem Epiſcopum reuocaretur. Quod cùm ita eſſet, tunc Arelatenſis Epiſcopus debuit, non ſolùm relatam Leonis epiſtolam, ſed etiam vt iura iuribus cumularet, Zoſimi epiſtolas omnes Viennenſi Epiſcopo, tanquam murum firmiſſimum opponere. Sic enim Epiſcopi Viennenſis impetum retardaſſet faciliùs, & ſperaſſet, vt in recognitione epiſtolarum & decretorum Zoſimi, Viennenſis prouincia & Narbonenſis vtraque ad Pontificium Arelatenſe reuocaretur. Arelatenſis Epiſcopus nihil horum vt apparet, præſtitit, quia vt præſtaret aliquid, memoratæ Epiſtolæ Zoſimo ſuppoſitæ nondum erant.

v. Symmachus Leonis factum ita confirmat in epiſtola x. ad Epiſcopos Galliæ, & ita confirmat, vt ſi quid ex antiquiorum Leone Pontificum decretis, Leonis decreto potuiſſet adiicere, adieciſſet. nihil adiecit. Verba ſunt: *Sedis*

Digitized by Google

Apoſtolica inſtituta prædicanda ſollicitant, vt de concordia vniuerſalis Eccleſiæ, quæ toto orbe diffuſa eſt, peruigili cura tractemus, quæ tunc præcipuè efficaciùs adoleſcit, ſi ea, quæ à Patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reuerenter obſeruet. Cæſarius ſiquidem frater & Coëpiſcopus noſter Metropolitanus Arelate ciuitatis ſacerdos Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli liminibus præſentatus ea, quæ pridem de priuilegiis Eccleſiarum conſtituta ſunt, noſtris poſtulauit innouari ſermonibus. Cuncta igitur inter Eccleſias Arelatenſem & Viennenſem à deceſſore noſtro beatæ recordationis Leone Papa, quæ ſuper hac parte ordinata ſunt, Eccleſiæ Romanæ fidelis declarat inſtructio. Sic Leonis decreto nihil adiecit ex iis, quæ Zoſimo tribuuntur, neque quæ tribuuntur Zoſimo, ſicut quæ Anaſtaſio, reſcidit. Reſcidiſſet vtique, quia ſancienda inter Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdotes concordia, id omnino exigebat. Scilicet nondum in lucem ſublatus erat, qui laudatas ſuprà epiſtolas Zoſimo appingeret.

Ceterum in editione prima poſueram: *Quinta cauſa eſt, quòd in epiſtolis Leonis, Hilari, & Symmachi*, &c. in hac ſecunda ego tantùm pono, *In epiſtolis Leonis, & Symmachi*, & nomen *Hilari*, deleo, qui de negotio hoc nihil ſtatuit. Hæc fuerat ἀπροσεξία, quam Menardus iuſtiſſimè reprehendit. Sed illa cauſæ non officit, vt apparet. Hoc enim argumentum tantæ mihi videtur efficaciæ, vt epiſtolarum Zoſimi ſuppoſitionem luculentiſſimè demonſtret.

Digitized by Google

Certæ quædam aliæ rationes, quibus earundem Epiſtolarum ſuppoſitio confirmatur ampliùs.

IV. Mantissæ locum tenent rationes illæ, quas expoſiturus ſum.

1. Hic loquendi modus, *Placuit Apoſtolicæ Sedi vt*, &c. non conuenit Romanis Pontificibus, qui ante Zoſimum vel proximè pòſt vixerunt. Siricius & Innocentius, qui vixerunt ante Zoſimum, ſic loquuntur: ille in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem capite xv. *Explicuimus, vt arbitror, frater cariſſime, vniuerſa quæ digeſta ſunt in querelam & ad ſingulas cauſas, de quibus per filium noſtrum Baſſianum Preſbyterum ad Romanam Eccleſiam, vtpote ad caput tui corporis retuliſti, ſufficientia, quantum opinor reſponſa reddimus, nunc fraternitatis tuæ animum ad ſeruandos canones & tenenda decretalia conſtituta magis ac magis incitamus.* Hic in epiſtolæ ad Victricium Rotomagenſem capite 1. *Propter eos, qui vel ignorantia, vel deſidia non tenent Eccleſiaſticam diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt, rectè poſtulaſti, vt in illis partibus iſtiuſmodi quam tenet Romana Eccleſia formam, ſeruetur, non quò noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus, quæ tamen Apoſtolica & Patrum traditione ſunt conſtituta.* Sic loquuntur etiam in iis, in quibus multo conuenientiùs quàm Zoſimus in epiſtolis, dicerent, *Placuit Apoſtolicæ Sedi vt*, &c.

In epiſtolis ſuis decretalibus non ita loquuntur,

Digitized by Google

qui proximè ſucceſſerunt, Bonifacius, Celeſtinus, Sixtus, etiam Leo, qui ſic loquitur in epiſtolæ ad Viennenſis prouinciæ Epiſcopos capite II. *Verùm hæc nos Deo, (vt credimus) aſpirante circa vos noſtræ caritatis gratiam, quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper Sedes, vt meminiſtis, impendit, nitimur conſilio maturiore corrigere, & veſtrarum Eccleſiarum ſtatum communicato vobiſcum labore componere, non noua inſtituentes, ſed vetera renouantes.* In ſumma, neque Leo, neque Symmachus in componenda Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ controuerſia his vtuntur verbis, quibus Zoſimum vti volunt. Imò neque ipſe Zoſimus vtitur in decretis ſuis, quæ in codice Canonum Romanæ Eccleſiæ videre eſt.

II. Quod de formatis dandis in epiſtolis Zoſimi dicitur, non obiiciunt Leonis & Symmachi epiſtolæ, quibus Arelatenſis Metropolis ſtabilitur; ſed obiiciunt Symmachi, Vigilij, & Pelagij Pontificum epiſtolæ, quibus Arelatenſis Epiſcopus nunc in Galliæ, & Hiſpaniæ, nunc in Galliæ duntaxat prouinciis Vicarius Sedis Apoſtolicæ inſtituitur.

III. Poſtrema epiſtolæ v. clauſula eandem ſuppoſtoris fraudem indicat: *Ad cuius* (Arelatenſis Epiſcopi) *notitiam ſi quid illic negotiorum emerſerit, referre cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen.* Deſumptum hoc eſt ex iiſdem Pontificum epiſtolis, quibus Arelatenſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ vices per Gallias committuntur. Sic iis Pontificibus poſterior eſt, qui epiſtolas Zoſimo ſubiecit.

IV. Bonifacius & Celeſtinus Zoſimi ſucceſſo-

res proximi ac proinde ſimul in eadem Romana Eccleſia nutriti, epiſtolas deceſſoris Zoſimi ſuppoſitionis meridianâ luce clariùs arguunt. De Metropolitano Narbonenſis prouinciæ perinde loquuntur, ac ſi omni retro tempore à quolibet alio Metropolitano diſtingueretur: ſic autem Bonifacius loquitur in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum. *Ecce vt caritas tua recognoſcit ex ſubditis, Lutubenſis Eccleſia, cleri ordo vel plebis preces ſuas, & lacrymas ad nos quantum datur intelligi, magno cum dolore miſerunt, dicentes, Coëpiſcopum noſtrum Patroclum ſua petitione ceſſante in locum decedentis Epiſcopi neſcio quem in alia prouincia, prætermiſſo Metropolitano contra Patrum regulas ordinaſſe. Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia conuenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicæna, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus: per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubiectas.* & poſt alia: *Ceſſet igitur huiuſmodi preſſa noſtra auctoritate præſumptio eorum, qui vltra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt.* Hæc ille anno poſt Zoſimi mortem tertio vel quarto.

Sic etiam Celeſtinus loquitur in epiſtola ad Epiſcopos prouinciarum Viennenſis & Narbonenſis. *Vt iuxta decreta canonum vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano contenta ſit, vt deceſſoris noſtri data ad Narbonenſem Epiſcopum continent conſtituta, ne vſurpationis locus alicui ſacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit conceſſis ſibi contentus vnuſquiſque limitibus.* Hæc ille anno poſt obitum Zoſimi vndecimo.

Digitized by Google

Sic alter alterius decretum confirmat, & vterque Zoſimi Epiſtolas ſuppoſitionis arguit, quia neuter id vnquam feciſſet, certè eo modo, quo fecit, ſi provt Zoſimus declarat, Arelatenſis Epiſcopus à tempore Trophimi poteſtatem in Narbonenſem primam & ſecundam habuiſſet. Zoſimus erátne minùs diligens paternarum ſanctionum cuſtos, quàm Bonifacius & Celeſtinus, ita vt ille Arelatenſi Epiſcopo in Narbonenſem vtramque ius aſſereret, quod hi poſtea detraherent? Bonifacius & Celeſtinus erántne minùs diligentes paternarum ſanctionum cuſtodes, quàm Zoſimus, ita vt illi Arelatenſi Epiſcopo in Narbonenſem vtramque ius detraherent, quod hic aſſeruerat? Bonifaciús-ne & Celeſtinus ius illud à deceſſore ſuo aſſertum conuellerent, nec ei fraudulenter obreptum eſſe conquererentur? Quis vnquam perſuaderet ſibi voluiſſe Bonifacium & Celeſtinum funditus euertere, quidquid Zoſimus de Arelatenſis Eccleſiæ dignitate, & prærogatiua, & multis epiſtolis conſtabiliuerat, & omni retro ætate conſtabilitum declarauerat: Idque verbis perfectè diſertis; ſemel in Epiſtola v. *Iuſſimus præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis, in ordinandis ſacerdotibus teneat auctoritatem, Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam prouincias ad Pontificium ſuum reuocet.* Iterum in epiſtola vii. *Contra ſtatuta Patrum & ſancti Trophimi reuerentiam concedere vel mutare, ne huius quidem ſedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam. Præcipimus, vt Metropolitanus*

Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus, iam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat.

In ſumma, quæ Zoſimus in his epiſtolis ſcribere dicitur, non poſſunt conſiſtere, ſi veræ ſunt Bonifacij & Celeſtini epiſtolæ, ſed cùm hæ in ſuſpicionem falſitatis venire nequeant, epiſtolas Zoſimo ſubiectas eſſe oportet. Bonifacij porro & Celeſtini epiſtolæ reperiuntur in codice Dionyſij, qui Iuſtiniano imperante claruit.

v. Ponamus modò genuinum eſſe Epiſcoporum prouinciæ libellum ſupplicem, quem ſubdititium oſtendemus. In hoc libello, qui anno ccccl. oblatus Leoni Papæ traditur, de Zoſimo ne verbum quidem vllum iniicitur. Ex quo facilè intelligitur, nullas tunc illius de his Arelatenſibus priuilegiis epiſtolas extitiſſe. Anni tantùm erant triginta & vnus, quòd Zoſimus exceſſerat. Omnes Epiſcopi prouinciæ viderant vel videre potuerant Zoſimum, & Zoſimi decreta, ſi quæ nunc illi adſcribuntur, edidiſſet. Nec illa proinde in libello tacuiſſent, quo ad ea confirmanda Leo faciliùs induceretur. Tacuerunt vtique, quia quæ tunc Zoſimi decreta laudarent, nulla extabant. In genere quidem deceſſorum Leonis auctoritatem memorant, ſed quinam ſint deceſſores non explicant, ne allegatio falſa detegatur. quod eſt artificium illius, qui libellum Epiſcopis ſuppoſuit.

Digitized by Google

Oblatus Leoni Papæ Epiſcoporum Prouinciæ libellus opponitur, ſed reiicitur & νοθείας accuſatur.

V. LIBELLVS hic ita ſe habet.

Memores quantum honoris & reuerentiæ beatiſſimæ Sedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, pro meritis ſanctitatis voluit præſidere; ſemper debitum fuerit, ſempérque debeatur, ordinationem, qua ſanctus frater & Coëpiſcopus noſter Rauennius in ciuitate Arelate poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarij Epiſcopi, concordantibus omnium votis ad ſummum Pontificium Domino fauente prouectus eſt; miſſis continuò literis Apoſtolatui veſtro indicare curauimus. Quibus à beatitudine veſtra tanta dignatione & caritate fuiſſe reſponſum, immenſas gratias agimus; etſi tantas, quantas debemus, referre non poſſumus. Notum licèt nobis antè iam fuerit, prædictum ſanctum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum maximè coronæ veſtræ gratiam morum ſuorum manſuetudine & ſanctitate meruiſſe, perceptis nunc tamen beatitudinis veſtræ literis quanta eum caritate complectamini, euidenter agnouimus. Vnde præmiſſis officiis, quæ Apoſtolatui veſtro iure debentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ iuſtitiæ partibus fungitur, audiendam à corona veſtra minimè dubitamus. Quippe cùm non aliqua noua inſtitui, ſed priſca per vos optamus & antiquâ reparari. Nec enim iuſtum eſt, vt honorem eius, quem, vt probauimus, impensè diligitis, illa res minuat, quæ pietatem veſtram alter offendit. Et ſanè manifeſtum eſt Eccleſiæ Arelatenſi diuina gratiæ

fauorem adeſſe, cui talem habere contigit ſacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apoſtolicæ Sedis auctoritatibus reformata. Omnibus itaque Gallicanis regionibus notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo S. Trophimum habere meruit ſacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infuſum, priúſque alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt ſacerdotes, quàm Viennenſem ciuitatem, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos. Iure etenim ac meritò ea vrbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis obtinuit, quæ in S. Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias hoc quod diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cuius honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoréſque noſtri velut matrem debito ſemper honore coluerunt, tenentéſque traditionem totam ab hac ſibi ciuitatis noſtræ ſede Epiſcopos poſtularunt. Ab huius Eccleſiæ ſacerdote tam deceſſores noſtros, quàm nos ipſos conſtat, in ſummum ſacerdotium donante Domino conſecratos. Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores beatitudinis veſtræ hoc quod erga priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio veſtra tradiderat, promulgatis, ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis proculdubio continent, auctoritatibus confirmarunt, credentes plenum eſſe rationis atque iuſtitiæ, vt ſicut per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum princi-

Digitized by Google

pem, ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſuprà omnes totius mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ ſanctum Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi Pontificium vindicaret. His ſecundùm religionem vtitur priuilegiis Eccleſia memorata. Ceterùm multa ſunt, quibus ſecundùm inſtituta Principum cunctis intra regiones noſtras ciuitatibus præferatur. Hæc in tantùm à glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, vt ab eius vocabulo, præter proprium nomen, quo Arelas vocatur, Conſtantina nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus, & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus priuilegiis; &, vt verbo ipſorum vtamur, matrem omnium Galliarum appellando decorarunt. In hac vrbe quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentare voluit inſignia dignitatis, Conſulatum ſuſcepit & dedit. Hanc ſublimiſſimæ præfecturæ, hanc reliquæ poteſtates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. Ad hanc ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur, & planè ita ſibi erga priuilegia memorata vel Eccleſiæ, vel ciuitatis diuina, vt credimus, diſpenſatione omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in ſacerdotio, antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo opportunitatis gratia poſſederit. Vnde factum eſt, vt non ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum contemplatione ſancti Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſollicitudinem ſemper

ſuam

Digitized by Google

ſuam curámque reuocarit. Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propria gubernaret, verùm etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret. His itaque omnibus intimatis, & in notitiam beatitudinis veſtræ fideli aſſertione perlatis, quæſumus & obſecramus coronam ſanctimoniæ veſtræ per nomen Domini noſtri Ieſu Christi, qui in vobis iuſtitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius ſanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatiſſimum Apoſtolum Petrum, quem vita & conuerſatione veſtra nobis diuino munere redditum credimus, vt quidquid Arelatenſis Eccleſia, ſicut ſuperiùs indicauimus, vel ab antiquitate ſuſcepit, vel poſtea auctoritate Sedis Apoſtolicæ vindicauit, id omne ad ſuum Pontificium reuocare eiuſdem Eccleſiæ ſacerdotem beatitudinis veſtræ auctoritas in perpetuum manſura præcipiat. Ipſi autem vel officiorum cauſa, vel huius legationis obtentu ſanctimoniæ veſtræ nos præſentaſſemus aſpectibus, niſi alios infirmitas, alios anni præſentis penuria ab hac votorum noſtrorum cupiditate reuocaſſet. Sed confidimus in Domino Ieſu Chriſto, qui precibus & deſideriis noſtris effectum promptiſſimæ pietatis veſtræ præſtitit, quòd qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum poſtea referendarum per noſmetipſos actione fungemur.

Poſt epiſtolam Zoſimi quintam opponitur libellus Epiſcoporum Prouinciæ Leoni Papæ oblatus, quo renouanda Arelatenſis Eccleſiæ priuilegia poſtulant. Sed multa ſunt, quæ ſubdititium eſſe hunc libellum probent, & ab imperito quodam conſarcinatum.

Primum, quòd nulla ſit in libello ſupplici honorifica Papæ illius, cui mittitur, inſcriptio. At hoc eſt contra Gallicanorum Antiſtitum morem, vt conſtat ex epiſtolis, quas ad Leonem ipſum & alios Pontifices dirigunt.

MENARDI RESPONSIO.

Dico non mirum id eſſe, quia non eſt epiſtola, ſed libellus apologeticus & precatorius, cuius initium non caret verbis honorificis, quibus vt par eſt Metropoleos Arelatenſis Epiſcopi Romanum Pontificem proſequuntur in hunc modum: Memores quantum honoris & reuerentiæ Sedi Apoſtolicæ, &c. *quæ locum honorifici tituli tenent.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

At nemo vidit vnquam oblatos Principibus apologeticos vel libellos ſupplices, qui honorifica illorum, quibus offeruntur, inſcriptione careant. relata ex initio libelli verba honorifica, non magis Leonem, quàm alium quemlibet Pontificem deſignant. Deſignandus certè fuit Pontifex, cui preces diriguntur. Hæc eſt culpa, quæ in Epiſcopos Prouinciæ cadere non poteſt.

Alterum, quòd hic libellus ſine Conſule ſit & die, quæ duo publicis monimentis auctoritatem vindicant.

MENARDI RESPONSIO.

Reiiciendi libelli non eſt hæc idonea cauſa, alioquin epiſtola Synodi Arelatenſis prima ad Silueſtrum Papam ſpuria eſſe: indicanda, & multa alia quæ his notis carent: deinde nulla fuit neceſſitas huic libello diem & Conſulem apponere. Huius enim rei decretum à Conſtantino factum eſt pro conſtitutionibus & edictis.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Diei & Conſulis prætermiſſio eſt maior, vel minor falſitatis nota, pro varietate circunſtantiarum, quibus inſtrumenta die & Conſule carentia veſtiuntur. In hoc libello nihil planè deprehenditur, quo Leoni potiùs, quàm Anaſtaſio vel Symmacho, qui tres Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ cauſam tractarunt, nuncupetur, atque ita libellus incertæ prorſus eſt auctoritatis. Non moror titulos duos, qui à librariis pro-vt voluerunt, appoſiti fuere. Non facit ad rem epiſtola Synodica Concilij Arelatenſis ad Silueſtrum, tum quia Conſtantini legem, quæ Probiano & Iuliano Conſulibus lata eſt, antecedit, tum quia ſeipſam ſatis prodit: Silueſtro Papæ inſcribitur, Epiſcopi, qui Concilio ſubſcribunt, eundem Pontificem ſalutant, & epiſtola præ ſe fert canonum breuiarium; quæ tria diei & Conſuli certo quodam modo æquiparantur. Denique poſt Conſtantini legem magna ſemper adhibita eſt cautio, vt Eccleſiaſtica geſta notis publicis communirentur. Supplex Epiſcoporum prouinciæ libellus inter acta Eccleſiaſtica referendus eſt, cùm ſi veritate nitatur, ſine Epiſcoporum Concilio Leonis tempore decerni non potuerit. Perſiſtit igitur ſecunda ratio, quâ libello ſupplici dicam falſi ſcribimus.

Tertium ex his verbis ducitur: *Omnibus Gallicanis regionibus notum eſt, ſed nec ſacroſancta Romanæ Eccleſiæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas miſſum à Petro Sanctum Trophimum habere meruit ſacerdotem.* At iſtud tam obſcurum, quàm quod obſcuriſſimum. Ete-

Digitized by Google

nim nullus eſt, Græcus vel Latinus, Gallus, vel Italus ſcriptor, qui per annos à Chriſto ſexcentos huic rei fidem præſtet. Immo verò ſunt, qui contrarium manifeſtè affirment, Saturnini martyris hiſtoriæ ſcriptor, & Gregorius Turonenſis; quorum primus, quâ fronte id auſus eſſet de Trophimo ſcribere, quod Gallicanarum regionum, & Eccleſiæ Romanæ traditioni contradiceret, & *fideli* præterea *recordationi* tribuere, quod infami tribuendum mendacio fuiſſet? Alter verò quâ audaciâ notam veritatem oppugnaſſet, qui ceteroquin alibi non omiſit, quæ de Saturnino & Eutropio rumor incertus euulgarat?

MENARDI RESPONSIO.

Sed non idcirco id quod in libello dicitur, falſum eſt, alioquin alia infinita monumenta antiquitatis falſa eſſent, quorum nulla fit mentio à ſcriptoribus tum Græcis, tum Latinis, qui ante ſexcentos annos poſt Chriſtum natum ſcripſerint. Huius rei memoria Romæ erat, vbi antea ſæpius altercationes inter Viennenſem & Arelatenſem Epiſcopos diſceptatæ fuerant. Nouerant Galli apud quos ante Gregorium Turonenſem, aut ſcriptorem paſſionis S. Saturnini erant S. Trophimi acta.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Reſponſio eſt hominis difficultate impediti, qui & vltimam rationis meæ partem, eámque fortiorem amputat, & multa ſine probatione vllà iacit in commentarios. Profectò Menardi me pudet rationem meam ita eludentis, poſtquam apud Gregorium nomina tria puerorum totidem, qui cum Babyla paſſi ſunt, in apocryphis

habuit, quòd illa non exprimant de pueris Philoſtorgius, Chryſoſtomus & Theodoretus locuti. Sic ergo poſt reſponſionem volaticam ratio euadit inuictior.

Quartum ex his verbis colligitur: *Et exinde* (Arelatenſi ciuitate) *aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infuſum.* Hæc, quæ cum epiſtola Zoſimi quinta conueniunt, pari ratione diſſipantur. Deinde quid magis contrarium eſt Innocentio primo ſcribenti, *manifeſtum eſſe in Gallia nullum inſtituiſſe Eccleſias niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.*

MENARDI RESPONSIO.

Reſpondetur, hæc Innocentij verba capienda eſſe tam de Romanis Pontificibus, quàm de eorum legatis.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

In reſponſione ex relatis à me libelli verbis Galliarum nomen expunxit, ne tota vis argumenti pateret. Neque enim Lugdunum, neque Toloſa, neque Narbo, neque Pariſij, neque Turones, neque innumerabiles ciuitates aliæ fidem ab Arelatenſi Eccleſia acceperunt. In ſumma, Trophimum pro Apoſtolo ſuo Gallia non agnoſcit. Deinde quoquo ſenſu capiantur verba Innocentij, cum libelli verbis conciliari nequeunt, niſi velit Innocentius Petrum vel aliquem Petri ſucceſſorem in Gallias miſiſſe Trophimum, à quo primùm Arelate, tum illius & diſcipulorum opera regiones Galliarum ceteræ fidem paulatim acceperint. At iſte ſenſus Innocentio repugnat, vnde non priùs viri docti reſponſionem Menardi

Digitized by Google

legent, quàm vt ab Innocentij ſcopo alienam reiiciant, atque ita ratio hæc illibata perſiſtet.

Quintum ex his verbis habetur: *Prius alia loca ab hoc riuo fidei* (Trophimo & eius Arelatenſi ſede) *quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt ſacerdotes, quàm Viennenſem ciuitatem, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos*. At ex ſcriptis eorum, qui Leonis tempore vixerunt, oſtendat aduerſarius, quænam ciuitates ante Viennenſem Epiſcopos habuerint in Gallia, & eos habuerint ab Arelatenſibus? Tum Adonem cum hoc libello conciliet: ſic enim de Trophimo diſſerit ætate ſexta anno LIX. *Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias perueniſſe, & Arelatæ Trophimum, Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.*

MENARDI RESPONSIO.

At diſcuſſor oſtendat, quos ſcriptores habuerit Eccleſia tempore Leonis, qui de Arelatenſi, Viennenſi, & aliis Galliæ Eccleſiis ſcripſerint. & quamuis ex Adonis Chronico Vienna Epiſcopum à ſancto Paulo primùm habuerit, credibile par eſt priùs veniſſe Paulum Arelatem ob ciuitatis illius proximitatem, nobilitatem & commoditatem, ibique conſtituiſſe Trophimum Epiſcopum, qui quoſdam miſerit Epiſcopos, & Paulum aliquandiu ibi manſiſſe, & per loca vicina concionatum, & tandem Viennam adiiſſe, ibique Creſcentem Epiſcopum ſtatuiſſe.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Quod argumentum ſoluere non poteſt, figmentis neſcio quibus eludit. *Paulus*, inquit, *Arelatem venit, ibi manſit aliquandiu, & per loca*

Digitized by Google

vicina concionatus eſt. cur autem Arelatem venerit, inter alia fecit ciuitatis nobilitas. Qui auctores vrbis huius nobilitatem commendant, nec antiquiores Paulo nec æquales fuere. In notitia prouinciarum Galliæ, Viennenſis prouinciæ ciuitatum penultima eſt. Ad Arelatem nobilitas poſt Pauli tempus acceſſit. Menardus inſtitutis recentibus vetera metitur. Deinde fingit Trophimum à Paulo factum Arelatenſem Epiſcopum, nonnullos per Gallias Epiſcopos priùs miſiſſe, quàm Paulus ipſe Viennam adiret. Sed quæro cur non potiùs Paulus, quàm Trophimus Epiſcopos illos miſerit? Scilicet Trophimus clericorum ſtatim (quia tunc illud erat factu facile) ſeminarium inſtituit, atque ex iis quoſdam conſecrauit Antiſtites, quos per Gallias legauit. Hîc miror, cur vrbes, quibus euangelium importauerint, non nominauerit, quia cùm ſortitò ſcribit, æquè potuit vrbes illas nominare ac dicere, *Trophimum, priuſquam Paulus Viennam ſe conferret, quoſdam per Gallias Epiſcopos miſiſſe.* Tum in Trophimo & Creſcente, & ſibi & auctoribus ſuis contradicit. Libellus ſupplex quem aſſerit & tuetur, diſertè notat Arelatenſem ciuitatem miſſum à Petro Trophimum habuiſſe ſacerdotem. Menardus ſcribit, Paulum in Arelatenſi ciuitate Trophimum Epiſcopum conſtituiſſe. Ado ex rumore tradit: *Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias perueniſſe, & Arelata Trophimum, Vienna Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.* Aliud eſt, Creſcentem Viennæ ad prædicandum relinquere, aliud ibi Creſcentem Epiſc. conſtituere. Menardus contrà intre-

pidè affirmat Paulum Viennæ Creſcentem Epiſcopum ſtatuiſſe; quod & aduerſatur Vſuardo, quem Milletus opponit, & à Milleto conuenienter oppoſitum Menardus defendit: ſic loquitur Vſuardus v. Calend. Iulij: *Apud Galatiam beati Creſcentis diſcipuli ſancti Pauli Apoſtoli, qui in Gallias tranſitum faciens verbo prædicationis multos ad fidem conuertit. Rediens verò ad gentem, cui ſpecialiter Epiſcopus fuerat datus, Galatas vſque ad beatum finem vitæ ſuæ in opere Domini confortauit.* Apud Vſuardum Creſcens Galatarum Epiſcopus ſpecialis dicitur, apud Menardum Viennenſis inſtituitur Epiſcopus.

Poſtremò fruſtrà à nobis exigit, vt id præſtemus, quod vti præſtaret, non ſine cauſa exegimus. Nempe vtitur libello ſupplici, quem auctoribus duobus opponit, ſcriptori paſſionis ſancti Saturnini, & Gregorio Turonenſi Epiſcopo qui ante annos pluſquam mille paſſioni fidem tribuit. Sed nullus auctor Gregorio vetuſtior, nullus æqualis, nullus ſuppar libello ſupplici teſtimonium vllum præbet.

Enimuerò præſto, quod à me præſtari cupit. Prudentius, qui paulo ante Leonem floruit, ſanctorum Martyrum & Confeſſorum, qui tunc illuſtriores habebantur, laudes canit, & Paulum Narbonenſem, ac Geneſium Arelatenſem ita celebrat in hymno IV.

Barcino claro Cucufate freta
Surget & Paulo ſpecioſa Narbo:
Téque præpotens Arelas habebit
Sancte Geneſi.

Fortunatus, qui vno poſt Leonem ſæculo vixit,

Digitized by Google

Prudentij factum exequitur, & in libri v. hymno II. Arelatenſes Sanctos ſic prædicat:

Atque adſcita tibi ſernetur ab vrbe Geneſi
Regula Cæſarij Præſulis alma pij,
Qui fuit Antiſtes Arelas de ſorte Lirini.

Iterum in libri VIII. poëmate IV. hos & alios Arelatenſes Sanctos ita celebrat:

Has inter comites coniuncta Ceſaria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus,
Cæſarij monitis luci ſociata perenni
Si non martyrij, virginitatis ope.

& poſt alia:

Porrigit ipſa decens Arelas pia dona Geneſi
Aſtris Cæſario concomitante ſuo.

Si tempore Zoſimi, ſi tempore Leonis Gallicanis regionibus cunctis id notum fuiſſet, quod epiſtolæ Zoſimi, quod Epiſcoporum Prouinciæ libellus ſupplex notum eſſe dicit, quis vnquam crederet, Prudentium & Fortunatum oblatâ occaſione Trophimum incelebratum reliquiſſe? Statuat nunc ſibi ante oculos vir prudens & cordatus epiſtolas Zoſimi, & libellum ſupplicem, & quidquid in iis de Trophimo dicitur magnificè; tum remoto omni ſtudio partium videat, num Prudentius Paulum Trophimi collegam & Arelatenſem Geneſium, num Fortunatus Geneſium ac Cæſarium ſemel atque iterum laudare, vrbémque Arelatem nominare, & Trophimum omittere meritò potuerint? Potiori ſanè titulo Trophimus, quàm Geneſius caneretur aut Cæſarius, & Arelas Trophimi, quàm Geneſij vrbs appellaretur. Si quis igitur hæc omnia inter ſe committat, furtiua eſſe & ad poſterio-

Digitized by Google

rem duobus iſtis ſcriptoribus ætatem pertinere ſine vllo negotio iudicabit.

Sextum ex his verbis concluditur: *Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores beatitudinis veſtræ, hoc quod erga priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio veſtra tradiderat, promulgatis, ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis proculdubiò continent, auctoritatibus confirmarunt; credentes plenum eſſe rationis atque iuſtitiæ, vt ſicut per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ Sanctum Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi Pontificium vindicaret.* Vide quæſo ac circumſpice, quid libellus Leoni, quid Leonis prædeceſſoribus tribuat falſi? quid abſurdi? Nemo ſanè adduci poterit vnquam, vt credat tempore Leonis fuiſſe, qui Arelatenſem in omnes Galliæ Eccleſias principatum venditaret, quem publica diſciplina redarguiſſet, quem omnis retrò memoria damnaſſet. Hæ & ſimiles impoſturæ ad poſteriora & obſcuriora ſæcula pertinent.

MENARDI RESPONSIO.

Quibus verbis (libelli) *malè intellectis diſcuſſor exiſtimat Arelatenſem Eccleſiam ſibi in omnes Galliæ Eccleſias principatum vindicaſſe, quod quidem abſurdiſſimum iudicat, & ego quidem. Quod nunquam in horum Pontificum Leoni ſupplicantium mentem venit, cùm dicant tantùm Arelatenſem Eccleſiam ſibi vendicare Pontificium ordinandi Epiſcopos intra Gallias, non verò principatum in omnes Galliæ Eccleſias, vnde petunt tantùm, vt Eccleſiæ*

Digitized by Google

conſeruetur priuilegium intra Gallias primatus in ſacerdotio antiquitatis merito, quem poſtea ſic declarant. Vnde factum eſt, vt non ſolùm prouincia Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum contemplatione S. Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſolicitudinem ſemper ſuam curámque reuocarit. Itaque cùm ſibi ſemper Pontificium ordinandi intra Gallias vindicarit Arelatenſis Eccleſia, hoc nihil aliud ſonat, quàm ius Metropoliticum in tres memoratas prouincias, vt ſine Arelatenſi Epiſcopo nullus præſumat ordinare in eis Epiſcopos, vt videre eſt in epiſtola Hilari Papæ, quod eſt ius antiquum Metropolitarum, vt videmus in Antiocheno & Alexandrino Epiſcopis & ſimilibus in Nicæna I. Synodo can. VI. *Quare illa comparatio allata de Romana Eccleſia claudicat.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Quòd ſi comparatio illa claudicat, diſcuſſor libelli verba non malè intellexit, quia ad libelli mentem intellexit, atque ita malè intellexiſſe perperam arguitur. Sed inter Menardum & diſcuſſorem hoc intereſt, quòd Menardus falſam & inſulſam comparationem Epiſcopis Leoni æqualibus adſcribat, diſcuſſor verò hanc illis non irroget iniuriam. Atque ita monachus in Epiſcopos & in diſcuſſorem, vt vidimus, peccare non veretur. Quod neglectu quærendæ & aſſerendæ veritatis accidit: deinde idem pugnantia loquitur, cùm hinc dicat comparationem, quam ab auctore libelli inſtitutam ſignifico, nunquam in Pontificum Leoni ſupplicantium mentem veniſ-

ſe, inde comparationem claudicare. Id enim in Pontificum mentem venit, quod illi fecerunt, at inſtituerunt comparationem quæ iudice Menardo claudicat. Tum vt oſtendat claudicare illam ſimilitudinem, Pontifices Leoni ſupplicantes pugnantia locutos inducit. Ex verbis enim libelli docet Epiſcopos Arelatenſi Eccleſiæ vindicaſſe tantùm ius metropoliticum in tres prouincias, quod à tempore Trophimi poſſederat. Quòd autem ius tale Arelatenſi Eccleſiæ, & conuenire, & Nicænæ Synodi canone VI. aſſertum eſſe ſcribit, egregiè fallitur, & præterea iniurioſus eſt in Leonem, qui priuilegium cùm omni retro ætate, tum à Nicænis Patribus confirmatum ſuſtulit. At nemo neſcit, nullum vnquam fuiſſe Pontificem, qui canonem illum VI. magis aſſeruerit, & magis vindicauerit. Legat qui voluerit, Leonis epiſtolam LIII. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, LIV. ad Martianum Auguſtum, LV. ad Pulcheriam Auguſtam, LXI. ad Iuuenalem Hieroſolymitanum, LXII. ad Maximum Antiochenum. Legat, inquam, qui voluerit, has epiſtolas, & me vera dicere, & Menardum mentiri ac in Leonem contumelioſiſſimum eſſe certò comperiet.

Sed ne ſint hæc omnia, Leonem audiamus de Hilario Arelatenſi decernentem in capite II. epiſtolæ, quam ad Viennenſis prouinciæ Epiſcopos ſcribit: *Hunc tramitem ſemper inter maiores noſtros, & bene tantùm & ſalubriter conſtitutum Hilarius Eccleſiarum ſtatum, & concordiam ſacerdotum nouis præſumptionibus turbaturus exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, vt ſe beato Apoſtolo*

Digitized by Google

Petro non patiatur eſſe ſubiectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans, & debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum ius transferens dignitatem. Deinde in cap. VI. *Ordinationem ſibi, vt iam antè diximus, ſinguli Metropolitani ſuarum prouinciarum cum his, qui ceteros ſacerdotij antiquitate praeueniunt, reſtituto ſibi per nos iure defendant, alienum ius alter ſibi non audeat vindicare. Suis limitibus, ſuis terminis ſit vnuſquiſque contentus, & priuilegium ſibi debitum in alium transferre ſe poſſe, nouerit non licere.* Tum in cap. VII. *Suis vnaquaque prouincia ſit contenta Conciliis, nec vltrà Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & ſacerdotum Domini iudicia ſe interſerendo turbare, qui non tantùm nouerit ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis prouinciæ, quam malè vſurpauerat, poteſtate priuatum.* Poſtremò in cap. VIII. *Non enim nobis ordinationes prouinciarum veſtrarum defendimus, quod poteſt forſitan ad deprauandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri, ſed vobis per veſtram ſolicitudinem vindicamus, ne quid vlterius liceat nouitati, nec præſumptori locus vltrà iam pateat priuilegia noſtra caſſandi.*

Ceterum Hilarus Leonis ſucceſſor, quem Menardus laudat, in epiſtola VII. ad Leontium nihil tradit, quod vel Leoni contradicat, vel præſenti cauſæ ſeruiat, id eſt tueatur ea, quæ in libello ſupplici redarguimus, vel quæ ipſe Menardus redarguit.

Septimum ex his verbis colligitur: *Cui* (Trophimo & Arelatenſi Eccleſiæ) *id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propria gubernaret; verùm etiam omnes Gal-*

lias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandatâ, ſub omni Ecclesiaſtica regula contineret. At hæc oratio impoſtorem manifeſtè prodit, Cæſario, Auxanio, Aureliano & aliis Arelatenſium Epiſcopis poſteriorem, quibus Epiſcopi Romani ſuas in Gallia vices identidem delegarunt. Quare non his furtiuis precibus Leo, ſed aliis epiſtolis reſpondet, quæ vt & illæ de electione & conſecratione Rauennij, vel adhuc deliteſcunt in Bibliothecis, vel iniuria temporum perierunt.

MENARDI RESPONSIO.

Quoniam verò reſponſio hæc multa complectitur, eam vitandæ confuſionis gratiâ, in multas partes diuidemus. Sed ante omnia de mala Menardi fide conqueror, quòd libelli verba non retulerit, vt ſe habent, vel certè, quòd diminutè retulerit vel expreſſerit. Sic enim reſpondet: *Septima, quia in hoc libello dicitur, olim Eccleſiæ Arelatenſi conceſſum eſſe, vt eius Pontifex vices Apoſtolicæ Sedis in Galliis gereret, quod cum veritate pugnat, quia hoc priuilegium ante Cæſarium, Auxanium & Aurelianum non eſt Arelatenſi Eccleſiæ conceſſum. Sed hoc falſum eſt. Etſi enim non extent Romanorum Pontificum in hanc rem epiſtolæ ante Cæſarium, tamen ex eorundem epiſtolis Cæſario antiquioribus colligitur.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Et primò quidem concedit nullas extare Pontificum Romanorum Cæſario antiquiorum epiſtolas, quibus Pontifex Romanus vices in Galliis ſuas Arelatenſi Epiſc. delegarit. Deinde contendit priuilegium iſtud ex Romanorum Pontificum epiſtolis Cæſario antiquioribus colligi. Sed colli-

Digitized by Google

gi nego, nec ita poſſe colligi, vt priuilegium ſit Leone vetuſtius. colligi tamen deberet, vt ſua libello ſupplici conſtaret veritas. Id deinceps examinandum eſt.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Id clarum eſt ex epiſtola Hilari Papæ ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem, vbi agens de Gallicana Eccleſiæ diſciplina ſic ei mandat: Cui ſi aliquid eruditionis vel correptionis addendum eſt, rectiſſimè per diligentiam veſtram conſuletur.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

In his verbis ne vnus quidem apex, quo Hilarum ſuas in Galliis vices Leontio dediſſe colligatur. Res ita geſta eſt. Hilarus epiſtolam de Epiſcopatus ſui primordiis ad Leontium mittit, deinde Hilarus in alia epiſtola reſpondet ad literas Leontij quas ſcripſerat, cùm præcedentem Hilari epiſtolam nondum accepiſſet. In hac ſecunda epiſtola Leontium ſic alloquitur: *Affectus itaque tui gratiam perire non paſſus es, quòd ei ſolicitudini intentum te eſſe cognoſco, vt cuſtodiendis paternorum canonum regulis ſtudere me cupias. Quo deſiderio nihil concipi ſalubrius poteſt, quàm vt in vna Eccleſia, cui oportet nec macula aliquid ineſſe, nec ruga, vna ſit in omnibus obſeruatio diſciplinæ; Cui ſi aliquid eruditionis aut correptionis addendum eſt, rectiſſimè per veſtram diligentiam conſuletur, ſi quemadmodum es dignatus ſcribere, tam inſtructa ad nos fuerit perſona directa, quæ inquiſitionem noſtram plenè ex omnibus poteſt inſtruere.* Sic Menardus otio abutitur, & literis & lectorum patientia, dum ait ex hac epiſtola clarum eſſe, Hilarum Leontio vicariam per Gallias præfecturam commiſiſſe.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Id clarum eſt ex epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap. I I. *qua mandat , vt per ſingulos annos congregetur Concilium , ſecundùm diſpoſitionem fratris & Coëpiſcopi noſtri Leontij , cui ſolicitudinem in congregandis Metropolitanis delegauimus.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Hilarus ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis , Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium Penninarum ſcribit epiſtolam,in cuius capite II. ſic ſtatuit : *Per ſingulos itaque annos ex prouinciis , quibus potuerit congregari , habeatur Epiſcopale Concilium , ita vt opportunis locis atque temporibus ſecundùm diſpoſitionem fratris & Coëpiſcopi noſtri Leontij , cui ſolicitudinem in congregandis fratribus delegauimus , Metropolitanis per eius literas admonitis celebretur.* Sic Pontifex vnum quid tantùm Leontio iniungit , ſcilicet , vt quotannis Epiſcopale celebret Concilium , Metropolitanis non quibuſcunque Galliæ , ſed Viennenſis prouinciæ , Lugdunenſis , Narbonenſis vtriuſque, & Penninarum Alpium dumtaxat , per Leontij literas admonitis. Hoc autem munus cùm Leontio iniungit Hilarus, eum-ne per prouincias Viennenſem , Lugdunenſem , Narbonenſem vtramque, Alpes Penninas , & per omnes Gallias Vicarium conſtituit , *qui eas ſub omni Eccleſiaſtica diſciplina contineat* , vt libellus diſertè loquitur ? Conſultò igitur Menardus libelli verba reticuit, quo doloſiſſimam reſponſionem faciliùs compararet.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Et eadem Vicariatus poteſtas patet cap. III. *epiſtola ad Epiſcopos Galliæ.*

RESPON-

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

O ſincerum Milleti vindicem! Caput III. ſic ſe habet: *Præterea eiuſdem fratris libellus oblatus eſt nobis quo perhibet, parochias Arelatenſis Eccleſiæ à prædeceſſore ſuo Hilario in alios, quod non licuit, fuiſſe tranſlatas, petens illa priſtino iuri noſtrâ auctoritate reſtitui. Sed moderaminis Apoſtolici memores fraternitati veſtræ querelam ipſius remiſimus audiendam, vt in conuentu veſtro ea, quæ à nobis ſperata ſunt, allegentur, & quæ Eccleſiaſticis regulis congruunt, decernantur.* Ecce tibi caput III. quo Arelatenſis Epiſcopi Vicariatus per omnes Gallias Menardo conſtat.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Huc ſpectat eadem Hilari epiſtola I. ad eundem Leontium, in qua ei ſuam promotionem ad Pontificatum ſignificat, præcipitque, vt eandem ad ceteros Galliæ Epiſcopos notam faciat.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Non audet verba Hilari referre, ego refero: *Quantum reuerentiæ in Spiritu Dei, qui ſubditos ſibi inhabitat ſacerdotes, beato Petro Apoſtolo & ſedi ipſius deferatur, omnibus arbitror eſſe compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta cuſtodia eſt. Quos cùm volumus de noſtræ ordinationis primordiis gratulari, opera, quæ in nos diuinæ pietatis dignatio oſtendit, ſanctitati tuæ duximus indicanda, vt ipſe primùm pro eo, quem nobis inuicem ſemper impendimus, præſtante Domino lateris affectu. Deinde vt diſpoſitione tuæ fraternitatis omnibus per vniuerſam prouinciam fratribus & conſacerdotibus innoteſcat, quòd humilitatem meam dexteræ Domini viſitare dignata ſit, & mihi Apoſtolicæ Se-*

dis regimen, non pro merito, ſed pro ſua gratia abundantiſſima largitate commiſerit. Menardus lectores ſuos irridet: ad memoratum in libello Vicariatum quid attinent hæc epiſtolæ verba, in quibus Arelatenſis Epiſcopus Hilari promotionem non per vniuerſam Galliam, ſed tantùm per vniuerſam Prouinciam Epiſcopis aliis ſignificare debet? Et ſanè nemo vnquam dixit, Auitum Viennenſem ab Hormiſda fuiſſe per Gallias conſtitutum Vicarium, cùm hic Pontifex ad illum ita ſcripſit in epiſtola x. de ſtatu Orientalis Eccleſiæ: *Quapropter, dilectiſſime frater, & vos præſentibus hortamur alloquiis, & per vos quoque, quia occaſio data eſt, alios per Gallias, quos fides eadem nobiſcum amplectitur, admonemus*, & cetera, quibus quo in ſtatu ſit Orientalis Eccleſia, declarat.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Idem ſcribit Gelaſius Papa, Æonio Arelatenſi Epiſcopo deceſſori Cæſarij.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Scilicet Gelaſius idem ſcribit, quod Hilarus in epiſtola XII. ad Leontium ſcripſerat. Sed videndum eſt, quid ſcribat Gelaſius de Epiſcopatus ſui primordiis: *Inter difficultates varias copiam nos reperiſſe gratulamur, qua per diuinam gratiam Sedis Apoſtolicæ regimen nos adiiſſe pandentes, prætermiſſum diu cum tua miſceremus fraternitate ſermonem, & ſalutatione directa, mutua caritate ſoliciti dilectionis quoque tuæ proſpera quæreremus:* & poſt alia: *Quapropter, frater dilectiſſime, inſtantiùs religioſis viris filiis noſtris Euphronio preſbytero, & Reſtituto viro religioſo, qui ad Italiæ partes ad prouidendam congregationis ſanctæ ſubſtantiam com-*

Digitized by Google

mearunt, remeantibus ad propria, ſilere nequiuimus. Sed omni voto dilectionem duximus admonendam, quatenus & vigere apud nos alterna viſcera gratiæ, fratres & Coëpiſcopi noſtri per Gallias conſtituti caritate tua vulgante cognoſcerent. Hæc ſunt, opinor, verba, ex quibus Menardus colligit, veritate ſummâ niti libellum ſupplicem, in quo ſic habetur: *Cui* (Trophimo & Arelatenſi Eccleſiæ) *id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propriâ gubernaret, verùmetiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandatâ, ſub omni Eccleſiaſtica diſciplina contineret.* Spectatum admiſſi ritum teneatis.

Responsionis continvatio.

Sed vetuſtas eiuſdem Vicariatus patet ex epiſtola Symmachi Papæ ad Cæſarium, cùm ei ſuas vices confert in Galliis & in Hiſpaniis ſic ait: Rationabile eſt, vt ſancta Arelatenſis Eccleſia propriis priuilegiis perfruatur, quod vetuſtas præſtitit, & Patrum auctoritas roborauit.

Responsionis confvtatio.

Hæc legere & ſimul refellere non diſtinguuntur. Deriuatum à Trophimi tempore Arelatenſis Epiſcopi per omnes Gallias Vicariatum Menardus colligit ex verbis, quæ deſcripſit. Sed imperitè & ridiculè omnino. Siquidem verba illa ſpectant ad Metropoleos priuilegium, quod Leo ſanxit: antecedentia & conſequentia fidem rei faciunt ampliſſimam: *Qui veneranda Patrum*, inquit Symmachus, *ſtatuta cuſtodit, amicum ſe abſolutæ religionis oſtendit, & qui prouidet, vt locum exceſſibus non relinquat, demonſtrat ſe de bono gratiæ cogitare. Rationabile eſt, vt ſancta Arelatenſis*

Digitized by Google

Eccleſia propriis priuilegiis perfruatur, & quod vetuſtas præſtitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præſumptio. Sic tamen, vt ceterarum Eccleſiarum priuilegia temporibus acquiſita non titubent, quia nec poteſt ex parte firmum eſſe, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus ſiquidem his, quæ Patrum conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus, vt circa ea, quæ tam in Galliæ, quàm in Hiſpaniæ prouinciis de cauſa religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis inuigilet. & poſt alia, *Data* III. *Idus Iunias Fl. Senatore V. Cl. Conſule.* Hoc eſt anno duodecimo, poſtquam idem Symmachus diuiſionem prouinciæ inter Viennenſem & Arelatenſem Eccleſias à Leone I. *Probo V.C. Conſule*, factam confirmauerat, vt ſuprà retulimus.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Idem patet ex epiſtola Pelagij I. ad Sapandum Arelatenſem Epiſcopum, cui cùm ſuas vices confert per Galliam ſic ſcribit: Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur ſcrinia, à ſanctis Patribus & deceſſoribus noſtris, tuis deceſſoribus eſſe conceſſum.

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Quid inde quæſo pro vicaria per omnes Gallias præfectura, quam ab initio Arelatenſis Epiſcopus habuerit, vt eas ſub omni Eccleſiaſtica diſciplina contineret? Anni iam erant quadraginta tres, quòd Symmachus vices Cæſario ſuas in Gallia delegarat. Vnde Pelagius ad Sapaudum ſcribens anno XVI. P.C. Baſilij V.C. ita præfari poterat: *Maiorum noſtrorum operante Dei miſericordia cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus*

Digitized by Google

diuino iuuamine in omnibus imitari, caritati tuæ per vniuerſam Galliam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur ſcrinia, à ſanctis Patribus & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum, ſcilicet Aureliano, Auxanio, Cæſario.

RESPONSIONIS CONTINVATIO.

Idem confirmatur ex epiſtola v. *ſancti Gregorij Papæ ad Virgilium Arelatenſem lib.* IV. *vbi ait hoc priuilegium eſſe antiquum morem.*

RESPONSIONIS CONFVTATIO.

Egregia planè confirmatio, ſeu potiùs epicitharíſma poſt fabulam, vt Tertulliani vtar prouerbio. Quæ verba Menardus reticuit, hæc ſunt: *Quòd verò in eis* (epiſtolis tuis) *iuxta antiquum morem vſum pallij, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit*, &c. hæc circa annum DXCIII. Antiquus ille mos ortum habet à Symmacho, qui primus & vſum pallij, & Sedis Apoſtolicæ vices in Galliis Arelatenſi Epiſcopo conceſſit. Hæc autem quid amabo vos ad confirmationem libelli in quo dicitur: *Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propriâ gubernaret, verumetiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandatâ ſub omni Eccleſiaſtica diſciplina contineret.*

Ex his autem omnibus apparet manifeſtiſſimè, Menardum nihil attuliſſe penitus, quo libelli propoſitio aptè confirmetur.

Certæ quædam rationes aliæ, quibus Libelli ſuppoſitio confirmatur ampliùs.

VI. PRIMA petitur ex his verbis: *Hanc* (Arelatenſem vrbem) *clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi Principes ſpecialibus priuilegiis, & vt verbo ipſorum vtamur, matrem omnium Galliarum appellando decorauerunt.*

I. Imperatores hi duo Valentinianus & Honorius videntur in regendo Imperio coniungi, qui tamen coniuncti non fuerunt. Valentinianus primus anno Chriſti CCCLXXV. moritur, ſecundus anno CCCXCII. Honorius creatur Auguſtus CCCXCV. & moritur anno CCCCXXIII. Valentinianus III. Imperator à Theodoſio Iuniore deſignatur anno CCCCXXV.

II. Valentinianus nullus vnquam dedit Arelatenſibus priuilegium, in quo ciuitas illorum vocetur *mater omnium Galliarum.*

III. Honorius & Theodoſius Imperatores anno CCCCXVIII. huic ciuitati dederunt priuilegium, in quo præclara quidem & modum excedentia habentur elogia, ſed non habetur iſtud, *mater omnium Galliarum.*

Quis modò crederet Imperatoribus tam fœdè imponere auſos eſſe tot Antiſtites, qui illos viderant, aut videre potuerant, vel ſi auſi fuiſſent, non eſſe reprehenſos à Leone, & ab iis quorum intererat cauere, ne quid Viennenſis Eccleſia detrimenti caperet. Inter editum priuilegium & libellum Leoni oblatum, ſi tamen oblatus eſt,

Digitized by Google

anni tantùm intercedunt triginta tres.

Secunda quæritur ex his verbis: *Et planè ita ſibi erga priuilegia memorata vel Eccleſiæ, vel ciuitatis diuinâ, vt credimus, diſpenſatione omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in ſacerdotio antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo opportunitatis gratiâ poſſederit.* Quis quæſo à Chriſto vſque ad Conſtantinum Magnum Arelatenſ. Eccleſiæ ſacerdotem *Galliarum primatem* dixit? Quis à Conſtantino vſque ad Honorium & Theodoſium Arelatenſi Eccleſiæ primatum Galliarum tribuit? quis Arelatenſi oppido principatum Galliarum adſcripſit præcedentium Imperatorum temporibus? Sunt iſta recentiorum ſomnia, quæ Prouinciæ Epiſcopi tunc nunquam ſomniaſſent?

Tertia comparatur ex verbis inſequentibus: *Vnde factum eſt, vt non ſolùm prouincia Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum contemplatione ſancti Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſolicitudinem ſemper ſuam, curámque reuocarit.* At Leo in epiſtola c i x. cuius antea fragmentum retulimus, his auditis quid rerum agit? Vnicum, ſi ſuperis placet: Viennæ prouinciam in duas Metropoles Eccleſiaſticas tribuit: *Conſideratis*, inquit, *allegationibus vtriuſque partis præſentium Clericorum ita ſemper intra prouinciam veſtram, & Viennenſem, & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarundam cauſarum alterna ratione nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cùm tamen eiſdem ius commune quon-*

dam fuiſſe à gentibus proderetur. Unde Viennenſem ciuitatem, quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cùm de receptione priuilegij auctoritate iam noſtra diſpoſitionis vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Vienneſi Epiſcopo credimus deputandam. Qui ne repente ſeipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt Valentia, Tarantaſia, Genaua & Gratianopoli, vt cum his ipſis Vienna ſit quinta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſolicitudo pertineat; reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant. Hic de Narbonenſi prima & ſecunda, ne verbum quidem. Siccine quæſo ſibi mutuò illuſiſſent Prouinciæ Antiſtites, & Leo? Supplicant illi, vt Arelat. Eccleſiæ priuilegium vetus ordinandi per tres prouincias contemplatione S. Trophimi vindicetur? At horum aliquid vix audit Pontifex: nec Trophimi meminit, cuius auctoritas aduocatur, de duabus prouinciis nihil ſtatuit, etſi ſe paci Eccleſiaſticæ conſulere profiteatur. Siccine paci Eccleſiaſticæ conſulitur, ſi libellus veritate nitatur, in quo legitur, *Sicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas?* Quomodo igitur Leo paci conſulit? Viennenſem prouinciam in duas partes diuidit, quarum alteram Arelatenſi Eccleſiæ concedit, detrahit alteram, & ſimul Narbonenſem primam & ſecundam, quæ & antiquitatis iure & contemplatione ſancti Trophimi, & vetuſtiorum Leone Pontificum decretis, Arelatenſi Eccleſiæ aſſeruntur, & vindicantur.

Digitized by Google

Deinde Leo de ſuorum deceſſorum conſtitutionibus nihil dicit, etiamſi vt nonnihil diceret, pax & concordia inter Viennenſem & Arelatenſem, atque adeò inter Narbonenſ. primam & ſecundam prouincias ſancienda exigeret. Prudentiſſimus & optimus Pontifex dixiſſet ſuis deceſſoribus, vel in libello impoſitum, vel obreptum eſſe, ne poſtea ſibi ipſi, vel impoſitum, vel obreptum eſſe ab Epiſcopis Prouinciæ, qui libellum obtulerant, diceretur, & ingens denuò inſtauraretur controuerſia.

Tum ſi veræ eſſent Zoſimi epiſtolæ, in quarum vna ſic loquitur: *Iuſſimus præcipuam, ſicut ſemper habuit Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis, in ordinandis ſacerdotibus teneat auctoritatem, Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam prouincias ad Pontificium ſuum reuocet.* In altera, ſic; *Contra ſtatuta Patrum & Trophimi reuerentiam concedere vel mutare ne huius quidem Sedis poteſt auctoritas.* Iterum, *Præcipimus, vt Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus iam inde à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam, inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat.* Si veræ ſunt, inquam, Zoſimi epiſtolæ, in quibus ita loquitur, & ſtilo decretorio loquitur, quâ poterit iuſtitiâ Leonis factum defendi? Hoc facto nullum fingi poſſet iniuſtius, vel in Zoſimum & Sedem Apoſtolicam, in Prouinciæ Epiſcopos, & Arelatenſem Eccleſiam contumelioſius.

In tanta rerum confuſione & perturbatione, quid capiendum conſilij? Dicendum eſt neceſſariò inſtrumenta illa, epiſtolas Zoſimi, & libel-

Digitized by Google

lum, ſuppoſita vel ſubreptitia eſſe. Ad me quod attinet, ego ſuppoſita eſſe præ me fero, & Leonis factum vt ab optimo & ſapientiſſimo Pontifice profectum laudo. Qui verò ſubreptitia tantùm eſſe affirmant, non mihi ſed Leoni officiunt, vt iam vidimus. In hoc enim caſu dico, ſi ſuggeſtione falſi & ſuppreſſione veri deceptus eſt Zoſimus, ſi decepti Prouinciæ Epiſcopi, neque Zoſimi epiſtolas, neque libellum Epiſcoporum Prouinciæ, auctori paſſionis S. Saturnini, & Gregorio Turonico iure opponi poſſe, atque ita eos liberos eſſe & immunes à calumniis, quas Milletus, Menardus & horum aſſeclæ illis impingunt.

Quædam aliæ in epiſtolas Zoſimi, & libellum Epiſcoporum Prouinciæ obſeruationes.

VII. Ceterum hîc alia nonnulla obſeruanda ſunt. Vnum, libellum Epiſcoporum Prouinciæ, & epiſtolam Zoſimi quintam, & alias ſimiles poſt ætatem Gregorij Magni confictas videri, vt ex noſtris rationibus apparet ſatis ſupérque. Alterum, hæc monimenta primùm prodiiſſe ex Codice Arelatenſi, hoc eſt illius ciuitatis, vbi nata ſunt. Tertium, dignitatem ciuilem, qua ab Imperatoribus Arelatenſis aucta eſt ciuitas, feciſſe, vt inprimis Epiſcopi Metropoliticum honorem affectarint, & iudicantibus Leone & aliis Pontificibus obtinuerint; deinde, vt (poſtulantibus etiam Galliæ Regibus) Pontificum vices in Galliis geſſerint; tum vt poſtea otioſi quidam homines ea monimenta fingerent, quibus Arelatenſis primatus originem obſcura-

Digitized by Google

rent, & in hac obſcuritate primatum ad incunabula Eccleſiæ reuocarent. Quartum, noſtras coniecturas aduerſario non poſſe diſplicere, cùm leuiores opinor, non ſint iis, quibus vetus Romanum Martyrologium dubiæ fidei probatum voluit. Quintum, Viennenſes fictis quoque epiſtolis & priuilegiis contra æmulos Arelatenſes decertaſſe, quæ ex Viennenſi codice Ioannes à Boſco edidit ad calcem Bibliothecæ Floriacenſis: In exemplum ſit hæc epiſtola Silueſtri Papæ: *Silueſter Papa vniuerſis Epiſcopis per Gallias & per ſeptem prouincias. Placuit Apoſtolicæ Sedi, vt ſiquis ex qualibet Galliarum parte, ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos venire contendit, vel ad alia terrarum loca ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Viennenſis formatas acceperit*, &c. An autem hæc verba, quæ ſublatis Silueſtri & Metropolitani Viennenſis nominibus eadem ſunt, ac in epiſtola Zoſimi quinta, Viennenſis impoſtor ab Arelatenſi, vel Arelatenſis à Viennenſi deſumpſerit, non facilè iudicarim. Vt vt ſit, Arelatenſis præualuit, quippe qui ſpuriam Zoſimi epiſtolam inter cetera ſic vulgauit, vt apud Vſuardum & quoſdam Martyrologos tranſierit, quâ parte docet *ex Trophimi fonte totas Gallias fidei riuulos accepiſſe.* Cui quidem rei quadrat illud Milleti pronuntiatum pag. 138. *Ita ſucceſſiuus error maximè in promptu eſt.* Menardus obſeruationem hanc diſſimulat, quæ tamen ad rem maximè facit. Nam contendo Silueſtri epiſtolam iiſdem pæne rationibus defendi poſſe, quibus epiſtolæ Zoſimi, & libellus ſupplex Epiſcoporum Prouinciæ à Menardo defenduntur.

Digitized by Google

Hoc premo, hoc vrgeo. quippe quod maximam quæſtionis partem decernat. Sextum, Concilij Francofordienſis Patres,& Vſuardum primos eſſe, qui, nî fallor, epiſtolarum Zoſimi meminêre. Septimum, has Zoſimi epiſtolas Baronio placuiſſe, & grauibus eruditiſque viris etiamnum placere. Ex quo fit, vt illorum iudicio noſtras omnes coniecturas ex animo iterum ſubmittamus. *Non vincimur*, inquit Cyprianus, *ſed inſtruimur, dum offeruntur meliora.*

Opponuntur Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & Romanum, ſed diluuntur.

VIII. DENIQVE opponuntur Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & Romanum. Sed inprimis aduerſarius Martyrologia reiicit vniuerſa lib. II. Vindiciarum cap. IV. *Sed ponamus*, inquit, *Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? ex corrupto Bedæ Martyrologio vnde pleraque alia mutuatus eſt, mendum illud contraxit. Nulla enim ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* II. His Martyrologiis ſimplicius ac proinde vetuſtius præferendum eſt Martyrologium Eccleſiæ ſancti Saturnini Toloſani, vbi hæc habentur XXIX. Decembris: *Eodem die ſancti Trophimi Arelatenſis Epiſcopi.* III. Beda, Vſuardus, & Ado cum ſcriptore paſſionis Saturnini, & Gregorio Turonico committi non poſſunt, quòd non ſint vetuſtiores, æquales, vel ſuppares, vt ab inueniendi aſſerendíque veri regulis non diſcedamus. *Ita ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe ve-*

Digitized by Google

rum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum, vt ait Tertullianus. IV. Ex diſcuſſione epiſtolarum Zoſimi conſtat, illa ipſa verba, quæ ab Vſuardo & aliis citantur, Innocentio primo, & omni retrò Gallicanæ traditioni repugnare, niſi velit aduerſarius Eccleſiarum catalogum ſcribere, quæ primos ſuos Antiſtites Arelatenſibus acceptos referant. Quod ſi ex certis monimentis fecerit, nos libentiſſimè cedemus, vt ille identidem agnoſcat, nullam nos quærendæ & aſſerendæ veritatis viam auerſari.

Græcarum de Trophimo Pauli diſcipulo Eccleſiarum traditio.

IX. Et verò licèt ſuperiorum rationum momentis penitus conſiſtant, quæ vetus ſcriptor, & Gregorius de Trophimo tradiderunt, illa tamen non parum corroborantur ex Græcis, qui diſcipulum Pauli Trophimum martyrem ſub Nerone faciunt.

Ex Dorotheo in Synopſi de ſeptuaginta duobus diſcipulis: *Mentionem & iſtius* (Trophimi) *Paulus facit. Hi tres* (Ariſtarchon, Pudens, & Trophimus) *in quibuſuis perſecutionibus afflictionum Pauli conſortes fuerunt, poſtremò per martyrium vnà cum ipſo ſub Nerone capitibus truncatis occubuerunt.* Hæc Synopſis etſi ſuos habeat næuos, tamen de his tribus Sanctis nihil ſcribit, quod à veteri Græcorum traditione diſſentiat.

Ex Menologio, quod Cardinalis Sirletus Latina lingua donauit. Die XIV. Aprilis: *Sanctorum*

patrum Ariſtarchi, Pudentis & Trophimi, qui cùm eſſent ex ſeptuaginta poſt Pauli Apoſtoli mortem, & ipſi Nerone Imperatore capite caſi ſunt. Hæc Beatiſſimus Dorotheus cùm eſſet Romæ Romana lingua ſcripta reliquit. Non ſolùm autem de his, ſed & de reliquis Apoſtolis, & aliis ſanctis viris & ſacris prophetis hiſtoriam accuratè conſcripſit. Fuit enim vir ille ingenio, & multarum rerum peritiâ inſignis, vt quiuis alius.

Ex Menologio magno, quod ad annum MDCXXVII. Venetiis Græcè tantùm prodiit. Die XIV. Aprilis: Τῶν ἀποστόλων ἐκ τῶν ο΄ Ἀριστάρχου, Πούδου καὶ Τροφίμου. Πούδην καὶ Ἀρίσταρχον σοφὸν, καὶ τὸν θεῖον Τρόφιμον τοὺς ἀληθεῖς χριστοκήρυκας. Et poſt alia: Παύλῳ ἑπόμενοι κλεινῷ διδασκάλῳ ἔνδοξοι πόλλοις κινδύνοις ὑπέστητε. εἱρκτῇ κλειόμενοι ὁμιλοῦντες πόνοις, ξίφοις ἐπὶ τέλει δὲ τμηθέντες κεφαλὰς ἐναθλήσατε, Χριστῷ πρεσβεύσατε δωρηθῆναι ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὴν εἰρήνην καὶ τὸ μέγα ἔλεος.

Ex Sanctorum Apoſtolorum diſcipulis Ariſtarchus, Pudens & Trophimus. Pudentem, Ariſtarchum ſapientem, & diuinum Trophimum Chriſtianæ veritatis præcones, &c. *Vos Paulum ſecuti eſtis, & inclito illius magiſterio glorioſi multa pericula ſuſtinuiſtis, carcere incluſi, & in ærumnis verſantes cæſis tandem gladio capitibus certauiſtis, Chriſtum orate, vt animabus noſtris pacem & magnam miſericordiam impertiatur.*

Ex Anthologio ſeu Græcorum Breuiario, quod Romæ editum eſt anno MDLXXXXVIII. & à Clemente octauo probatum. Die XIV. Aprilis: τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα Ἀριστάρχου, Πούδου καὶ Τροφίμου. Αὐτοὶ ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα ἀποστόλων

ὑπάρχοντες ἠκολούθησαν μεγάλῳ ἀποστόλῳ Παύλῳ κηρύττοντες, καὶ συγκακοπαθοῦντες τῷ διδασκάλῳ ἐν πᾶσι τοῖς διωγμοῖς αὐτοῦ. μετὰ τὸν ἐκείνου θάνατον, καὶ αὐτοὶ τὰς κεφαλὰς ὑπὸ Νέρωνος ἐτμήθησαν, &c. *Ex Sanctorum Apoſtolorum ſeptuaginta diſcipulis Ariſtarchus, Pudens, & Trophimus: Hi ex ſeptuaginta diſcipulis Apoſtolorum cùm eſſent, magnum Apoſtolum Paulum ſecuti ſunt prædicantes, & iiſdem cum magiſtro vexationibus ſemper afflicti: poſt illius verò mortem ſub Nerone obtruncati ſunt.* Eadem porro reperiuntur in Græcorum Synaxariis, & apud Maximum Cythereenſem Epiſcopum in Sanctorum vitis, quas non ita pridem Græcè edidit. Quòd ſi Trophimus Pauli diſcipulus alibi capite minutus eſt, quàm in Gallia, is ſanè ab illo diuerſus eſt, qui primus Arelatenſium populis fidem Chriſti nuntiatum venit. Sola igitur nominum ſimilitudo fecit, vt poſt Gregorij tempora, alij fraude, alij ignorantiâ ex duobus Trophimis vnicum conflarint.

Conſignata ſub Decio Pauli Narbonenſis epocha defenditur.

X. Qvod ſpectat ad Paulum Narbonenſem, veteri hiſtorico & Gregorio Turonenſi ea obiicit Milletus, queis alibi omnem auctoritatem abiudicauit: Martyrologia ſcilicet Vſuardi, Bedæ, Adonis, Romanum tam commune, quàm Roſuueidi. Iſtud quidem reiicit maximè propter literulæ mutationem, reliqua verò omnia certam ad perniciem in eadem naſſa incluſit: *Sed ponamus Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Beda Martyrologio, unde ple-*

Digitized by Google

raque alia mutuatus eſt, mendum illud contraxit. Nulla enim ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt. Poſt eiuſmodi cenſuram cur aliquid inſtrepit Martyrologiorum? Cur hæc ampliùs inculcat, repetítque, ſi nulla ex iis veritas ſanciatur? An neſcit, mendacem memorem eſſe oportere?

Secundò Ordericum Vitalem obiicit, ſed Gregorio quingentis annis poſteriorem. Itaque & Beda, & Vſuardus, & Ado, & Vitalis non ſunt ij, qui ex inueniendi aſſerendíque veri legibus, cum veteri Saturnini paſſionis ſcriptore, & cum Gregorio Turonenſi committantur. Enimuerò, qui hiſtoriam Saturnini ſcripſit, non multùm, vt coniectu facile eſt, à Narbona diſtabat, & eâ re Bedæ, Vſuardo, Adoni, Orderico anteferendus eſt, licèt illi alioqui ſuppares haberentur.

Duobus noſtris hiſtoricis, qui primas traditiones obſignarunt, Pauli Narbonenſis vita ſuffragatur, quam ex manuſcriptis Narbonenſis Eccleſiæ codicibus edidit vir clariſſ. Boſquetus. In illa etenim ne vnum quidem legere verbum eſt, quo vel Paulum Sergium, vel Pauli Apoſtoli diſcipulum fuiſſe conſtet. Martyrologia multa ſuffragantur. Vetus Martyrologium MS. quod Hieronymo adſcribitur in Corbeienſi Bibliotheca: *In ciuitate Narbona ſancti Pauli Epiſcopi & Confeſſoris.* Vetus Martyrologium MS. Eccleſiæ S. Saturnini Toloſani: *Apud Narbonam ciuitatem Natale S. Pauli Epiſcopi & Confeſſoris.* Vetus Martyrologium MS. Atrebatenſis Eccleſiæ, XI. Calend. April. *In Narbona ciuitate S. Pauli*

Pauli Epiſcopi & Confeſſoris, quem ita domeſticus labor & tribulatio exercuit, vt eum verum eſſe Dei famulum approbaret. Vetus Martyrologium Remenſe MS. in quo hæc tantùm leguntur XII. Decembris: *Apud Narbonam vrbem depoſitio Beati Pauli Epiſcopi & Confeſſoris.* Vetus quoque Martyrologium Autiſiodorenſe MS. XII. Decembris: *Apud Septimaniam vrbem Narbonam depoſitio Beati Pauli Epiſcopi & Confeſſoris.*

Prudentius qui ante annos mille & ducentos floruit, in carmine de Cæſarauguſtanis martyribus:

Barcino claro Cucufate fulta
Surget, & Paulo ſpecioſa Narbo.

Si Paulum Pauli Apoſtoli diſcipulum credidiſſet, hoc aliquo indicaſſet verſu, cùm id obſeruatione ſumma dignum ſit. His, quæ ex prima traditione deſcendunt, poſtea additum eſt, quod apud Vſuardum & alios quoſdam legitur. Id manifeſtè conſtat ex Martyrologio quod Hieronymo adſcribitur: Vſuardus in præfatione ſua eo vſum ſe eſſe profitetur. Quod ergo priùs traditum eſt, eatenus interturbatum offenditur, quatenus Paulum in Hiſpanias profectum eſſe apud Latinos increbuit. Tunc enim ab eodem cùm Narbona tranſiret, Paulum inibi conſtitutum Epiſcopum quidam ſcripſerunt; alij verò aliter locuti ſunt, & Paulum Narbonenſem cum Paulo Sergio confuderunt, quod nominum obtinuit ſimilitudo.

Ex his facilè intelligitur corrigenda eſſe Narbonenſis Eccleſiæ officia, quæ Menardus obiicit, & in quibus confuſio hæc reperitur. Sic enim

Digitized by Google

Turonenſe Concilium, quod anno M.D.LXXXIII. habitum eſt, poſt Tridentinum præſcribit in cap. XV. *Volumus Epiſcopos curare propria breuiaria, quàm fieri poterit certiſſimè & accuratiſſimè emendari, lectionéſque hîc inſertas peritorum induſtria ad hiſtoriæ veritatem ex antiquorum probatorúmque auctorum ſcriptis & monumentis reformari.* At nulli ſunt auctores, antiquiores & probatiores iis, quos in medium adduximus.

Conſignata ſub Decio Martialis epocha defenditur.

XI. Ad Martialem quod attinet, duæ ſunt de illius miſſionis epocha ſententiæ: vna vetus, quæ ſub Decio Martialem conſignat, & vſque ad annum circiter nongenteſimum illibata permanſit: Altera recens, quæ Martialem à Petro miſſum contendit, & circa prædictum tempus inuecta eſt, nec ita tamen inuecta, vt multos occuparit, & antiquam de ſua ſtatione deiecerit.

In hac Diſcuſſione ego veterem ſententiam amplector, Milletus recentem ſequitur, & nouitate, vt ſolet, iugulat antiquitatem. Quo nihil eſt ab Eccleſiæ Catholicæ ſpiritu alienius, & Sectariorum quorumlibet ingenio fauorabilius. Etenim monimentum nullum citat anno milleſimo vetuſtius. Lemouicenſem Synodum, quæ anno MXXXI. habita eſt, producit, ſed corrumpentium hiſtorias Monachorum turpitudinem auſpicatò reuelat. Monachus noſter audiat Solemniacenſem Abbatem: *Tace*, inquit, *frater, melius eſt, vt ſileas, quia quando nos in ſcholis ma-*

Digitized by Google

giſtrorum mel & lac bibebamus, tu ſolus ruminabat fabam: ſcripturam de Sancto Fronto nouam, cuius tu vteris, Gauſbertus noſter edidit LVCRI CAVSA, *qui ſub huius Lemouicæ ſedis Epiſcopo Hildegario Chorepiſcopus nobis extitit.* Hos & ſimiles falſarios monachos grauiter accuſant alij pietate & eruditione illuſtres monachi, Damianus & Letaldus, ſed accuſantes nunquam probabit, qui accuſatorum facinora probat, recipitque. Ceteri auctores, quos appellat aduerſarius, Lemouicenſi Synodo recentiores ſunt, & hoc illius effato pag. 138. repelluntur, *Succeſſiuus error maximè in promptu eſt.*

Maneat igitur prima traditio, quæ à Gregorio Turonenſi pluribus in locis confirmata eſt. Quid memorem librum de gloria Confeſſorum? vbi de Martiali cap. XXVII. ſic diſſerit: *Igitur Sanctus Martialis Epiſcopus à Romanis miſſus Epiſcopis in vrbe Lemouicina prædicare exorſus eſt.* Et poſt alia: *Per Sanctum enim Stremonium, qui & ipſe à Romanis Epiſcopis cum Gatiano beatiſſimo & reliquis, quos memorauimus, eſt directus, primum Aruerna ciuitas verbum ſalutis accepit.* Dic, ſodes, an Petrus Bleſenſis, an Robertus Autiſiodorenſis, an Ordericus Vitalis, an recentiores alij meliùs nouerint, quis fuerit Martialis, & quo tempore Lemouicenſes fidei lumine illuſtrarit, quàm Gregorius, qui miracula & virtutes illius diligenter notauit, qui origine Lemouicenſium conterminus fuit, qui ſexcentis propemodum annis tres illos & alios ſcriptores anteuertit? Igitur inter nos determinet *temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudi-*

cans vitiationem, quod poſterius reuincetur.

Gregorio Turonenſi ſuffragatur Auſonij Engoliſmenſis Epiſcopi vita, quæ illum Martialis diſcipulum facit, & Valeriano atque Gallieno imperantibus cæſum pro religione fuiſſe tradit. Denique antiqua Martyrologia Martialem à Petro miſſum non referunt. De eo ſic Vſuardus ad XXX. Iunij: *Lemouicas ciuitate Sancti Martialis Epiſcopi cum duobus presbyteris Alpiniano & Auſtricliniano, quorum vita miraculorum ſignis admodum effulſit.* Eadem verba referuntur in Martyrologio Romano, quod ante annum MD. Patauij editum eſt, tum Venetiis anno MDXXII. & MDXLIIX. & Pariſiis anno MDLXXIII. recuſum, & tandem ea ſola reperiuntur in Martyrologio Romano Baronij. Quæ autem adfert Baronius in notis, vt Gregorium refellat, Baronij ipſius regulâ ſæpiùs memoratâ refelluntur: *Quod à recentiore auctore de rebus adeò antiquis, ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.*

De Martiali ſic Ado in Martyrologio ad eundem diem. *Item Lemouico ciuitate Sancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris.* Sic Beda in vulgato Martyrologio: *Lemouicas Sancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris.*

Sic vetus Martyrologium Lugdunenſe MS. *Apud Lemouicas natiuitas S. Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, qui poſt rectam & ſanctam Pontificij ſui adminiſtrationem cælos aſcendit.*

Sic vetus Martyrologium MS. Eccleſiæ ſancti Saturnini Toloſani: *Ciuitate Lemouicas depoſitio ſancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris.*

Sic vetus Martyrologium MS. quod eſt in Bi-

bliotheca Henrici Vignerij, Oratorij presbyteri doctiſſimi: *Lemouigas ſancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris.*

Idem quoque habetur in Martyrologio Eccleſiæ Claromontenſis, & in aliis Martyrologiis.

A quibus deprauata eſt veterum de Martiali traditio?

XII. Ceterum à quibus deprauata eſt hæc veterum traditio, ſignificat Ioannes Cordeſius in ampla eruditáque de Martiali Diſſertatione, quam parti II. hiſtoriarum Gallicanæ Eccleſiæ Boſquetus inſeruit.

Ergo, inquit, *Hilduini exemplo, cùm Eccleſia Lemouicenſis Sancti Martialis circa annum* DCCC. XLVIII. *in poteſtatem monachorum Sancti Benedicti veniſſet, Martialem ficta antiquitatis illuſtriorem illi monachi reddiderunt. Nam Hugo Abbas Sancti Martialis ab illa Synodo reuerſus in monaſterium, in Litaniis Martialem inter Apoſtolos primus omnium deſcripſit. Quâ re commotus Iordanus Epiſcopus Lemouicenſis nouitatis Abbatem arguere, & Martialem Confeſſoribus, non Apoſtolis annumerandum ex veteri more aſſerere, vt patet ex epiſtola regis Roberti, Guillelmi Ducis Aquitaniæ, & Epiſcoporum nomine ſcripta Benedicto Papæ VII. qui anno* MXXIV. *obiit, è qua hæc verba Iordani deſcribimus.* [Sanctus Aurelianus ſucceſſor, Ebulus, Atticus, Ermogenianus, aliíque eius ſucceſſores vſque ad triginta ſex, ego verò ſeptimus, qui vocor Iordanus, omnium infimus, hi omnes pro ſanctiſſimo Confeſſore eum habuerunt, ſimiliter omnes Ab-

Digitized by Google

bates in eius monaſterio habitantes vſque in hodiernam diem. Iſte Abbas, qui nunc eſt, nouitate deceptus, ſuperbia elatus (nota) venit ad me, qui ſum vilior meis anteceſſoribus, deprecans, vt in Concilio meo & in Synodo ſanctiſſimum Confeſſorem in numero ponerem Apoſtolorum, quod facere nolui. Ille perſeuerans dictis fidem, quam habuit, cum duodecim monachis illius monaſterij mihi promiſit, vt cum auctoritate in omni Concilio me defenderet. Hoc facere non potuit in Concilio Guillelmi Ducis Aquitanorum audiente Archiepiſcopo Bituricenſi, Iſamberto Pictauienſi, ceteriſque cum ſuffraganeis: Omnes Epiſcopi Francorum, Aruernorum, Vaſconum, Aquitanorum, cum quibus ego fui locutus, comprobant, & affirmant, ſanctiſſimum Confeſſorem Martialem non debere tolli de illo loco, vbi ſancti Patres, & noſtri anteceſſores eum poſuerunt, & non eſſe Apoſtolatum niſi auctoritate comprobatum. Tibi verò ego Iordanus has literas mitto de parte iſtorum prædictorum, Regis ſcilicet Roberti, Guillelmi Ducis Aquitanorum, Archiepiſcoporum omnium videlicet Catholicorum, qui mihi contradicunt, ne ſanctum Martialem in numero ponam Apoſtolorum. Tu autem ſi auſus es hoc facere, quod non fecerunt ſancti tui anteceſſores, Gregorius, Clemens, Bonifacius, multique alij vt ponerent Confeſſores inter Apoſtolos, ſi peccatum eſt, tuum ſit. Ego verò liber à culpa, neque iniquitas, neque peccatum meum; voluntatem omnium Aquitanorum tibi monſtrabo, quia ille Abbas ſeductor (nota) nulla

Digitized by Google

alia cauſa hoc fecit, niſi quia vult deſtruere ſedem primi martyris, & Apoſtolatum Sancti Petri annihilare, &c.]

Hæc lege & relege, & poſtea in illis veteribus monachis tanquam in ſpeculo Milletum intuere, tum illis omnibus nigrum præfigito theta. Menardus vt his reſpondeat, paginas implet vndecim, in quibus nihil niſi aërem verberat.

Primùm theſauros locorum communium aperit, quibus Gregorium Turonenſem, non ab hoc tantùm, ſed & ab omni alio iudicio repellat, etiam qua in re Gregorium non errare fateretur.

Deinde pro epocha Martialis à Petro miſſi teſtimonium nullum auctoris producit, quem ante Carolum Magnum vixiſſe conſtet. Atque ita notatus ſub Decio Martialis aduentus firmo & conſtanti fundamento, vetuſtiori ſcilicet traditione, nititur.

Tum Martyrologium MS. vnum è Bibliotheca Corbeienſi laudat, vbi ſic legitur pridie Calend. Iulij. *Lemouigas S. Martialis Epiſcopi, qui Romæ à beatis Apoſtolis ordinatus primus illius vrbis deſtinatus eſt Epiſcopus.* Sed Menardo ſuas voces reddimus è capitis v. num. IV. *Obſcura incertæ auctoritatis Martyrologia producit, præclara antiquitatis monumenta*, quæ exhibui, *tentans conuellere.* Præterea hoc Martyrologium ab eo tempore deſcriptum eſt, quo Lemouicenſes monachi Iordano Epiſcopo ſuo & aliis in Concilium coactis nouam Martialis epocham nefariè obtruſerunt.

Poſtremò lapidem omnem mouet & machinas omnes adhibet, ne Lemouicenſes monachi vi-

Digitized by Google

deantur falſarij, ſed ne hilum quidem proficit. Cùm in aliis quæſtionibus, in iſta maximè Tertulliani regula valet. *Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem quod poſteriùs reuincetur*, in libri IV. contra Marcionem capite IV.

CAPVT VI.

Fuſciani & Victorici geſta diſcutiuntur.

I. HACTENVS Sulpitium Seuerum, veterem hiſtoriæ Saturnini ſcriptorem, & Gregorium Turonenſem defendimus, id eſt, primos noſtrarum in Gallia traditionum cuſtodes, vibrata quoque in eos tela ſic repulimus, vt qui receperant ne veſtigia quidem ſæuitiæ oſtendant. Nunc Milletus in eadem ad caput II. reſponſione duos paragraphos inſtituit, quibus producta à me Fuſciani & Victorici geſta reuoluit; vbi vnum mihi fœdiſſimè imponit, alterum iam à me in Iudicio de Hilduini Areopagiticis notatum diſſimulat, & tertium more ſuo conuoluit. Hæc tria ſigillatim expendamus.

Fraus aduerſarij detegitur.

II. QVOD autem mihi imponat aduerſarius, & mea & ipſius verba, ſi conferas, fidem faciunt ampliſſimam. Mea verba ſunt iſta num. XXXVI. *Poſt hoc Martyrologium dandus eſt locus antiquiſſi-*

Digitized by Google

mis Sanctorum Fuſciani & Victorici geſtis, in quibus ſic legitur: [Quo tempore Maximianus Auguſtus per arua Galliæ præſidebat ſancti viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati, vnà cum venerabili Dionyſio Præſule, comitibus ceteris Piatone, Rufino,] & cetera, quæ ex me referre vir ſincerus affirmat. At ille ſcribit à me Piatonis acta obtrudi. Sed *quia nouus quidam*, inquit, *aduerſarius rem acu tetigiſſe, & iudicium tuliſſe, vnde prouocari non poſſit, exiſtimat, cùm nobis obtrudit Piatonis acta, in quibus Dionyſij nomen inuenit.* Egóne illa Piatonis acta vocaui, aut iure vocarem, in quibus nihil egiſſe Piato dicitur, in quibus de Piatone præter eius nomen, & in Galliam cum Dionyſio aduentum nihil habetur? *Ex quo manifeſtum ſit, quàm ſincera fide mecum agat.* vt illius vtar verbis paragraphi noni.

Geſta Fuſciani & Victorici cum hiſtoria Saturnini, & Gregorio Turonenſi vix conciliari poſſunt.

III. In editione prima credideram geſta Fuſciani & Victorici cum hiſtoria Saturnini, & Gregorio Turonenſi conciliari poſſe. Sed cùm meis ſecundis, tum alienis, Menardi nimirum, curis exiſtimo conciliari vix poſſe. Ex diſcrepantia verò, quæ intercedit, tria hæc idoneè colliguntur ad illuſtrationem veritatis.

Primùm, neque ante Gregorij tempus, neque illius tempore extabant memorata Fuſciani & Victorici acta. Nam ſi extitiſſent, vix contigiſſet, quin ea vidiſſet Gregorius, & perinde ſecutus

eſſet, ac S. Saturnini hiſtoriam, aut cur non eſſet ſecutus, rationem ſine dubio reddidiſſet. Deinde poſt Gregorium, ſed multò ante Carolum Magn. fuiſſe, qui Fuſciani & Victorici geſta literis mandarit; poſt Gregorium quidem vt iam admonui, ſed multò ante Carolum, quia iis vt iam receptis vſus videtur Vſuardus. Huc accedit, quòd poſt Carolum nullus iam tum primùm auſus fuiſſet Dionyſij Pariſienſis aduentum in Galliam ſub Diocletiano ponere. Tunc quemcunque auctorem obruiſſent & potentia Hilduini Abbatis, qui in clero & in regno latè dominabatur, & monachorum ſtudia, quæ vehementiſſimè feruebant. Hinc accidit, vt in nonnullis exemplaribus, quæ poſt Carolum exarata ſunt, vel ſublatum ſit nomen Dionyſij, vel ſi conſeruatum, Dionyſius & illius comites in antedictis Fuſciani & Victorici geſtis, ad Clementis Papæ ætatem reuocati fuerint.

Poſtremò, quo primùm tempore Fuſciani & Victorici acta memoriæ prodita ſunt, rumor nullus adhuc increbuerat, Dionyſium Pariſienſem, vel à Clemente miſſum, vel Areopagitam fuiſſe.

Rationem diſſimulat, cur in quibuſdam Fuſciani & Victorici geſtis nomen Dionyſij inueniatur, in aliis non inueniatur.

IV. ALTERVM, quod diſſimulat, iſtud eſt me ſcilicet idoneam num. LX. rationem reddidiſſe, cur in quibuſdam illorum martyrum geſtis Dionyſij nomen inueniatur, in aliis non inueniatur. *Quid verò memorem eas omnes martyrum hiſtorias,*

quibus octingentis abhinc annis vis illata eſt ab Areopagiticis? quid, inquam, memorem, cùm multa ſuperſint adhuc non ſine diuino conſilio harum hiſtoriarum exemplaria, quæ corruptrices manus effugerunt. Ex quo fit, vt, exempli gratia, quædam Sanctorum Luciani, Reguli, & Eugenij geſta eoſdem martyres ad Domitianum reuocent, quædam alia ad Diocletiani Imperium, veram vt ad epocham deducant.

Quare inprimis non dubito, quin Corbeianæ & Pratenſes membranæ ſint, in quibus Dionyſij nomen deſideretur, cùm plures in illis monaſteriis Hilduini nouitatem adamarint. Deinde non dubito, quin Lucianum & Regulum, quos in exemplaribus ſuis Fuſciani & Victorici ſocios videt aduerſarius, in aliis Dionyſij comites à Clemente miſſos legat. Tum ad extremum non dubito, quin iſta omnia veterrima ſint exemplaria, ſed quæ Caroli Magni principatum non antecedunt. Quæ omnia ſanè ante oculos habui, dùm tam inſignibus exſcriptorum deprauationibus epocham deſignaui. Enimuerò in Iudicio de Areopagiticis Hilduini num. x. Pariſienſe Breuiarium anni MDXLV. & num. XXII. Paſſionarium Sancti Victoris indicaui, vbi in hiſtoria Sanctorum Fuſciani & Victorici Dionyſianum nomen non inuenitur, quòd in Areopagiticorum manus incidiſſet.

Quòd autem veteres quoque membranæ ſint, vbi Piato Dionyſij comes aſſeratur, illud docet exemplar, cuius fragmentum retulimus.

Quid præterea repetam Fulbertum Carnotenſem, qui in Hymno de Sancto Piatone Dionyſium Piatoni conſociat, & martyrem ſub Maxi-

miano Piatonem facit? *Tornacum verſus ſe direxit inclitus, cùm Pariſius iret Beatus Dionyſius, at Cæſar Maximianus, vt Piati hauſit famam virulentis auribus, comprehendi iuſſit eum ad necandum protinus.* An autem vir apprimè doctus, qui Roberti Regis Cancellarius Lutetiæ vixit, opinor, commentitiam Piatonis & Dionyſij ſocietatem excernere non potuerit, aut veram & priſtinam illius vrbis traditionem ignorarit, nemo niſi monachus ſit Sancti Dionyſij, pronuntiabit?

Quid repetam Sancti Audomari geſta, vbi Folcardus Sancti Bertini monachus, Fuſcianum, Victoricum & Quintinum Dionyſij collegas fuiſſe ſcribit? Atqui cùm in veteribus Bibliothecæ Corbeianæ & Sancti Germani Pratenſis codicibus, quos ille laudat, Victoricus, Fuſcianus & Quintinus Piatoni iunguntur, Piatonem quoque Dionyſio Victorici, Fuſciani & Quintini ſocio iungi poſſe, quis non intelligit?

Quid repetam vetus MS. Pariſienſe Breuiarium, in quo ad XVII. Sept. hæc de Sancto Audomaro legebantur: *Prædictus igitur Teruanenſis populus, licèt ante aduentum Beati Audomari à ſociis Dionyſij & martyribus Fuſciano & Victorico verbum audiiſſet diuinum eodem tempore, quo Sanctus Quintinus in Ambianenſi prædicabat vrbe.*

Quid repetam Vſuardum, in cuius exemplaribus cùm manuſcriptis, tum Lutetiæ, Rotomagi, Coloniæ, Venetiis, Lugduni & Patauij editis, Piato Dionyſij comes appellatur ad primum Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa*

Digitized by Google

expetiit, &c. Vſuardus ergo, qui ante annos octingentos iuſſu Caroli Magni Martyrologium ſcripſit in monaſterio S. Germani Pariſienſis, ea habuit monimenta, quæ Piatonem Dionyſij ſocium exhiberent. Vtrum autem recentia illa fuerint, & eſſe nunc, ſi extarent, dicerentur, non meum, ſed aliorum ſit iudicium. Porro verò nihil eſt admodum, cur hac in parte vſus ille monimentis dicatur, quæ cum hiſtoria Saturnini, & Gregorio Turonenſi non pugnarent.

Quid repetam Pariſienſem Eccleſiam, monaſterium S. Dionyſij, S. Germani Pratenſis, S. Martini de campis, S. Victoris, Eccleſiam S. Sepulcri Pariſienſis? quid, inquam, repetam plures alias Eccleſias & monaſteria, in quorum Martyrologiis Piato Dionyſij comes legitur ad diem primum Octobris?

Præcedentia confirmantur tribus antiquis vitæ Sancti Luciani Bellouacenſis exemplaribus.

V. Qvæ de inita Piatonis cum Dionyſio ſocietate diximus, tribus antiquis vitæ Sancti Luciani exemplaribus confirmantur; quorum vnum eſt in Pariſienſi Eccleſia, duo alia Rotomagi in Bibliotheca viri clariſſimi Ioannis Bigotij Curiæ ſubſidiorum Decani. Videamus ergo, quæ de Dionyſio noſtro in illis exemplaribus narrantur: *Eodem*, inquiunt, *itaque tempore beatiſſimus vir Sanctus Lucianus ſanctiſſimo martyri conſociatus Quintino, vrbe Roma cum B. Dionyſio pariter egreſſi Gallias adierunt.* Poſt alia: *Lu-*

Digitized by Google

cianus à B. Dionyſio preſbyteri ſumpſit officium, & ad Bellouacenſem vrbem curſu properauit intrepido, atque tunc Sanctus Dionyſius Pariſius adiit.

Verùm in gratiam veritatis, cui ſoli vacamus, explicanda ſunt omnino tria, quæ his in exemplaribus nonnihil faceſſere negotij poſſent. Vnum eſt, Lucianum, Quintinum & Dionyſium ſub Iuliano Cæſare miſſos referri; at hunc Iulianum non eſſe illum, qui à Chriſtiana religione deſciuit, ſed alium quem in Italia ſe pro Imperatore gerentem Maximianus ad annum CCXXCVI. caſtigauit. Sic, nî fallor, intelligi debet Rabanus in Martyrologio, vbi paſſum ſub Iuliano Cæſare Lucianum aſſerit. Alterum, hæc exemplaria, vt & relata Fuſciani & Victorici geſta, *pugnare* quidem cum hiſtoria Saturnini, & Gregorio Turonenſi, ſed ex hac pugna Milletum *pro* Areopagita lucrari nihil, immo ex illis liquidò conſtare, nullum de Areopagitæ in Gallias aduentu rumorem fuiſſe, quo primùm tempore hiſtoria Luciani compoſita, aut reconcinnata eſt. Tertium, ex conſilio Milleti, qua parte Martialis epiſtolas defendit, *veterum ſcriptorum exemplaria non repudianda penitus, ſed expurganda eſſe.* quod hac in hiſtoria faciendum cenſemus.

Nunc breuiter quærendum eſt, quam ad lineam expurganda ſint. Milletus ad eorum, qui poſt Carolum Magnum vixerunt, iudicium prouocat, reiectis iis, qui rerum geſtarum temporibus æquales, aut viciniores fuerunt. Ego verò ad eos prouoco, qui ante Carolum Magnum ſcripſerunt, qui per ætatem ad Dionyſium & Lucianum propiùs acceſſerunt, qui primarum

traditionum depoſitum ſuis libris intulerunt, qui tandem nullas mecum neque cum aduerſario inimicitias exercuerunt, iis ex legibus exceptionum repudiatis, qui poſt excitatam controuerſiam veterum Sanctorum hiſtorias refinxerunt, qui æquales Hilduini, vel ſuppares, vel etiam recentiores floruerunt. Iudicent verò viri egregiè cordati, vter noſtrûm veritatem quærat integriùs? Meus eſt interim hac in re Irenæus, meus Tertullianus, meus Vincentius Lirinenſis, mei denique ſunt omnes, qui aduerſus mendacium aſſerendi veri regulas olim præſcripſerunt.

Vno igitur verbo hæc vitæ Luciani exemplaria reformanda ſunt ad Dionyſianam epocham, quæ à vetere geſtorum Saturnini ſcriptore, & à Gregorio Turonenſi ſub Decio ponitur, vel ad aliam Dionyſiana paullo inferiorem, quæ traditioni primæ magis conueniat. Quòd ſi vetuſtiores illis hiſtoricis auctores habeat aduerſarius, vel quædam alia, quibus vitæ Luciani exemplaria reformentur certiùs, quidquid id futurum ſit, meum eſſe volo, & hiſtoricos illos ab hac correctione alienos fore conſentio, vt non ſemel vni me intentum eſſe veritati probem.

Menardus vt Luciani Bellouacenſis epocham reuellat, in capite vi. Diatribæ opponit quæ ſequuntur: *Sed in monaſterio S. Luciani Bellouaci ſeruatur vita S. Luciani MS. quam ferunt ab Odone Epiſcopo Bellouacenſi, qui tempore Caroli Calui viuebat, compoſitam, quæ etiam extat in Bibliotheca Floriacenſi vno tamen aut altero folio circa princi-*

pium auulſo, in qua ſcriptum eſt, S. Lucianum à Clemente Papa miſſum in Gallias cum S. Dionyſio veniſſe, ab eóque Bellouacum legatum fuiſſe, tandémque ſub Imperatore Domitiano capitis ſententiam ſubiiſſe. Ex hoc autem fonte diſcuſſor germanam S. Luciani hiſtoriam quærere debebat, non ex turbidis riuulis neſcio cuius corruptoris vita S. Luciani. Sed longè turbidior eſt fons ille, quem deſignat, ſiue quia Luciani vita, quæ eſt in eius monaſterio, ab Odone Bellouacenſium Epiſcopo ſcripta dubitanter traditur, ſiue quia in Bibliotheca Floriacenſi nuſquam occurrit.

Nunc meâ vice fontes vetuſtioris traditionis aperio, quâ quod antea de Luciani tempore diximus ſuſtentatur.

I. Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus, qui ad annum DCLX. claruit, de Luciano hæc tradit in libri II. de vitâ S. Eligij capite VII. *In Bellouacenſi municipio beatum martyrem Lucianum collegam Sancti Quintini inuentum ſimiliter compoſuit & fabricauit* (Eligius.) Hunc autem Quintinum, quem Audoënus Luciani collegam appellat, Vſuardus paſſum ſub Maximiano ſcribit pridie Nouembris: *In Galliis oppido Veromandenſi ſancti Quintini, qui ſub Imperatore Maximiano paſſus eſt.* Ado quoque idem tradit in Martyrologio: *In Galliis oppido Virmandenſi natalis ſancti Quintini martyris, qui ſub Maximiano Imperatore martyrium paſſus eſt.*

II. Acta MSS. ſancti Quintini, quæ Menardus refert in capite VI. Diatribæ: *Temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum multi Chriſtianorum grauiſſimam perſecutionem patiebantur.*

Et

Et poſt alia: *Hac igitur tempeſtate beatiſſimus Quintinus & ſanctiſſimus Lucianus Roma egreſſi Domino ducente Gallias venerunt.*

III. Acta MSS. Piatonis aliàs Piati, quæ Menardus ibidem dicit aſſeruari in bibliotheca ſancti Theodorici prope Remorum vrbem: *Audiens hæc Diocletianus quondam Rom. reipublicæ princeps.* Et poſt alia: *Eodem itaque tempore beatiſſimus Piatus ſanctis martyribus conſociatus eſt Quintino, Lucio, & Luciano, qui pariter egreſſi Gallias adierunt.*

IV. Acta Fuſciani & Victorici, quæ Milletus in reſponſione ad caput II. Diſſertationis Iacobi Sirmondi, è bibliotheca Corbeienſi edidit: *Eo tempore* (quo agebat Diocletianus) *ſancti viri Fuſcianus & Victoricus, aliis ſimili ſanctitate præditis aggregati, videlicet ſancto Quintino & Luciano, Criſpino & Criſpiniano, & Piatoni atque Regulo, Marcello & Eugenio, Rufino & Valerio, ab vrbe Roma progredientes veloci curſu feruentique animo pro victoria Chriſti dimicare parati ad vrbem Pariſios intra fines Galliæ ſitam Chriſto duce peruenerunt.*

V. Antiquiſſima eorundem Sanctorum hiſtoria, quam Franciſcus Boſquetus nunc Epiſcopus Monſpelienſis edidit: *Eodem tempore, quo Maximianus truculentiſſimus Auguſtus per arua Galliæ præſidebat, Rictiouaro præfecturæ dignitatis ordinem agi præcepit: ſancti ergo viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati vnà cum venerabili Dionyſio præſule, comitibus Piatone, Rufino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino & Regulo ab vrbe Roma progredientes curſu intrepido pro Chriſti*

Digitized by Google

dimicantes victoria bellatores Dei egregie intra fines Galliæ vrbe Pariſiis duce Chriſto itineris peruenerunt. infrà : *Sacer verò Domini cultor Lucianus Bellouacenſium ingreſſus fines ardenti animo diuina eloquia gentili populo prædicabat.*

VI. Vita ſancti Quintini apud Surium : *Sanctus Quintinus pro Chriſti amore primò patriam, gentem, parentéſque relinquens Galliis ſe intulit, & cum beato Luciano Ambianos vſque peruenit: ſed ſancto Luciano Bellouacenſium vrbem adeunte, B. Quintinus agonis ſui tempus expectans Ambianis reſedit.* & poſt alia : *Igitur tempore illo Imperatoria ſceptra gerentibus Diocletiano & Maximiano tanta in Chriſtiani nominis religionem exarſit inuidia, vt circumquaque Chriſtiani perſequerentur.*

VII. Criſpini & Criſpiniani hiſtoria. *Sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, qui vnanimi impietate Chriſti Eccleſiam oppugnandam ſuſcepere, beati viri Quintinus, Lucianus, Rufinus, Valerius & Eugenius Romæ claris natalibus orti in Gallias Chriſtum annunciaturi ſe contulerunt.*

VIII. Ordericus Vitalis in libro v. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ : *Dum decima perſecutio per decem annos Chriſtianis fortiter immineret, tunc Quintinus Ambianis, & Lucianus expetiit Beluacum.*

IX. Pariſienſe Breuiarium anno M.D.XLV. editum perpetuæ traditionis lineam concludit : *Tempore quo Maximianus Galliæ præſidebat,* &c. *ſancti viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum pari ordine glomerati vnà cum venerabili Quintino, ac comitibus ceteris Piatone, Rufino, Valerio, Eugenio, Criſpino & Criſpiniano, Luciano, Marcello, & Regulo, ab vrbe Roma progre-*

Digitized by Google

dientes bellatores Dei egregij intra fines Galliæ vrbem Pariſius duce Chriſto peruenerunt. & poſt alia : *Sacer Domini cultor Bellouacenſium ingreſſus eſt fines atque diuina eloquia gentili populo prædicabat.*

Hæc habuimus, quæ de Luciani Bellouacenſium Apoſtoli epocha per antiquam Eccleſiarum traditionem ſcriberemus, cùm ex iis, quæ iam edita ſunt, tum ex iis, quæ Germanus Milletus, & Hugo Menardus Milleti vindex in lucem ediderunt. Nunc verò nonnulla in hanc traditionem animaduertimus :

1. Relata traditionis noſtræ teſtimonia in eo conſentiunt vniuerſa, vt Lucianum ſub Maximiano paſſum eſſe confirment. Quare cùm Methodius & Metaphraſtes Lucianum Dionyſij collegam faciunt, ſi modò incerta ad certorum regulam componantur, Dionyſium ad eandem Maximiani epocham pertinere neceſſariò fatendum eſt. Hoc ita poſito Pariſienſis Dionyſius nec Areopagita erit, nec miſſus à Clemente dici poterit. Sic autem Methodius ſcribit in vita Dionyſij : *Socij beati Dionyſij fuerunt, Saturninus & Lucianus.* & poſt alia : *Aquitaniæ verò partibus miſſo Saturnino ipſe* (Dionyſius) *cum ſancto Luciano & ſancto Ruſtico, & ſancto Eleutherio Lutetiam Pariſiorum venit. Sanctus autem Lucianus Preſbyteri honore ornatus ad Bellouacorum vrbem miſſus eſt.* Sic etiam Metaphraſtes in vita eiuſdem Dionyſij : *Quendam ex iis, qui cum eo* (Dionyſio) *verſabantur, inclitum Lucianum, qui etiam Preſbyteri dignitate erat ornatus, miſit ad ciuitatem inſulæ Beluacenſis prædicaturum pietatem.* Hæc ex turbidis monachorum monaſterij S. Dionyſij fontibus manaſ-

Digitized by Google

ſe ad Græcos homines, quis ex antedictis non facilè deprehendit?

II. Si quis acta Fuſciani & Victorici, quæ num. IV. V. & IX. refero, inter ſe contendat, ſine vllo negotio inueniet fraudem, quæ in iis deſcribendis facta eſt; ſcilicet ex actis, quæ num. IV. & IX. detractum eſſe Dionyſij nomen, quod in actis num. V. relatis habetur. Sed corruptores actorum illorum ſuam fraudem non ſatis occultarunt. Nam in his actis reliquerunt verba hæc, *ad vrbem Pariſios intra fines Galliæ ſitam Chriſto duce peruenerunt*, quæ cum antedictis non admodum quadrant, ſed bene quadrant cum actis num. V. relatis, vbi habetur: *Sancti ergo viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati vnà cum venerabili Dionyſio præſule comitibus*, &c. *intra fines Galliæ vrbe Pariſiis duce Chriſto itineris peruenerunt.* Deinde in actis num. IX. memoratis apparet, Dionyſij nomen ablatum eſſe. Ibi enim dicitur: *Sancti viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum vnà cum venerabili Quintino ac comitibus ceteris.* ſed in actis numero V. deſcriptis traditur, *vnà cum venerabili Dionyſio præſule comitibus*, &c. Poſtremò in actis aliis quæ num. II. & III. recenſentur, nulla fit mentio vrbis Pariſiorum, ad quam illi Roma legati homines peruenerint. Librarij acta illa ſic interpolarunt, vt monachorum Monaſterij S. Dionyſij opinioni ſeu potiùs factioni non officerent.

III. Menardus affirmare non audet, Odonem Bellouacenſium Epiſcopum confeciſſe Luciani acta, in quibus Lucianus à Clemente miſ-

Digitized by Google

ſus dicitur. Sed miror cur non affirmet, cùm & multa alia æquè incerta tanquam certa vt ad Sagram affirmare ſoleat. Cur autem Odo vel alius Lucianum ad Clementis tempus reduxerit, in cauſa fuit Hilduinus & coniurati cum eo monachi, qui Dionyſium Luciani collegam ad eiuſdem Clementis ætatem reuocarunt.

IV. Menardus ſine controuerſia patietur id à nobis dici de vita Dionyſij per Methodium & Metaphraſtem ſcripta, & de actis Luciani per Odonem vel alium confectis, quod ille de veteri paſſionis S. Saturnini ſcriptore pronuntiat in Diatribæ ſuæ capite v. *Sed vrget aduerſarius, ſcriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur, quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomodo internoſci poteſt an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in hominum ore verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is, qui ſcribit non ex veteribus membranis aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?* Si monacho noſtro placuit id de paſſionis S. Saturnini auctore, qui longè minùs à Saturnino, quàm Odo à Luciano diſtabat, vſque adeò confidenter affirmare, cur non idem de Odone actorum Luciani ſcriptore dicere ratione multò æquiori liceret? Sic Menardus vt ille Agrigentinorum tyrannus, inuentis ſuis, artibus & machinis perit.

Digitized by Google

Initam Piatonis cum Dionyſio ſocietatem conuoluit aduerſarius.

VI. Restat modò, vt expediamus tertium, quod furtim, vt loquitur, præteriens more ſuo conuoluit, ne quid ex antiquis monimentis veri colligatur. Res ſic ſe habet: Ego vt quæſita locis communibus effugia præcluderem, quibus incertum Vſuardi Martyrologium efficiunt, in eodem obſeruaueram, Dionyſio coniungi Piatonem, qui ſub Maximiano martyrium fecit. Hanc epocham cùm euellere non potuit aduerſarius, ſic eluſit: *Molanus loco Dionyſij in Vſuardi Martyrologio ad primum Octobris, & in indiculo Sanctorum Belgij repoſuit Quintinum ex aliis Martyrologiis, uti aſſerit.* Hîc in gradum & lineas redeat, vnde tergiuerſando excidit Milletus: quæſtio non eſt, quid rectè, aut perperam egerit Molanus in editione Vſuardi, ſed quid reuera Vſuardus de Dionyſio & Piatone ſcripſerit ad primum Octobris. Vbi verò quærenda eſt hæc veritas? Milletus in Belgio quærit, ego in Gallia; Milletus Louanij in locis incognitis, ego Lutetiæ in ipſo monaſterio Sancti Germani, hoc eſt, in Bibliotheca Milleti, in Eccleſia Pariſienſi, in Eccleſia ſancti Germani Autiſiodorenſis, in Eccleſia Sancti Sepulchri, in monaſterio Sancti Martini de Campis, in monaſterio Dominicanorum ad portam San-Iacobæam, in monaſterio Monialium ad portam S. Antonij, in monaſterio Sancti Victoris, in monaſterio Sancti Dionyſij in Francia, in pluribus aliis Eccleſiis &

monaſteriis, quorum manuſcripta Martyrologia, cùm in noſtro de Hilduini Areopagiticis Iudicio, tum in Animaduerſionibus ad Ioannis Samblacati Palladium exhibuimus. At hæ omnes Eccleſiæ, hæc omnia monaſteria, quæ puro vel aucto Vſuardi Martyrologio vtuntur, ſic conſtantiſſimè legunt ad primum Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit*, &c.

An autem monachi Sancti Germani Pratenſis, Sancti Dionyſij in Francia, & Sancti Martini de Campis falſarint Vſuardi fratris ſui codices, ſi affirmarem, eſſet, cur de mea inſulſitate fortaſſis erubeſcerem: ſine pudore tamen affirmare poterit aduerſarius, qui relictis & ſuis & Galliæ noſtræ manuſcriptis in Belgium conceſſit, quæſitum quod ipſemet non inuenit. Ex illis mulieribus originem trahit, quæ cùm foris eſſent egregiè oculatæ, domi prorſus cæcutiebant.

Deinde, quæcunque ante Molanum edita ſunt Vſuardi Martyrologia, eandem ſemper repræſentant Dionyſij & Piatonis ſocietatem; repræſentat editum Patauij circa annum MD. repræſentat editum Venetiis ann. MDXXII. & MD. XLIX. repræſentat editum Rotomagi ann. MD. VII. repræſentat editum Coloniæ ann. MCCCC. LXXXX. repræſentat editum Lutetiæ ann. MCCCC. LXXXX. & MDXXXVI. Itaque Molanus in editione Vſuardi perperam egit, dum loco Dionyſij Quintinum repoſuit ad primum Octobris. Nec Milletus ſatis expendit, quos ille in indi-

culo Sanctorum Belgij Piatonis & Quintini ſocios facit, Lucium & Albinum, qui tam non reperiuntur in laudatis veteribus membranis Corbeianæ & Pratenſis Bibliothecæ, quàm non reperitur Dionyſius.

Ex vera Vſuardi lectione ad primum Octobris quid colligatur?

VII. Cvm igitur meridiana luce clarius ſit, ab Vſuardo Piatonem Dionyſij factum fuiſſe ſocium; videamus modò, quid inde pro noſtra ſententia colligatur.

Imprimis Vſuardus certiſſimè credidit, Dionyſium Pariſienſem non fuiſſe Areopagitam, cùm Piato Dionyſij ſocius ſub Maximiano martyr occubuerit.

Deinde tam non potuit Vſuardus contra Eccleſiæ Pariſienſis, monaſterij Sancti Dionyſij, & ſui ſancti Germani traditionem ſcribere, quàm non poteſt Milletus contra Hilduini, & hodiernam Monaſterij Sandionyſiaci credulitatem ſentire. In exemplum erit Abaëlardus, quem miris & lamentabilibus modis homines monachi torſerunt.

Præterea candidè & ſine tergiuerſatione vlla fatendum eſt, Vſuardum Dionyſij, Piatonis, ſeu aliorum Sanctorum acta ſecutum eſſe, quæ cum hiſtoria Sancti Saturnini & Gregorio Turonenſi vix conſentiunt. Quidquid id eſt, huiuſmodi erant Dionyſij, Piatonis, Fuſciani, Victorici, Luciani, Criſpini, Criſpiniani geſta, quæ repræſentauimus, & quæ ante annos

octingentos Lutetiæ ſecutus in Martyrologio videtur Vſuardus. Hoc vnicum mihi ſumo, quòd in exteris licèt cæcutierit, in domeſticis tamen hæc viderit ille homo, cui conſcribendi Martyrologij prouinciam Imperator demandauit.

Denique non ſine cauſa (ſi tamen vlla cauſa ſit) Milletus, qui veritatem non quærit, Vſuardum impugnat, à quo cùm Pariſiis ſcripſerit in monaſterio ſancti Germani, res ſic abſolutè contra illum pronuntiatur, vt ad alios prouocari non liceat, nec vllus impoſterum ſuperſit ambigendi locus. Quæ enim conditiones rem certam facere poſſunt, omnes in Vſuardum cadunt: locus vbi ſcripſit, patriæ traditio quæ præ manibus erat & oculis, tempus non ſuſpectum quo ſcripſit, probitas perſonæ quæ ſcripſit, & vicinia monachorum Sancti Dionyſij, à quibus nihil tuliſſet impunè, ſiquid contra Patroni monaſterij decus & gloriam attentaſſet.

CAPVT VII.

Quatuor examinantur; accommodatæ Vſuardi Martyrologio reſponſiones duæ, producta ab aduerſario Martyrologia, & Remenſis Martyrologij repudiatio.

I. IN Reſponſione ad tertium Diſſertationis caput ſunt quatuor, quæ cum egregio diſputatore nunc diligenter examinanda ſunt. Vnum eſt prima reſponſio, quam Eccleſiarum Galliæ Martyrologiis quæ opponuntur, accommo-

dat. *Vnius*, inquit, *affertur Vſuardi textus, ferè in omnibus Eccleſiis lectitari ſolitus, quod Molanus in ipſa fronte Martyrologij Vſuardi à ſe editi ſic teſtatur:* Martyrologium Vſuardi, quo Romana Eccleſia ac permultæ aliæ vtuntur. *Et concludit aduerſarius omnia Martyrologia refragari noſtræ ſententiæ. Correctiùs, opinor, dixiſſet vnum Vſuardum & ſolum.* Rectè quidem aduerſarius ille dixit, ſed Milletus accedit peſſimus omnino corrector. Etenim ſi quod ab initio proprium fuit Vſuardi Martyrologium, in priuatum Romanæ & aliarum Eccleſiarum ius tranſiuit; quid quæſo impediet, quominus, amiſſo, vel certè communicato Vſuardi nomine, Romana & alia quæuis Eccleſia proprium habere Martyrologium verè affirmatéque dicatur? Conſidera ſi placet, lector, quàm prudenter diſputet in Vindiciis aduerſarius: In Florentina Synodo Latini contra Græcos diſputant, pro aſſerenda Spiritus ſancti proceſſione, ex Græcis Græcos arguunt, & Metaphraſtem perurgent, qui in vita Dionyſij hoc ipſum confirmat quod Latini contendunt. Ex quo poſtea Milletus it toti Synodo tributum, quæ de Dionyſij in Galliam acceſſu Metaphraſtes ſcripſit. Hoc audet ille, hoc inquam audet, quod alibi ridiculum oſtendimus, & tamen in hac Vindiciarum defenſione vetat, ne Romanæ & pluribus aliis Eccleſiis tribuatur, quod de duobus Dionyſiis primo, tertio & nono die Octobris legunt in Martyrologio Vſuardi. His ille ſeipſum extricet pedicis, ſi poteſt.

Sed cominus adhuc conuenio virum tam inaniter diſputantem: Quâ ratione Martyrologium,

Digitized by Google

quod Vſuardus ex quibuſdam *præcedentium Patrum Martyrologiis*, vt loquitur, aliquid demendo vel addendo collegit, ſuum ita fecit, & feciſſe meritò cenſetur: ſic & Romana & alia quæuis Eccleſia ſuum quoque fecit Vſuardi Martyrologium, & feciſſe iure cenſenda eſt, quæ illud aut ſolo ſuo vſu probauit, aut adiiciendo nonnihil, immutando, vel detrahendo ad morem proprium redegit. At de Martyrologio Vſuardi iſtud ab Romana & aliis pluribus Eccleſiis factum, quis negabit vnquam, niſi Milletus? Itaque ſicut cùm Vſuardi Martyrologium dicimus & laudamus, de aliis Martyrologiis, quæ Vſuardus ſequitur, nemo verè cogitat: ſic cùm Romanæ, Pariſienſis, & aliarum Eccleſiarum Martyrologia dicimus & citamus, nihil eſt omninò, cur Vſuardi Martyrologium, quocum alioquin alia conueniunt, nominatim quis intelligat. Cùm ergo diuerſarum Eccleſiarum Martyrologia in eadem re inter ſe, & cum eo, quod pridem traditum eſt, conſentiunt, vt in Dionyſio Pariſienſi & Athenienſi conſentire videntur, nullus, opinor, ibit inficias, quin ex illis res in quæſtione poſita decernatur.

Atenim circumſpectiſſimus vir occurrit, & idem in omnibus fere Eccleſiarum Martyrologiis lectitari cauſatur. Quid tum? optimè verò; diſſidere Eccleſias in ſuis vult Martyrologiis, & vnas vnum de Dionyſio Pariſienſi & Athenienſi, alias aliud ſentire? ô præpoſteri iudicij virum! Ruat igitur omnis vera & priſca traditio neceſſe eſt, vnde vel vnicâ eáque inconcuſsâ ſtare machinâ & fulcimento hactenus creditum eſt.

Digitized by Google

Examinatur altera reſponſio Martyrologio Vſuardi accommodata.

II. Alterum eſt reſponſio ſecunda, qua & ſe & Vſuardi Martyrologium ſic irridet: *Vſuardum nec videri fauere nobis, nec aduerſari.* Proh Deum immortalem! Qui Vſuardus anno MDC. XXXVIII. in Vindiciis lib. II. cap. IV. aduerſabatur Milleto, nunc anno MDCXLII. nec illi fauere, nec aduerſari videtur. *Sed ponamus*, inquiebat anno MDCXXXVIII. *Vſuardum aduerſari nobis, quid tanti denique eſt? ex corrupto Bedæ Martyrologio, vnde pleraque alia mutuatus eſt, mendum illud* (de vtroque Dionyſio) *contraxit.* Dico ampliùs. Qui Vſuardus hîc paragrapho primo nec fauere, nec aduerſari videtur, ille idem paragrapho tertio totus ex aduerſariis eſt. Mihi non credis lector, nec ægrè fero; audi tu lepidum illum ſcriptorem: *Certè non temerè quidem diximus Vſuardum nec fauere nobis, nec aduerſari: Cogitatiùs verò conſideranti textum, & morem eius antiqui Martyrologi, apparet continuò totus ex nobis.* Qui ſic ſcribit, non tam diſputare, quàm garrire mihi videtur.

Enimuerò cogitatiùs textum Vſuardi expendamus: Calendis Octobris. *Ciuitate Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Ecce tibi Dionyſius comes Piatonis qui ſub Maximiano paſſus eſt, vt in ſuperioris capitis num. IV. V. & VI. demonſtraui.

Digitized by Google

Quinto Nonas Octobris: *Natale Beati Dionyſij Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides vir fide ſapientiáque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale ſanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij Diaconi, qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus, martyrium compleuit.*

Hîc quantum Vſuardus aduerſetur Milleto, doctorum vel indoctorum nullus eſt, qui non facilè deprehendat. I. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas, Athenienſem paſſionis teſtem habet Ariſtidem; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, Athenienſem paſſionis teſtem non habet Ariſtidem. II. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas, nullos habet paſſionis ſocios; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, duos habet paſſionis ſocios, Ruſticum & Eleutherium. III. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas diuerſis tormentorum generibus, nec tamen exploratis patitur; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, explorato ſupplicio patitur, capitis ſcilic. amputatione. IV. Qui Dionyſius patitur V. Nonas, ſub quo patiatur Cæſare vel Præfecto, non dicitur; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, ſub Præfecto Feſcennino paſſus dicitur. V. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas, miſſus in Galliam à Pontifice Ro-

mano non ſignificatur; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, in Galliam miſſus à Pontifice Romano ſignificatur. VI. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas, Lutetiam Pariſiorum veniſſe non dicitur; qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, Lutetiam Pariſiorum veniſſe dicitur. VII. Qui Dionyſius patitur quinto Nonas, & qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, eâ verborum compactione paſſi deſcribuntur, vt idem Dionyſius paſſus deſcribi non videatur. VIII. Qui Dionyſius patitur ſeptimo Idus, Calendis dicitur Sancti Piatonis collega; ſed Piato ſub Maximiano cùm paſſus ſit, Dionyſius Piatonis ſocius non potuit eſſe Areopagita, qui quinto Nonas martyrio coronatur. Potuit certiùs Pariſienſis ab Areopagita diſcerni? potuit euidentiùs?

Menardus moleſtè fert Ariſtidem ab Vſuardo citatum eſſe, quòd illum Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, Euſebius, Metaphraſtes antiquior Vſuardo, Methodius, Syncellus, Nicephorus, Suidas non laudauerint. Ex tali citationis omiſſione ſuſpectam habet citationem Ariſtidis. Sed fruſtrà, niſi velit Vſuardum monachum impoſtorem eſſe, qui librum à ſe non viſum citet, vel ei id falsò tribuat, quod verè tribui non poteſt.

Deinde némo ſcire poteſt, vtrum Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus Ariſtidem citauerit; quia Dionyſij huius epiſtolæ integræ non ſuperſunt. Neque pro Dionyſio Areopagita neceſſe erat, vt Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus citaret Ariſtidem, quem videre potuerat. Hic æquè ac Ariſtides Epiſcopat. Areopagitæ nouerat.

Euſebius Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi epiſtolas citauit potiùs, quàm Ariſtidis apologeticum, quia plura de Dionyſio Athenienſi Dionyſius Corinthius, quàm Ariſtides, vt par eſt credere, ſcripſerat. Præterea Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus auctor eſt illuſtrior, quàm Ariſtides, & ille vnus ſatis erat ad propoſitum Euſebij. Metaphraſtes non eſt Vſuardo antiquior: ad annum DCCCCL. vixit vt Ioannes Bollandus in ſuis ad tomum 1. de vitis Sanctorum præfationibus oſtendit. Baronius, qui Metaphraſtem citiùs vixiſſe putat, eum Carolo Magno ſub quo Vſuardus floruit, antiquiorem non facit, ad annum DCCCL. tantùm reuocat.

Methodius cùm legatus erat in Gallia, ab Hilduino, vt apparet, deceptus Metaphraſtem & alios decepit. Accedit quòd Ariſtidis liber ad illos non peruenerit. Cuia ſit culpa, ego neſcio. Sed probè teneo, Adonem, qui tunc vixit, de Ariſtidis opere ita loqui v. Nonas Octobris: *Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monimenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Nunc Menardus vt Vſuardo, ita & Adoni impoſturæ dicam ſcribat.

Verumenimuerò è tot notis, quibus Vſuardi mens explicatur, ſecundam aliis prætermiſſis Milletus furtim arripit, cui ſic reſpondet paragrapho tertio: *Vnius*, inquit, *mentio facta eſt Dionyſij eo die, quo apud Græcos celebris eſt illius memoria, quia nimirum Græcorum intererat, ſuum Dionyſium Athenienſem Proto-Epiſcopum memorari, non item ſocios Romæ illi adiunctos, ac nihil tanti de Græcia meritos.*

Digitized by Google

Hîc primò ſubtiliſſimus pater ſupponit, quod ex Vſuardo probandum fuit, Dionyſij Areopagitæ mentionem fieri eo tantùm die, quo apud Græcos celebris eſt illius memoria. At Eccleſia Carnotenſis, Ambianenſis, Venetenſis & Narbonenſis vtrique Dionyſio duo diuerſa Officia præſcripſerunt, vt alibi docuimus: Areopagitæ quidem tres lectiones quinto Nonas, Pariſienſi verò nouem lectiones ſeptimo Idus Octobris. II. Si pro Græcis tantùm ſcripſiſſet tertio die Octobris, more Græcorum ſcripſiſſet mutuatus, opinor, quæ illi de Areopagita in Menologiis ſcribunt. At in veteri Græcorum Menologio nihil reperit Hilduinus *præter diem natalitij eius, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit.* Quod & in Latino Menologio Sirleti ſic exaratur: *Certamen Sancti Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.* Vbinam quæſo eadem eſt verborum conſtructio, & citatus apud Græcos Ariſtides? III. Si ſociorum Dionyſij non meminit Vſuardus, quia nihil tanti de Græcia meriti ſunt homines Dionyſio Romæ adiuncti; quid ergo meminit diuerſorum Dionyſij tormentorum & martyrij, cùm ex quo Roma in Galliam venit, ſuis cruciatibus & martyrio nihil tanti de Græcia meritus eſt? Præterea Euſebij Martyrologium, quod Milletus citat, Græcum opinor fuit, & auctor Græcus, Dionyſio tamen ſocios adiungit, ſed forſan non ſuo, ſed Latinorum more locutum eruditus ac verſatilis pater affirmabit.

Obiicit adhuc, Vſuardum *tertio Octobris die non ſignificare locum, quo memoratus inibi Dionyſius martyrium fecit, aliis verò Dionyſiis locum ſem-*

per

Digitized by Google

per aſſignare, quo quiſque mortuus eſt. At contrà bis aduerſario locum illum ſufficientiſſime deſignauit: ſemel quidem in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Sed ponamus Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud* (de vtroque Dionyſio) *contraxit.* Iterum in hac Vindiciarum defenſione, vbi docet *mentionem factam eſſe Dionyſij eo die, quo apud Græcos celebris eſt illius memoria, quia nimirum Græcorum intererat ſuum Dionyſium Athenienſium Protoëpiſcopum memorari.* Secum habitet Milletus, cogitet quid velit, quid ſcribat, & loquentem prius audiat Tertullianum: *Verba hæc tua ſunt, quorum te & alibi meminiſſe oportuerat, ne quid his contrarium inferres.*

Deinde niſi ſatis expreſsè Dionyſium Areopagitam Vſuardus ſignificaſſet, cur quidam monaſterij S. Germani monachus eraſit, quicquid de illo Dionyſio ad tertium diem habebatur? III. Mortis locum apertè deſignauit, vbi eorum, quæ de Dionyſio dixit v. Non. Octobr. clariſſimæ ſcilicet fidei confeſſionis, quam edidit, & diuerſorum tormentorum, quæ tulit, teſtem appellat virum Athenienſem. IV. Sunt plures aliæ notæ, quibus vt antea patuit, diſcrimen vtriuſque manifeſtiſſimum fecit, ſi Piato, verbi gratiâ, Dionyſij noſtri comes fuit, vti fuiſſe Vſuardi cùm edita, tum manuſcripta Martyrologia conſtantiſſimè perhibent, quo vnquam pacto intelligemus eundem eſſe tertio atque nono die Dionyſium, niſi velint Areopagitam ad Diocletiani tempus perueniſſe? Ceterum aliis Dionyſiis rectè locum aſſignauit, cùm vix aliter, quàm ex loco diſtingui potuerint.

Digitized by Google

Examinantur producta à Milleto Martyrologia.

III. Tertivm, quod examinandum occurrit, in productis à Milleto pluribus Martyrologiis conſiſtit; & primò quidem in iis, quæ vnius tantùm Dionyſij ſic meminerunt ſeptimo Idus Octobris. *Natale ſanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij Diaconi.* At primò de iſtis & aliis omnibus Martyrologiis peritiſſimus cenſor ſic decernit in libri II. Vindiciarum capite IV. *Nulla ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Tunc omnia corrupta ſunt Martyrologia, quando nocent, tunc incorrupta, quando videntur prodeſſe. Itaque ſi vis vt neget aduerſarius, negabit, ſi vis vt affirmet, affirmabit. Sic in monaſterio Sancti Dionyſij quæritur veritas. II. Quicquid ex vnius Dionyſij mentione per rationem colligi poteſt, confutat ipſe in epilogo Reſponſionis cap. VI. *Sed dicimus id argumenti & merè negatiuum eſſe iuxta vaniſſimum.* Quod & nos alibi non ſemel oſtendimus. In centum volo Martyrologiis non ſint duo noſtri Dionyſij, ſed vnicus tantùm: in centum aliis ſi reperiantur duo, quid infantiſſimus dialecticus concludet? Nam tametſi in aliquot Martyrologiis vnicus legatur Dionyſius ad nonum Octobris, ſequitúrne illum fuiſſe Areopagitam? præſertim cùm nec Areopagita, nec Athenienſis, nec ab Apoſtolo Paulo conuerſus ſignificetur. Si in vno aut altero Martyrologio

nullus haberetur Dionyſius, nullúmne vnquam in rerum natura Dionyſium extitiſſe concluderes? Hoc ſimplicium abnutiuorum genere nemo, qui ſapiat, vtitur, dum in eadem temporis periodo vnus liber id habet, quod alter non habet.

Productum perperam à Milleto Bedæ Martyrologium.

IV. SECVNDÒ Milletus contra Hilduinum, contra veteres monachos monaſterij S. Dionyſij, & contra ſeipſum Bedæ Martyrologium producit. Contra Hilduinum quidem, cùm ille in epiſtola ad fideles disertè fateatur, Dionyſij Pariſienſis & Areopagitæ diſcrimen, *autumatione Gregorij Turonenſis, & ſubreptione Bedæ hominum animos ſuo tempore occupaſſe.* Contra veteres monaſterij S. Dionyſij monachos, qui verberibus ad palinodiam coëgerunt Abaëlardum ſuum, quòd Bedæ ſententiam Hilduini credulitate potiorem affirmaſſet. Denique contra ſeipſum, cùm in Vindiciis ſcribat, *Vſuardum ex corrupto Bedæ Martyrologio, mendum illud* (de duobus Dionyſiis) *contraxiſſe.*

Adhæc Milletus imponit Baronio, vel inaniter auguratur, dum quod Bedæ antiquiſſimum apud ſe Martyrologium habuiſſe dicit, *illud purum atque incorruptum* appellat; ſed hoc nec Baronius aſſeruit, nec fortean expendit, aut expendere potuit. Quid enim à Floro & aliis ſubinde additum Bedæ Martyrologio, vel detractum ſit, nemo verè dicet vnquam, donec germanum Bedæ inuenerit, recognoueritque Martyrologium.

Digitized by Google

Hoc autem quî facilè fieri poſſet?

Baronius quidem tradit, ex Græcorum *fortè* Menologiis auctum eſſe Bedæ Martyrologium, ſed rectè cum particula dubitandi loquitur, quam quia nocet, ſincerè præterit Milletus. Et reuera eadem non eſt in veteribus Menologiis rerum & verborum ſeries, quæ in vulgato Bedæ Martyrologio. Ex mutua collatione res clarior euadet: Sic habet Bedæ Martyrologium tertio Octobris die: *Natale Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus Athenis ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale ſanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici Diaconi*, &c. At vetus Menologium, quod vidit Hilduinus, ſic habet: *Habemus*, inquit, *Græcæ auctoritatis Martyrologium, in quo diem natalitij eius* (Areopagitæ) *deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, reperimus annotatum.* In altero quoque Menologio, quod Latinum fecit Sirletus, hæc tantùm leguntur tertio die Octobris: *Certamen Sancti Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.*

In his ergo Menologiis nihil de Apoſtolo Paulo, nihil de ordinatione Epiſcopatus, nihil de Adriano principe, nihil de confeſſione fidei, nihil de grauiſſimis tormentorum generibus refertur: quæ tamen omnia in vulgato referuntur Bedæ Martyrologio.

Si quod autem Venetiis prodiit Græcum Me-

Digitized by Google

nologium habuiſſet, qui Bedæ Martyrologium auxit, aliter omnino feciſſet, atque feciſſe ſuſpicatur Baronius. Ad tertium quippe diem Octobris Dionyſium Pariſienſem cum Athenienſi confudiſſet, quos in Martyrologio Bedæ penitus diſtinxit, vt vidimus. Atenim vix habere potuit Menologium, cui recentiores Græci intulerunt, quicquid de neſcio qua muliere Catula, de geſtatione capitis, & aliis Methodius & ceteri ex quorundam Gallorum commentariis Græcæ fidei tradiderunt.

Producta perperam à Milleto Bedæ Ephemeris.

V. Tertiò Milletus ex Ephemeride Bedæ hæc producit ſeptimo Idus Octobris: *Pariſius Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij Diaconi.* At vulgatum in Ephemeride Bedæ Calendarium non priùs illi tribui debet, quàm vir in doctrina temporum verſatiſſimus arbitretur Bedam Bonifacio Moguntino, Vvilibaldo Eiſtetenſi, Otmaro Abbate, & Huldarico Auguſtenſi poſteriorem eſſe, quorum primus anno DCCLIV. ſecundus anno circiter DCCLV. tertius anno DCC.LVIII. quartus anno DCCCCXXXIX. diem extremum clauſit. Deinde ex hoc Calendario in pleriſque diebus vacuo idem concluderet, quod ex Pariſienſis Eccleſiæ Calendario, vbi qui vnicus cum ſociis Dionyſius ponitur, in eiuſdem Eccleſiæ Litaniis æræ Diocletianeæ martyribus connumeratur, quare Dionyſius iſte non poteſt non eſſe Areopagita. Sic acutus homo diſputat.

Digitized by Google

Productum perperam à Milleto Rabani Martyrologium.

VI. QVARTÒ Milletus Rabani Martyrologium adducit, ſed quod reuera cauſam Areopagiticam iugulat, & auctorem ſuum de Dionyſio locutum ab hac lite excludit. Referimus verba, quæ vt more ſuo fucum faciat, reticet aduerſarius. Septimo Idus Octobris. *In Pariſio paſſio Dionyſij Epiſcopi & martyris, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici Diaconi, quos referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicandum verbum Dei miſſos.* Hîc de Dionyſio refert, quæ ab aliis ſuo tempore iactabantur. Sed Nonis Auguſti Dionyſium eundem memorat à Petro legatum: *In ciuitate Catalaunica*, inquit, *depoſitio Memmij Epiſcopi & Confeſſoris, de quo legitur, quòd à Beato Petro Apoſtolo in Romana ſede ordinatus Epiſcopus miſſus fuiſſet in Galliam cum Sancto Dionyſio & Sancto Sixto,*

Mirabilis eſt Dionyſij Pariſienſis in Galliam miſſio & aduentus. Etenim apud eos, qui de illo poſt Carolum Magnum ſcripſerunt, ſiue à Petro, ſiue à Clemente miſſum faciant, ſiue etiam cum Magdalena veniſſe Maſſiliam ad annum Chriſti xxxv. dixerint cum Vincentio, ſemper eſt Areopagita.

Productum perperam à Milleto Vvandelberti Martyrologium.

VII. QVINTÒ Milletus opponit Vvandel-

berti Martyrologium ; ſed fruſtra : etenim ex commentariis Monachorum Sancti Dionyſij profecta ſunt, quæcunque de Dionyſio duobus in locis Vvandelbertus ſeu alius cecinit. Hoc apprimè teſtantur verſus illi tres, quos ad decimum Calendas Maij habet de inuentione martyrum :

Hac quoque diuino patuerunt prodita nutu,
Corpora martyrio Eccleſiam luſtrantia trino,
Dionyſij, Ruſtici, Eleutheriique beati.

Hæc porro ſi ad noſtram de miraculis Dionyſij, & de gloria ſepulcri illius collectionem componas, nunquam admittent ſolem tam claræ veritatis.

Productum perperam à Milleto Euſebij Martyrologium.

VIII. Sextò Milletus opponit ex Corbeiana Bibliotheca Euſebij Martyrologium, vbi ita legitur VII. Idus Octobris : *Pariſius natalis Sanctorum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij Diaconi, & quinto Nonas nihil.* Ex quo vir ſubtilis colligit Dionyſium iſtum Areopagitam fuiſſe, quia quinto Nonas nulla fit Areopagitæ mentio : cui egregiæ cæteroqui concluſioni primò reſpondet auctor in epilogi capite VI. *Id argumenti dicimus*, inquit, *& merè negatiuum eſſe iuxtà vaniſſimum.* II. reſpondet in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Nulla*, inquit, *ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut imitatione Græcorum Martyrologia corrupta peruenerunt.* III. reſpondet in reſponſione ad cap. III. paragr. III. *Græcorum non intereſſe ſocios Dionyſio Romæ adiunctos me-*

Quis eſt enim tam vecors, vt neſciat Martyrologia, quæ diuturno vſu atteruntur, & obſcurantur, frequenter ad commoditatem legentium deſcribi. Vetuſtius aliquod Remenſe producendum erat exemplar, à quo apographum, quod citauimus, degenerarit. In eiuſmodi libris metienda eſt ætas ex rebus quæ narrantur. At Remenſe Martyrologium, cum Vſuardi, Adonis & vulgato ſub nomine Bedæ Martyrologio ſi conferas, longè ſimplicius inuenies. Quò autem ſimpliciora ſunt Martyrologia, eò ſinceriora apud eruditos habentur. Deinde ponamus quoſdam è nouis Sanctis huicce Martyrologio additos reperiri? Quid tum? Cùm audeat Milletus Euſebij Martyrologium vt antiquiſſimum abſolutè laudare, tametſi in eodem Leodegarium, & dedicationem Corbeienſis Eccleſiæ deprehenderimus: vt interim omittamus nihil eſſe in illo Euſebij Martyrologio, quod Milleti cauſam iuuet, & inſuper dubitari, an Euſebius id vel aliud Martyrologij genus ediderit: ſcilicet in omnibus legitima diſputandi ratione nobis interdicent, qui fucatam ſequuntur.

Denique dicit Martyrologium Remenſe nullum habere auctorem, cùm *alia omnia habeant, aut Euſebium, aut Bedam, aut Vſuardum, aut Adonem, aut Romanam Eccleſiam.* At hîc multipliciter imponit aduerſarius: & primò quidem repugnantem non habet Eccleſiam Romanam: deinde conſonum habet vetus Conſtantinopolitanum Martyrologium, quod vidit Hilduinus. tum conſonum habet. Menologium Sirleti, in quo ſic legitur v. Nonas Octobr. *Certamen Sancti*

Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum. IV. Conſentientes habet Bedam & Vſuardum, vel ipſo iudice Milleto, ſi tamen illius leuitas ſinat, vt pro iudice habeatur: *Sed ponamus*, inquit, *Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud* (de duobus Dionyſiis) *contraxit.* V. Conſonam habet Romanam Eccleſiam in veteri Martyrologio quod Roſuueydus publici iuris fecit. Habet, inquam, cùm eam ob rem Milletus illud in Vindiciis vt dubium reiecit ac ſuſpectum. VI. Habet Adonem, quem ipſe in Vindiciis ſibi opponit, & ſimul cum veteri Romano Martyrologio concerpit. VII. Conſentientes habet Eccleſias Carnotenſem, Ambianenſem, Venetenſem & Narbonenſem, in quarum Calendariis duplex officium præſcribi docuimus, vnum pro Areopagita tertio die Octobris, alterum pro Pariſienſi Dionyſio & ſociis nono die. VIII. Conſentientem habet Eccleſiam Sancti Symphoriani in eadem vrbe Remenſi, vbi par hac in re Martyrologium lectitatur.

Quàm verſatile ſit ingenium Milleti.

X. NVNC verſatile hominis ingenium conſideremus. Dum in Martyrologiis plurium Eccleſiarum eadem penitus verba, quæ ſunt apud Vſuardum, & eundem habent proinde ſenſum, exhibemus, illa in reſponſione ad caput III. Diſſertationis negligit, *quia vnius*, inquit, *affertur textus Vſuardi ferè in omnibus Eccleſiis lectitari ſolitus.* Dum verò Remenſe Martyrologium pro-

Hîc primò ſubtiliſſimus pater ſupponit, quod ex Vſuardo probandum fuit, Dionyſij Areopagitæ mentionem fieri eo tantùm die, quo apud Græcos celebris eſt illius memoria. At Eccleſia Carnotenſis, Ambianenſis, Venetenſis & Narbonenſis vtrique Dionyſio duo diuerſa Officia præſcripſerunt, vt alibi docuimus: Areopagitæ quidem tres lectiones quinto Nonas, Pariſienſi verò nouem lectiones ſeptimo Idus Octobris. II. Si pro Græcis tantùm ſcripſiſſet tertio die Octobris, more Græcorum ſcripſiſſet mutuatus, opinor, quæ illi de Areopagita in Menologiis ſcribunt. At in veteri Græcorum Menologio nihil reperit Hilduinus *præter diem natalitij eius, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit.* Quod & in Latino Menologio Sirleti ſic exaratur: *Certamen Sancti Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.* Vbinam quæſo eadem eſt verborum conſtructio, & citatus apud Græcos Ariſtides? III. Si ſociorum Dionyſij non meminit Vſuardus, quia nihil tanti de Græcia meriti ſunt homines Dionyſio Romæ adiuncti; quid ergo meminit diuerſorum Dionyſij tormentorum & martyrij, cùm ex quo Roma in Galliam venit, ſuis cruciatibus & martyrio nihil tanti de Græcia meritus eſt? Præterea Euſebij Martyrologium, quod Milletus citat, Græcum opinor fuit, & auctor Græcus, Dionyſio tamen ſocios adiungit, ſed forſan non ſuo, ſed Latinorum more locutum eruditus ac verſatilis pater affirmabit.

Obiicit adhuc, Vſuardum *tertio Octobris die non ſignificare locum, quo memoratus inibi Dionyſius martyrium fecit, aliis verò Dionyſiis locum ſem-*

per

Digitized by Google

per aſſignare, quo quiſque mortuus eſt. At contrà bis aduerſario locum illum ſufficientiſſimè deſignauit: ſemel quidem in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Sed ponamus Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud* (de vtroque Dionyſio) *contraxit.* Iterum in hac Vindiciarum defenſione, vbi docet *mentionem factam eſſe Dionyſij eo die, quo apud Græcos celebris eſt illius memoria, quia nimirum Græcorum intererat ſuum Dionyſium Athenienſium Protoëpiſcopum memorari.* Secum habitet Milletus, cogitet quid velit, quid ſcribat, & loquentem prius audiat Tertullianum: *Verba hæc tua ſunt, quorum te & alibi meminiſſe oportuerat, ne quid his contrarium inferres.*

Deinde niſi ſatis expreſsè Dionyſium Areopagitam Vſuardus ſignificaſſet, cur quidam monaſterij S. Germani monachus eraſit, quicquid de illo Dionyſio ad tertium diem habebatur? III. Mortis locum apertè deſignauit, vbi eorum, quæ de Dionyſio dixit v. Non. Octobr. clariſſimæ ſcilicet fidei confeſſionis, quam edidit, & diuerſorum tormentorum, quæ tulit, teſtem appellat virum Athenienſem. IV. Sunt plures aliæ notæ, quibus vt antea patuit, diſcrimen vtriuſque manifeſtiſſimum fecit, ſi Piato, verbi gratiâ, Dionyſij noſtri comes fuit, vti fuiſſe Vſuardi cùm edita, tum manuſcripta Martyrologia conſtantiſſimè perhibent, quo vnquam pacto intelligemus eundem eſſe tertio atque nono die Dionyſium, niſi velint Areopagitam ad Diocletiani tempus perueniſſe? Ceterum aliis Dionyſiis rectè locum aſſignauit, cùm vix aliter, quàm ex loco diſtingui potuerint.

Digitized by Google

Examinantur producta à Milleto Martyrologia.

III. Tertium, quod examinandum occurrit, in productis à Milleto pluribus Martyrologiis conſiſtit; & primò quidem in iis, quæ vnius tantùm Dionyſij ſic meminerunt ſeptimo Idus Octobris. *Natale ſanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij Diaconi.* At primò de iſtis & aliis omnibus Martyrologiis peritiſſimus cenſor ſic decernit in libri II. Vindiciarum capite IV. *Nulla ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Tunc omnia corrupta ſunt Martyrologia, quando nocent, tunc incorrupta, quando videntur prodeſſe. Itaque ſi vis vt neget aduerſarius, negabit, ſi vis vt affirmet, affirmabit. Sic in monaſterio Sancti Dionyſij quæritur veritas. II. Quicquid ex vnius Dionyſij mentione per rationem colligi poteſt, confutat ipſe in epilogo Reſponſionis cap. VI. *Sed dicimus id argumenti & merè negatiuum eſſe iuxta vaniſſimum.* Quod & nos alibi non ſemel oſtendimus. In centum volo Martyrologiis non ſint duo noſtri Dionyſij, ſed vnicus tantùm: in centum aliis ſi reperiantur duo, quid infantiſſimus dialecticus concludet? Nam tametſi in aliquot Martyrologiis vnicus legatur Dionyſius ad nonum Octobris, ſequitúrne illum fuiſſe Areopagitam? præſertim cùm nec Areopagita, nec Athenienſis, nec ab Apoſtolo Paulo conuerſus ſignificetur. Si in vno aut altero Martyrologio

Digitized by Google

nullus haberetur Dionyſius, nullúmne vnquam in rerum natura Dionyſium extitiſſe concluderes? Hoc ſimplicium abnutiuorum genere nemo, qui ſapiat, vtitur, dum in eadem temporis periodo vnus liber id habet, quod alter non habet.

Productum perperam à Milleto Bedæ Martyrologium.

IV. SECVNDO Milletus contra Hilduinum, contra veteres monachos monaſterij S. Dionyſij, & contra ſeipſum Bedæ Martyrologium producit. Contra Hilduinum quidem, cùm ille in epiſtola ad fideles diſertè fateatur, Dionyſij Pariſienſis & Areopagitæ diſcrimen, *autumatione Gregorij Turonenſis, & ſubreptione Bedæ hominum animos ſuo tempore occupaſſe.* Contrà veteres monaſterij S. Dionyſij monachos, qui verberibus ad palinodiam coëgerunt Abaëlardum ſuum, quòd Bedæ ſententiam Hilduini credulitate potiorem affirmaſſet. Denique contra ſeipſum, cùm in Vindiciis ſcribat, *Vſuardum ex corrupto Bedæ Martyrologio, mendum illud* (de duobus Dionyſiis) *contraxiſſe.*

Adhæc Milletus imponit Baronio, vel inaniter auguratur, dum quod Bedæ antiquiſſimum apud ſe Martyrologium habuiſſe dicit, *illud purum atque incorruptum* appellat; ſed hoc nec Baronius aſſeruit, nec fortean expendit, aut expendere potuit. Quid enim à Floro & aliis ſubinde additum Bedæ Martyrologio, vel detractum ſit, nemo verè dicet vnquam, donec germanum Bedæ inuenerit, recognoueritque Martyrologium.

Hoc autem quî facilè fieri poſſet?

Baronius quidem tradit, ex Græcorum *fortè* Menologiis auctum eſſe Bedæ Martyrologium, ſed rectè cum particula dubitandi loquitur, quam quia nocet, ſincerè præterit Milletus. Et reuera eadem non eſt in veteribus Menologiis rerum & verborum ſeries, quæ in vulgato Bedæ Martyrologio. Ex mutua collatione res clarior euadet: Sic habet Bedæ Martyrologium tertio Octobris die: *Natale Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus Athenis ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale ſanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici Diaconi*, &c. At vetus Menologium, quod vidit Hilduinus, ſic habet: *Habemus*, inquit, *Græcæ auctoritatis Martyrologium, in quo diem natalitij eius* (Areopagitæ) *deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, reperimus annotatum.* In altero quoque Menologio, quod Latinum fecit Sirletus, hæc tantùm leguntur tertio die Octobris: *Certamen Sancti Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.*

In his ergo Menologiis nihil de Apoſtolo Paulo, nihil de ordinatione Epiſcopatus, nihil de Adriano principe, nihil de confeſſione fidei, nihil de grauiſſimis tormentorum generibus refertur: quæ tamen omnia in vulgato referuntur Bedæ Martyrologio.

Si quod autem Venetiis prodiit Græcum Me-

Digitized by Google

nologium habuiſſet, qui Bedæ Martyrologium auxit, aliter omnino feciſſet, atque feciſſe ſuſpicatur Baronius. Ad tertium quippe diem Octobris Dionyſium Pariſienſem cum Athenienſi confudiſſet, quos in Martyrologio Bedæ penitus diſtinxit, vt vidimus. Atenim vix habere potuit Menologium, cui recentiores Græci intulerunt, quicquid de neſcio qua muliere Catula, de geſtatione capitis, & aliis Methodius & ceteri ex quorundam Gallorum commentariis Græcæ fidei tradiderunt.

Producta perperam à Milleto Bedæ Ephemeris.

V. Tertiò Milletus ex Ephemeride Bedæ hæc producit ſeptimo Idus Octobris: *Pariſius Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij Diaconi.* At vulgatum in Ephemeride Bedæ Calendarium non priùs illi tribui debet, quàm vir in doctrina temporum verſatiſſimus arbitretur Bedam Bonifacio Moguntino, Vvilibaldo Eiſtetenſi, Otmaro Abbate, & Huldarico Auguſtenſi poſteriorem eſſe, quorum primus anno DCCLIV. ſecundus anno circiter DCCLV. tertius anno DCCLVIII. quartus anno DCCCCXXXIX. diem extremum clauſit. Deinde ex hoc Calendario in pleriſque diebus vacuo idem concluderet, quod ex Pariſienſis Eccleſiæ Calendario, vbi qui vnicus cum ſociis Dionyſius ponitur, in eiuſdem Eccleſiæ Litaniis æræ Diocletianeæ martyribus connumeratur, quare Dionyſius iſte non poteſt non eſſe Areopagita. Sic acutus homo diſputat.

Digitized by Google

Productum perperam à Milleto Rabani Martyrologium.

VI. QVARTÒ Milletus Rabani Martyrologium adducit, ſed quod reuera cauſam Areopagiticam iugulat, & auctorem ſuum de Dionyſio locutum ab hac lite excludit. Referimus verba, quæ vt more ſuo fucum faciat, reticet aduerſarius. Septimo Idus Octobris. *In Pariſio paſſio Dionyſij Epiſcopi & martyris, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici Diaconi, quos referunt à Clemente Papa in Galliam ad prædicandum verbum Dei miſſos.* Hîc de Dionyſio refert, quæ ab aliis ſuo tempore iactabantur. Sed Nonis Auguſti Dionyſium eundem memorat à Petro legatum: *In ciuitate Catalaunica*, inquit, *depoſitio Memmij Epiſcopi & Confeſſoris, de quo legitur, quòd à Beato Petro Apoſtolo in Romana ſede ordinatus Epiſcopus miſſus fuiſſet in Galliam cum Sancto Dionyſio & Sancto Sixto,*

Mirabilis eſt Dionyſij Pariſienſis in Galliam miſſio & aduentus. Etenim apud eos, qui de illo poſt Carolum Magnum ſcripſerunt, ſiue à Petro, ſiue à Clemente miſſum faciant, ſiue etiam cum Magdalena veniſſe Maſſiliam ad annum Chriſti xxxv. dixerint cum Vincentio, ſemper eſt Areopagita.

Productum perperam à Milleto Vvandelberti Martyrologium.

VII. QVINTÒ Milletus opponit Vvandel-

berti Martyrologium ; ſed fruſtra : etenim ex commentariis Monachorum Sancti Dionyſij profecta ſunt, quæcunque de Dionyſio duobus in locis Vuandelbertus ſeu alius cecinit. Hoc apprimè teſtantur verſus illi tres, quos ad decimum Calendas Maij habet de inuentione martyrum :

Hac quoque diuino patuerunt prodita nutu,
Corpora martyrio Eccleſiam luſtrantia trino,
Dionyſij, Ruſtici, Eleutheriique beati.

Hæc porro ſi ad noſtram de miraculis Dionyſij, & de gloria ſepulcri illius collectionem componas, nunquam admittent ſolem tam claræ veritatis.

Productum perperam à Milleto Euſebij Martyrologium.

VIII. Sexto Milletus opponit ex Corbeiana Bibliotheca Euſebij Martyrologium, vbi ita legitur VII. Idus Octobris : *Pariſius natalis Sanctorum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleuthery Diaconi, & quinto Nonas nihil.* Ex quo vir ſubtilis colligit Dionyſium iſtum Areopagitam fuiſſe, quia quinto Nonas nulla ſit Areopagitæ mentio : cui egregiæ cereroqui concluſioni primò reſpondet auctor in epilogi capite VI. *Id argumenti dicimus*, inquit, *& merè negatiuum eſſe iuxtà vaniſſimum.* II. reſpondet in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Nulla*, inquit, *ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut imitatione Græcorum Martyrologia corrupta peruenerunt.* III. reſpondet in reſponſione ad cap. III. paragr. III. *Græcorum non intereſſe ſocios Dionyſio Romæ adiunctos me-*

morare, quia nihil tanti de Græcia meriti ſunt. Vnde cùm Græci Areopagitæ ſocios non adiungant, quæ in hoc Euſebij Martyrologio de Dionyſio & eius ſociis dicuntur, ad Areopagitam minimè pertinent. IV. Reſpondet Hilduinus in Areopagiticis num. X. *Habemus*, inquit, *Græcæ auctoritatis Martyrologium, in quo diem natalitij eius* (Areopagitæ) *deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, reperimus annotatum, quod Martyrologium, vt antiquitas eius demonſtrat, ex eo tempore conſtare poſſe non incongruè remur, quo Conſtantino iubente martyria Sanctorum Domini de toto orbe collecta, & Cæſaream ſunt conuecta.* In hoc vt vides Martyrologio, quod ex verbis Hilduini faciliùs Euſebio tribueretur, quàm iſtud, & Areopagitæ nomen, & eius in Athenienſi Eccleſia Epiſcopatus legebantur, quæ duo in producto Martyrologio non leguntur.

Denique noſtrum de iſto Euſebij Martyrologio iudicium diſſimulauit. *Martyrologium iſtud* (aiebam) *quia Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Leodegarium, dedicationem Corbeienſis Eccleſiæ continet, an ſit Euſebij, nobis adhuc valde inexploratum eſt.* Deinde quî fieri potuit, vt Euſebius quinto Nonas Maij notet *Inuentionem ſanctæ Crucis ab Helena regina poſt Paſſionem Domini anno* CCXXXIII. *regnante Conſtantino Imperatore?* Etenim crux ad annum CCCXXVI. inuenta eſt, & Conſtantinus imperare cœpit anno CCC. VI. An autem Euſebius tam fœdè errauerit, Areopagiticis diſcutiendum relinquo. Quidquid in cauſa, Corbeienſes monachi Martyrologium Euſebij pro arbitrio interpolarunt, & vt fratri-

Digitized by Google

bus ſuis monaſterij ſancti Dionyſij gratificarentur Areopagitam è v. Nonas Octobris ſuſtulerunt.

Examinatur reiectio Martyrologij Remenſis.

IX. QVARTVM, quod examinandum ſupereſt, ad Remenſe ſpectat Martyrologium. Hîc totum deartuat ſeſe Milletus, vt illi Martyrologio pondus auctoritatis abroget. Inprimis dicit illud *è latebra ſua* productum. Sic illuſtris Eccleſiæ chorum appellare placuit, vbi ſingulis diebus recitatur; quaſi verò dici non poſſet Euſebij Martyrologium è Corbeiæ latebra productum, aut Pippini diploma è tabulario depromptum, quod ficta non pauca priuilegia diu ſeruauit. Deinde dicit illud non potuiſſe Hincmarum Remenſem antecedere, cùm Areopagiticæ ſententiæ tenaciſſimus ſit. At detur antiquius, in quo quid Hincmaro tribuunt, reperiatur. Adde quòd tam potuit antecedere Hincmarum, quàm Vſuardus anteceſſit Hilduinum, in cuius monaſterio diù lectum Vſuardi Martyrologium alibi probauimus. III. Supponamus Remenſe Martyrologium Hincmari tempus ſubſecutum, quid inde? niſi quòd nobilis Eccleſia inductam ab Hilduino & Hincmaro nouitatem reiecerit. Præterea dicit,ne ducentorum quidem annorum eſſe, & gratuitò à nobis *antiquiſſimum* vocari, quaſi verò quod antiquiſſimum eſt, non poſſet recenti manu exarari. Nouerit ſolertiſſimus cenſor ætatem Eccleſiaſticorum librorum, qui quotidie tractantur, ex ſola ſcriptione non pendere.

Digitized by Google

Quis eſt enim tam vecors, vt neſciat Martyrologia, quæ diuturno vſu atteruntur, & obſcurantur, frequenter ad commoditatem legentium deſcribi. Vetuſtius aliquod Remenſe producendum erat exemplar, à quo apographum, quod citauimus, degenerarit. In eiuſmodi libris metienda eſt ætas ex rebus quæ narrantur. At Remenſe Martyrologium, cum Vſuardi, Adonis & vulgato ſub nomine Bedæ Martyrologio ſi conferas, longè ſimplicius inuenies. Quò autem ſimpliciora ſunt Martyrologia, eò ſinceriora apud eruditos habentur. Deinde ponamus quoſdam è nouis Sanctis huicce Martyrologio additos reperiri? Quid tum? Cùm audeat Milletus Euſebij Martyrologium vt antiquiſſimum abſolutè laudare, tametſi in eodem Leodegarium, & dedicationem Corbeienſis Eccleſiæ deprehenderimus: vt interim omittamus nihil eſſe in illo Euſebij Martyrologio, quod Milleti cauſam iuuet, & inſuper dubitari, an Euſebius id vel aliud Martyrologij genus ediderit: ſcilicet in omnibus legitima diſputandi ratione nobis interdicent, qui fucatam ſequuntur.

Denique dicit Martyrologium Remenſe nullum habere auctorem, cùm *alia omnia habeant, aut Euſebium, aut Bedam, aut Vſuardum, aut Adonem, aut Romanam Eccleſiam.* At hîc multipliciter imponit aduerſarius: & primò quidem repugnantem non habet Eccleſiam Romanam: deinde conſonum habet vetus Conſtantinopolitanum Martyrologium, quod vidit Hilduinus. tum conſonum habet. Menologium Sirleti, in quo ſic legitur v. Nonas Octobr. *Certamen Sancti*

Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum. IV. Conſentientes habet Bedam & Vſuardum, vel ipſo iudice Milleto, ſi tamen illius leuitas ſinat, vt pro iudice habeatur: *Sed ponamus*, inquit, *Vſuardum nobis aduerſari, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud* (de duobus Dionyſiis) *contraxit.* V. Conſonam habet Romanam Eccleſiam in veteri Martyrologio quod Roſuueydus publici iuris fecit. Habet, inquam, cùm eam ob rem Milletus illud in Vindiciis vt dubium reiecit ac ſuſpectum. VI. Habet Adonem, quem ipſe in Vindiciis ſibi opponit, & ſimul cum veteri Romano Martyrologio concerpit. VII. Conſentientes habet Eccleſias Carnotenſem, Ambianenſem, Venetenſem & Narbonenſem, in quarum Calendariis duplex officium præſcribi docuimus, vnum pro Areopagita tertio die Octobris, alterum pro Pariſienſi Dionyſio & ſociis nono die. VIII. Conſentientem habet Eccleſiam Sancti Symphoriani in eadem vrbe Remenſi, vbi par hac in re Martyrologium lectitatur.

Quàm verſatile ſit ingenium Milleti.

X. NVNC verſatile hominis ingenium conſideremus. Dum in Martyrologiis plurium Eccleſiarum eadem penitus verba, quæ ſunt apud Vſuardum, & eundem habent proinde ſenſum, exhibemus, illa in reſponſione ad caput III. Diſſertationis negligit, *quia vnius*, inquit, *affertur textus Vſuardi ferè in omnibus Eccleſiis lectitari ſolitus.* Dum verò Remenſe Martyrologium pro-

ducimus,in quo pauciora ſunt verba,quàm apud Vſuardum,& alia verborum conſtructio;quæ tamen ſenſu cum aliis conueniunt, vt vidimus, & ſcopum peræquè feriunt;tunc illi fidem abrogat, *cùm ſit vnum & ſolum*.

Menardus in fine capitis ſeptimi ſic reſpondet: *Milletus Remenſi Martyrologio fidem non abrogat, cùm ſit vnicum & ſolum, nam non ideo tantùm illud reiicit*: propter quid igitur? *quia*, inquit, *non habet certum Martyrologij ſcriptorem, cùm alia habeant aut Euſebium, aut Hieronymum, aut Bedam, aut Vſuardum aut Adonem*. Otioſa quidem & pugnans contra Milletum & Menardum reſponſio. Otioſa quidem cùm Remenſe Martyrologium pro auctore certo Remenſem illam habeat Eccleſiam, quæ eo vtitur. In Eccleſiis & Monaſteriis penè omnibus ſunt Martyrologia, ſed pauca ſunt admodum, quæ auctoris nomen præ ſe ferunt. Dicant nobis qua in Eccleſia, quòve in monaſterio Euſebij, aut Hieronymi aut Bedæ legatur Martyrologium? Pugnat verò contra noſtros monachos, qui ſæpe producunt Martyrologia, quibus nec Euſebij, nec Hieronymi, nec Bedæ, nec Vſuardi, nec Adonis nomen præfigitur. Milletus in reſponſione ad caput II. Diſſertationis §. VI. vetus Martyrologium monaſterij ſancti Sauini, & §. VII. vetus Romanum Martyrologium adducit, in quibus nullum auctoris nomen apparet. Deinde in reſponſione ad caput III. §. I. citat Martyrologia duo Corbeienſis Bibliothecæ, quæ auctorem nullum habent.

Menardus in Diatribæ cap. I. num. IV. laudat Martyrologium MS. Bibliothecæ Thuanæ;

Digitized by Google

Item in capite v. aliud Bibliothecæ Corbeienſis Martyrologium MS. ad ſimilitudinem Adonis. & poſt alia, Martyrologium MS. Bibliothecæ Corbeienſis. In capite vi. Martyrologium Abbatiæ S. Medardi Tornaci. In capite x i i i. Martyrologium Autiſſiodorenſe MS. Bibliothecæ Thuanæ, vbi nullum legitur nomen auctoris.

Hæc autem cùm ita ſint, profectò extra caulas Areopagiticorum vix reperies, qui ſic balare velint & norint.

CAPVT VIII.

Ioannes Erigena de ſcriptoribus vitæ Sancti Dionyſij ironicè locutus eſt, ſpecimina quædam Dionyſij vitæ per Hilduinum editæ.

I. IN Reſponſione ad caput iv. Diſſertationis paragrapho primo garrit more ſuo, & ex Vſuardi Martyrologio ſecum pugnat; tum Hilduino & Hincmaro panegyrim dicit, vbi quæ ipſis opponuntur, prudenter diſſimulat; Sed paragrapho ſecundo me ſic humaniſſimus ſcriptor conuenit: *Fuit autem ex aduerſariis, qui diceret, Scotum ironicè locutum, ſed quale id ſit, quàm vanum, quàm ridiculum dicere ſuperuacaneum nimis fuerit.* At ego iterum repeto, virum Græcè Latinéque eruditum, qualis erat Ioannes Scotus ſeu Erigena, vix aliter quàm per ironiam dixiſſe vitam Dionyſij à fidelibus viris ſcriptam eſſe: quod tribus rationum momentis ſic exequor.

Digitized by Google

Deducitur prima ratio, cur Erigena per ironiam locutus ſit.

II. Prima ratio petitur ex ipſa verborum ſerie, ſeu vulgatam editionem Erigenæ, ſeu manuſcriptam inſpicias: ſed vtramque inſpice. Hunc eundem (Areopagitam) non præfati viri (Polycarpus, Dionyſius Corinthi, Euſebius, Gregorius) ſed alij moderni temporis homines aſſerunt, (*quantum vita à fidelibus viris tradita teſtatur*) *temporibus Papæ Clementis Romam veniſſe, & ab eodem prædicandi gratia in partes Galliarum directum*, &c. Si de Areopagitæ in Galliam aduentu, nihil dicit Gregorius, nihil Euſebius, nihil Polycarpus, nihil Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, cui Euſebius tribuit, quæcunque de Areopagita in hiſtoriam intulit, ſed illud *moderni temporis homines aſſerunt*, quis non continuò intelligit, virum ſapientem inter fiduciarios Fratres ironicè locutum, vbi pro nouæ opinionis aſſertione ſubiicit, *quantum vita eius à fidelibus viris tradita teſtatur*?

Manuſcripta editio hæc eſt: *Fertur præfatus Dionyſius fuiſſe diſcipulus Pauli, à quo Athenienſium conſtitutus eſt Epiſcopus, cuius Lucas commemorat in actibus Apoſtolorum, & Dionyſius Corinthi vir antiquus, beatus quoque Polycarpus in epiſtola ad Eccleſiam Athenarum, Euſebius item Pamphili in Eccleſiaſtica hiſtoria, necnon etiam Gregorius Papa in homilia ſua, vbi breuiter Angelorum ordines expoſuit. Hunc eundem aſſerunt, quantum vita eius à fidelibus viris tradita teſtatur, temporibus Papæ Clementis*, &c. Quid ſibi vult, *hunc eundem aſſe-*

runt? Non quidem Polycarpus, non Dionyſius, non Euſebius, non Gregorius, non antiqui ſcriptores de Areopagita locuti: quínam igitur aſſerunt, niſi recentiores? ſuámne igitur an aliorum illis verbis exprimit ſententiam? Si non ſuam, vt apparet, ſed aliorum, qui recentiores tantùm ſint, nouitatem aſſertionis ſubridet, ne penitus configere dicatur, dum ait, *quantum vita eius à fidelibus viris tradita teſtatur.*

Menardus in cap. VIII. vt probet antiquam eſſe de aduentu Dionyſij Areopagitæ in Gallias traditionem hæc ſcribit: *Dico eiuſmodi aſſertores* (de quibus Erigena loquitur) *eſſe homines Chriſtianos traditione, & antiquis ſancti Dionyſij, & beati Sanctini actis, non illa Dionyſij vita, quam ſcripſit Hilduinus perſuaſos.*

Primùm quo modo trium puerorum qui cum Babyla paſſi ſunt nomina ſuſpecta habet apud Turonenſem Gregorium, hæc acta in iis, quæ ad Areopagitam pertinent, ſuſpecta poſſunt haberi. Sic autem Menardus loquitur in cap. IV. vbi vexat Gregorium: *Tandem ſancti Babylæ paſſionem optimè quidem collocat ſub Decij perſecutione, ſed trium paruulorum qui cum illo paſſi ſunt nomina videlicet Vrbanus, Pralidanus, & Epolonus mihi valde ſuſpecta ſunt, quæ apud nullum ſcriptorem Græcum reperire ſit.* Sic apud nullum auctorem, qui Carolo Magno vetuſtior ſit, reperire eſt, Areopagitam in Gallias veniſſe, & Pariſiorum Epiſcopum fuiſſe.

Deinde quo modo paſſionem S. Saturnini reiicit, Dionyſij & Sanctini acta reiiciuntur: Sic in eodem capite reiiciendi modum præſcribit:

Sed vrget aduerſarius, ſcriptor paſſionis ſancti Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur. quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in hominum ore verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt, is qui ſcribit, non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?

Tum in quibuſdam Dionyſij actis hic dicitur à Clemente miſſus, in aliis non dicitur. & in quibus dicitur miſſus à Clemente, is Areopagita non vocatur. Sed per innatam Milleto & Menardo ἀσυλλογισίαν miſſus à Clemente Dionyſius colligitur Areopagita, perinde ac ſi Dionyſius alius nullus mitti potuiſſet.

Poſtremò audacter obtrudit acta beati Sanctini, quem nec Vſuardus, nec Ado, nec vetus aut hodiernum Romanæ Eccleſiæ Martyrologium vindicat, quem annorum à Chriſto octingentorum generale idémque contumax ſilentium obruit.

Hoc eſt apud Milletum & Menardum in more poſitum, vt fere ſemper obſcurum per obſcurius vitioſiſſimo diſſerendi genere confirment.

Nunc de Hilduino agamus, de Methodio poſtea.

Secunda ratio petita ex Reſcripto Hilduini ad Ludouicum Imperatorem.

III. Secvnda ratio promitur ex Reſcripto Hilduini ad Ludouicum Imperatorem, ſeu ex

ex Areopagiticis, vnde hæc quatuor ad impoſturarum ſpecimen oculis omnium ſubiicimus.

Primum eſt ex num. III. *Genere quidem nobiliſſimum, & Philoſophiæ magiſterio inſignem apud Athenas, & aliarum hiſtoriarum; & Actuum Apoſtolorum teſtimonio ſæcula priſca cognouerunt.* Hîc & ſcripturæ ſacræ, & aliis fœdiſſimè imponit: Scripturæ quidem, cùm ne verbum quidem vllum de nobilitate Areopagitæ, vel illius in Philoſophia magiſterio contineat: Aliis verò, cùm nemo vnquam fuerit tam ſtupidus ante Hilduinum, vt ex Actuum Apoſtolorum teſtimonio Areopagitæ nobilitatem, vel in Philoſophia profeſſionem adumbrarit. Hilduinum errantem ſecutus eſt Singelus, quem ſecutum eſſe maluiſſem Chryſoſtomum lib. IV. de ſacerdotio cap. VII. *Areopagita*, inquit, *ille ſuperſtitioſiſſimæ ciuitatis illius ciuis nónne vnà cum vxore audita tantùm Pauli concione illum ſecutus eſt?*

Alterum ex num. VI. *Videtur porrò in his miſſarum obſecrationibus non contemnenda auctoritas de memorata paſſione Sanctorum, cùm extent apud nos epiſtolæ Innocentij, & poſt eum Gelaſij, necnon & moderniùs Beati Papæ Gregorij, aliorùmque Pontificum ad Epiſcopos vrbium Galliarum, & Antiſtitum noſtrorum ad ipſos de more Romano in cunctis Eccleſiaſticæ auctoritatis muniis imitando, quibus datur intelligi, ab annis pluribus hunc miſſæ tenorem de Gallica conſuetudine receſſiſſe, & hanc paſſionis iſtorum memoriam longè ſuperiori tempore, his Occidentalibus partibus per ſupplicationum poſtulationes inoleuiſſe.* Hîc & Romanis & Gallicanis Pontificibus imponit; Romanis quidem, cùm nullà

ſit Innocentij, Gelaſij, vel vllius Gregorij epiſtola, vbi, quæ refert Hilduinus, reperiantur; Gallicanis verò, cùm nulla ſit Gallicanorum Antiſtitum ad Romanos epiſtola, vbi tantæ rei fiat aliqua mentio. Deinde Romanos & Gallicanos Præſules per ſummum ſcelus accuſat, quòd in Areopagiticæ miſſionis & hiſtoriæ perniciem Eccleſiaſticum officium mutarint.

Tertium ducitur ex num. v. *Quomodo caput proprium Angelico ductu caleſtis militia in celebratione exequiarum honoratus obſequio ad locum, vbi nunc requieſcit, detulerit.* O extremam fraudum omnium lineam! Non vbi monaſterium Sancti Dionyſij nunc eſt, ſed Lutetiæ Pariſiorum quieuit Dionyſius, in vrbe tumulum habuit etiam regibus formidandum, quem quia Gregorius Turonenſis appellat *turritum*, videre debuit. Sub Sigiberto Rege ad illum tumulum patrata ſunt miracula duo, quæ Gregorius retulit. Ad illum tumulum reorum ſacramenta præſtabantur, homines accuſati purgabantur, Dei ſcelerum vltoris timor incutiebatur, pacta & fœdera firmabantur. Hoc ſub illo rege factum Gregorius, hoc ſub Clotario II. repetitum teſtatur Fredegarius. Ad hunc tumulum patrauit miracula Eligius, *dum anniuerſaria Pariſius Sancti Dionyſij martyris celebraretur paſſio, dum vigilia à Clero caneretur in choro.* vt ſcribit Audoënus Rotomagenſis in vita Eligij.

Quartum habetur ex Hilduini epiſtola ad fideles: *Qui curioſiùs*, inquit, *hoc ſcire voluerit* (Areopagitam fuiſſe Epiſcopum Pariſienſem) *vt de multis quadam deſignemus ex nomine, Euſebij*

Digitized by Google

Cæſarienſis hiſtoriam perquirat & relegat. At iſto mendacij genere quid eſſe poteſt luculentius?

Tertia ratio petita ex Dionyſianæ paſsionis hiſtoria.

IV. Tertia ratio ſuggeritur ex Dionyſianæ paſſionis hiſtoria, quam Hilduinus vitioſiſſimè ſcripſit. Mihi non crede, ſed tuis oculis, quibus hæc pauca de multis exponimus.

Vnum eſt, titulus paſſionis: *Incipit paſſio Sanctiſſimi Dionyſij, qui patriotico prænomine Ionicus, Chriſtiano agnomine appellatus eſt Macarius, à Sancto Paulo Athenienſium ordinatus Archiepiſcopus, à Clemente totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus.* Hæc omnia quid ſibi velint explicet Milletus? quid patrioticum Dionyſij prænomen, *Ionicus?* quid Chriſtianum cognomen, *Macarius:* quid *conſtitutus Archiepiſcopus*, vbi nulli tunc erant Epiſcopi? tum non Athenæ, ſed Corinthus prouinciæ caput erat. Quid *Archiepiſcopi* nomen primo vt minimùm alteróve ſæculo Eccleſiæ ignotum, & iis poſtea ferè ſolis primò tributum, qui Patriarchæ dicti ſunt? In Gallia Concilium Matiſconenſe primum *Archiepiſcopi* nomen exporrexit, & in canone VI. Metropolitano conceſſit.

Secundum, hæc Clementis ad Dionyſium adlocutio, quæ habetur num. XIX. *Vides chariſſime Macari Dionyſi, quanta eſt meſſis Dominicæ ſationis, & quàm pauci ſunt operarij. Quia ergo de omnibus Catholicæ pietatis es ſufficienter edoctus, & omni Chriſtiana virtute & religione admodum roboratus, perge in nomine Domini, partes aggre-*

Digitized by Google

diens Occidentis, & vt bonus miles Chriſti præliare prælia Domini tui, atque ſicut Dominus IESVS CHRISTVS *magiſtro meo Petro tradidit, & ego ſanctæ hæreditatis iure ſuſcepi, vt in ligandi, ſoluendíque auctoritate tibi ſemper præſto ſit diuina poteſtas, noſtris orationibus comitatus, & Sanctorum Apoſtolorum interceſſionibus roboratus in tui Apoſtolatus ſorte Apoſtolica noſtra auctoritate omnem ſuſcipiens Galliam, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, vt Chriſti notitia per te vbique diffuſa, à Domino in die retributionis mereamur audire: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*, &c.

Ecce tibi ridiculum ſomnium, quod in monaſterio ſuo Hilduinus ſomniauit, & poſtea in Clementis Papæ phantaſiam tranſmiſit. An negent impoſturam eſſe, dum loquentem ſic facit Clementem, dum illi ſuggerit vulgatam Matthæi verſionem ex cap. XXV. *Euge ſerue bone*, &c. Quale Areopagiticis noſtris ludibrium deberet Gregorius noſter, ſiquid ſimile in hiſtoria Saturnini cogitaſſet vnquam?

Tertium ex num. XX. *Tunc* (quando venit Dionyſius) *memorata Pariſiorum ciuitas, vt ſedes regia, & conuentu Gallorum ac Germanorum, & nobilitate pollebat.* O portentoſam in Gallicana hiſtoria ignorantiam! A tali ſcriptore quæ de Dionyſio, quæ de rebus antiquis parta expectaretur veritas? Quæ Auſonius, & Freculphus de Arelatenſium ciuitate dixerunt, in Lutetiam Samblacatus ineptè flectit, vt Hilduinum excuſet. Norunt eruditi, quibus honorum titu-

Digitized by Google

lis Arelate decorarunt Imperatores, & quibus de cauſis Gallica Roma & regia dici potuit ciuitas.

Quartum ex num. xxxv. *Sanctorum quoque corporibus digna veneratione ſepultis, eorum veſtimenta, videlicet, cilicium, & caligæ Dionyſij pretioſi, & caſula Sancti Ruſtici Archipreſbyteri, atque dalmatica Beati Eleutherij Archidiaconi, exceptis portionibus, quæ pro reliquiis electorum à fidelium deuotione ſumptæ ſunt, vſque hodie debiti cultus reuerentia conſeruantur.*

Hîc tandem peruenimus ad eorum faſtigium, quæ in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ notitia peccari poſſunt. Inprimis Ruſtico affingit Archipresbyteri dignitatem, quæ primis illis temporibus non erat in vſu: deinde caſulam, quod abſurdius. Præterea Eleutherium induit dalmaticam, quæ à Silueſtro inſtituta eſt, vt Eccleſiæ rituum auctores ſcribunt. In ſumma, dalmaticarum vſus in Gallias ſuſceptus non eſt ante Symmachum Papam & Gregorium primum, quorum prior Arelatenſibus Diaconis, poſterior Aregio Vapincenſium Epiſcopo & eius Archidiacono genus illud ſacrarum veſtium ex priuilegio conceſſit. Taceo Hilduinum Dionyſij noſtri virtutes & miracula, quæ apud Gregorium & Audoënum teſtatiſſima ſunt, prætermiſiſſe, & illuſtriſſimum ſancti Martyris ſepulcrum per ignorantiam vel malitiam inobſcuraſſe.

Hæc ſunt quæ Erigenam meo iudicio ad ironiam impulerunt, & quæ venerabilis monachus hac inſigni & modeſta ratione confutauit; *Sed quale id ſit, quàm vanum, quàm ridiculum di-*

Digitized by Google

cere ſuperuacaneum nimis fuerit.

Cur autem non apertè, ſed ironicè tantùm Hilduini opinionem, & Dionyſianam illius vitam ſuggillarit, nullo negotio coniiciet, qui res monachorum nouerit. Forſitan in monaſterio frater vixit, vbi Abbas & quidam alij coniurauerant in veterum traditionem: quo in caſu periculum erat non leue paulò apertiùs loqui. Quòd ſi parem cum Erigena cautionem linguæ adhibuiſſet Abaëlardus, nunquam fratres variè murmurantes inter ſe muginantéſque audiuiſſet, nunquam in monaſterio ſancti Dionyſij atrociter vapulaſſet, nunquam ſub ictu poſitus palinodiam ceciniſſet, & de Areopagita contra propriam mentem ſcripſiſſet. Hoc teſte quàm horrendum ſit monachum in monachorum manus incidere, diſcimus ex hiſtoria, quam ille de calamitatibus ſuis compoſuit.

Menardus in capite VIII. paginas ſeptem ad defendenda Hilduini ſcripta inſumit, ſed quidquid adfert, validè repellitur obiectu locorum illius communium, quos paullo antè deſcripſimus, *Annon homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere?* &c. Lectori tenebras offundit, præterea nihil.

CAPVT IX.

Dionyſij vita per Methodium edita diſcutitur.

I. IN Dionyſij vita, quam Methodium compoſuiſſe volunt, duo expendimus, tempus,

quo compoſuit, & ipſius textum vitæ, quam compoſuit. Milletus contendit, Methodium ſcripſiſſe multis antè annis, quàm Hilduinus ad id opus animum applicaret. En ſumma duorum illius paragraphorum in reſponſione ad caput IV. Diſſertationis.

Dionyſij vitæ per Methodium editæ epocham diſsimulat Milletus.

II. In duobus paragraphis auras & vmbras magno conatu diuerberat aduerſarius, dum certam vitæ Dionyſij per Methodium editæ diſſimulat epocham, quæ ex Hincmaro non ſemel inculcata eſt. Hæc eſt eiuſmodi, quam ille ſignificat ad Carolum Caluum ſcribens: *Recognoui*, inquit, *his, quæ ibi ſcripta ſunt*, (in vita Dionyſij à Methodio ſcripta) *ea quæ in adoleſcentia legeram conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij Beati Dionyſij, ſociorúmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad Græcorum notitiam peruenerint*. Ecce tibi certorum regula, ad quam incerta reducenda ſunt. Incertum, quo anno Methodius, aut Hilduinus Dionyſij vitam ediderit. Et Sirmondus annum certum pro incerto in Galliæ Conciliis aſſignat ſub Imperio Ludouici, quo iubente Hilduinus Areopagitica compoſuit. Sed ex verbis Hincmari perſpicuè conſtat, geſta paſſionis Dionyſij ex Gallia primùm ad Romanorum, deinde ad Græcorum cognitionem perueniſſe. Quo in caſu quis non facilè concipit, Methodium ex commentariis Gallorum hiſtoriam Dionyſij contexuiſſe? At qui-

Digitized by Google

nam fuerint Galli, Hilduinúſne an alij, perinde eſt, vt dicamus, Methodium non ex ſuis, ſed ex alienis monimentis vniuerſam Dionyſij vitam conſcripſiſſe.

Methodius Dionyſij vitam ex commentariis Hilduini compoſuit.

III. QVOD autem ex Hilduini vel ſociorum illius commentariis Methodius vitam Dionyſij ſcripſerit, vt quis credat, quatuor mouere poſſunt: vnum, quòd Hilduinus, vt Areopagiticis fidem aſtrueret certiorem, Methodium laudare debuit, niſi fortè ea monimenta laudare puduiſſet, quæ Methodio ex Gallica legatione redeunti commiſerat.

Menardus in cap. IX. reſpondet: *Hilduino curæ tantùm fuit laudare veteres non recentiores.* Optimè verò, quia facilius fuit antiquis quàm recentioribus imponere. quod ſucceſſu vt vidimus, non caruit. Hilduinum potuiſſe recentiores citare credideram, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd Menardus ſeipſum velut auctorem ab auctore Diatribæ diuerſum citet in illius capite v. *Hugo*, inquit, *Menardus in obſeruationibus ad librum Sacramentorum*, &c.

Alterum, quòd in Areopagiticis num. x. aſſeruit, de *Dionyſij Areopagitæ obitu nihil Græcos ſcripſiſſe, quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuit incognitus.*

Tertium, quòd cùm vetus Martyrologium Hilduinus Conſtantinopoli accerſiuit, tunc facile fuiſſet illi dare libellum, quo Methodius

Digitized by Google

Dionyſij vitam recèns conſcripſerat.

Quartum, quòd ex mutua Dionyſij vitæ per Hilduinum & Methodium editæ collatione apparet, Methodium ex Hilduini ſociorúmve eius ſcriptis Dionyſij vitam edidiſſe.

Et primò quidem ex his verbis : *Poteſtatem, quam ipſe diuinus Clemens à Beato Petro acceperat, ei* (Dionyſio) *dedit his verbis: proficiſcere ad partes Occidentis, illicque prædica Euangelium regni cælorum, tibique eſto ligandi ac ſoluendi poteſtas, vt Chriſti Euangelium à te etiam longè latéque diffundatur, vt à Domino tanquam fidelis ſeruus merearis audire : Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. At hæc ſunt eadem penitus verba, quæ ex Hilduino retulimus anteà.

Deinde ex his verbis : *Socij autem Beati Dionyſij fuerunt Saturninus, Marcellus, & Lucianus, qui cum eo erant.* infrà. *Aquitaniæ verò partibus miſſo Sancto Saturnino, ipſe cum Sancto Luciano & Sancto Ruſtico, & Sancto Eleutherio Lutetiam Pariſiorum venit. Sanctus autem Lucianus preſbyterij honore ornatus ad Bellouacum vrbem miſſus eſt.* At Hilduinus de Dionyſij ſociis hæc ſcribit : *Socios quoque ei, & comminiſtros verbi plures & probatos viros adhibuit.*

Tum ex his verbis : *Hi cùm conueniſſent, & vnà iter facerent, peruenerunt ad portum Arelatenſis vrbis*. At Hilduinus ſic ſcribit : *Qui ſimul properantes, & circumcirca Dominum prædicantes, appulerunt portui Arelatenſium ciuitatis*. Præterea ex his verbis : *Beata manu caput ex corpore à nefariis*

hominibus gladio præciſum ſumpſit, & ſuſpenſum brachio amplexus eſt, atque à collis vertice duo milliaria plena forti animo pedibus ingrediens portauit. Nouum profectò ac poſteris deprædicandum famâ celebrandum miraculum, corpus ſine animo & capite, quod viui inſtar pro more currat, homóque iam mortuus firmis ingrediatur veſtigiis. At Hilduinus ita ſcribit: *Nempe nouum priùs & inauditum miraculum, exanime corpus viuentis currere more, & hominem iam mortuum recto greſſu incedere.*

Denique ex his verbis: *Dum hæc agerentur mulier nobilis & clara Catula nomine, quæ gentili metu valde correpta erat, tum ad fidem Chriſti propter martyrum miracula conuerti deſiderauit, vimque deſiderij & voluntate & re declarauit, ac Dei miſericordia compuncta, interueniente ei vi diuina conſilium cepit, vt ad conuiuium perſecutores ſupplex inuitaret. Cúmque multa eis munera detuliſſet, prudenter odium nefarij conſilij, quod illi aduerſus martyres ceperant, excuſſit. Expoſito autem noſtris animi ſui conſilio præcepit, vt clam pretioſa corpora martyrum auferrent in vnam partem vrbis, vt in ſaxo, quod ſitum eſſet in agello in ſequentis anni ſementem parato, terra obruta corpora occultarent. illi diligenter imperata fecerunt.* At Hilduinus hæc habet: *Nam nobilis quædam materfamilias Catula nomine, quæ licèt Paganorum adhuc erroribus neceſſitate potiùs, quàm voluntate teneretur addicta, conuerti tamen ad fidem Chriſti per exempla martyrum, atque ad baptiſmi gratiam peruenire ſe deſiderare, & mente demonſtrabat, & opere, Dei miſericordia inſpirata, macta virtutis conſilium appetiuit, atque ad conuiuium venire poſtulat ſanctorum*

Digitized by Google

corporum perditores. & dum eis copiam oblata humanitatis expendit, à memoria eorum, quæ ſuſceperant agenda diſcuſſit, fidelibúſque ſuis & familiaribus voti conſciis ſecreta ordinatione committit, vt ſubtracta furto pretioſa corpora beatorum diligens laboret occultare prouiſio. Qui dominæ voluntate & iuſſione comperta, feſtinanter quod eis præceptum fuerat, exequuntur, &c.

Duo ex ſuperiori collatione conſectaria explicantur.

IV. CETERVM ex his, quæ modò retulimus, duo manifeſtè colliguntur: vnum eſt, ex mutua vtriuſque auctoris, Methodij ſcilicet & Hilduini, collatione fieri omninò, vt Methodius ab Hilduino, vel ab alio monaſterij ſancti Dionyſij monacho, vel Hilduinus à Methodio ſcribendi materiam acceperit. Nullus verò dicat à Methodio Hilduinum, aut Methodium ab antiquioribus Græcis accepiſſe, qui ipſomet Hilduino iudice de Dionyſij Areopagitæ obitu nihil ſcripſerunt.

Alterum, Græcum hominem à Gallo fuiſſe per ignorantiam deceptum, ſed inde nos pro veritate lucrari plurimum. Etenim cùm Methodius Saturninum Toloſanum, & Lucianum Bellouacenſem Dionyſij ſocios faciat, Saturninus & Lucianus neceſſariò debent ad Domitiani principatum retrahi cum Dionyſio, vel Dionyſius cum Saturnino & Luciano ad Decij & Diocletiani tempora deduci. At ex omni retrò traditione, quæ etiam in Martyrologio Baronij re-

Digitized by Google

tinetur, Saturninus in Galliam ſub Decio venit, & poſtea martyrium fecit. Lucianus verò *in vetuſtiſſimis manuſcriptis*, quæ ex Bibliotheca Corbeiana & Sancti Germani Pratenſis commodùm profert Milletus, ad imperium Diocletiani pertinet. Quod cum Milleto ex aliis quoque manuſcriptis pluribus iam aſſeruimus. Itaque aduerſariorum nemo eſt eruditus, qui non fateatur, Dionyſium Saturnini & Luciani ſocium Areopagitam non eſſe, cùm aliunde incerta ad certorum regulam conformanda ſint.

Hanc quoque diſputandi rationem in Metaphraſtem transferimus, qui Lucianum Bellouacenſem Dionyſij collegam fuiſſe affirmat. Aduerſarij vices nunc doleo, quem hîc propriis deartuatum technis omnes conſpicient. Nec ille aliter ſeſe expediet, quàm duos Saturninos & Lucianos fingendo, vel quas vnius Saturnini & Luciani epochas fixit, refigendo. Sed hominem expectamus, qui deſtruat, ædificet, mutet quadrata rotundis.

CAPVT X.

Milletus Hilduinum deſerit, & furtiuam ante Hilduinum de ſuo Dionyſio traditionem exponit.

I. MILLETVS paragrapho quinto nobis ſolita humanitate ablanditur, & laudes vituperio mixtas inſpergit. Quid verò tanti commeruimus? Id de operibus Hilduini iudi-

Digitized by Google

cium tulimus, quo mendacium detectum eſt, & liberata ab impoſturis veritas. Enimuerò Hilduinum ille longè grauiùs excipit, in reſponſione ad caput octauum illos vexans, qui vbi Dionyſium ſub Domitiano mortuum fecerunt, reiiciendi libros Areopagitæ certiſſimam rationem dederunt. Quare nemini mirum videri debet, ſi deſerat Hilduinum his verbis: *Ponant ij nunquam Hilduinum Areopagitica ſua cogitaſſe, illum nunquam vel extitiſſe in humanis, nunquam grauiſſimos omninò ſcriptores Hincmarum, Anaſtaſium, Æneam. Victoria nunc eſt,* inquit Tertullianus, *pro quo certaueris obtinere, ea victoria habet & gloriam placendi Deo*, cui & nos ſoli in aſſerenda veritate placere ſtudemus. Sed animum non deſpondet aduerſarius, alios citat, qui rem conficiant ſuam. Nos ſequimur.

Menardus in cap. x. reſpondet, *Diſcuſſor Hilduinum à Milleto deſeri colligit, ſed adeat ſcholas rhetorum & diſcet, quæ ſit figura conceſſio.* Rhetorum ſcholas ego adij, & didici hoc ſchemate concedi nunquam, quæ negari minimè poſſunt. Cùm enim Hilduinus ſcribit, Dionyſium ſub Domitiano migraſſe, repudiandi libros Areopagitæ rationem inuictam ſuppeditat, quos tamen illi Hilduinus aſſeruit: inepta eſſet Rhetorices figura, quæ quod retineri non poteſt, abire permittit. quodnam quæſo ex figura tali ornamentum, quæ gratia, quis lepos orationi accederet?

Digitized by Google

Pro Areopagitica traditione Beda laudatur à Milleto, & reiicitur.

II. *Erit*, inquit, *inter Latinos antiquior Hilduino Beda, qui Dionyſium à Clemente miſſum teſtetur.* O egregiam diſſerendi methodum! quæ pura puta ἀσυλλογισία eſt, vt non ſemel oſtendimus. 11. Hilduinus queritur in epiſtola ad fideles, *ex autumatione Gregorij Turonenſis, & ex ſubreptione Bedæ preſbyteri & aliorum* contrariam ſuæ opinionem inoleuiſſe; immo Milletus ipſe in Vindiciis Bedæ Martyrologium vt *corruptum* repudiat, & *ex eo deceptum fuiſſe Vſuardum* conqueritur. cuínam credam? Hilduinóne, an Milleto? Vterque profectò in Areopagiticis mendax eſt: vtrique tamen credendum ſuggerunt Nouatianus de Trinitate cap. XVIII. & Peluſiota lib. II. epiſtola CCXXVIII. *Firmum eſt*, inquiunt, *probationis genus, quod etiam ab aduerſario ſumitur, vt veritas etiam ab ipſis inimicis veritatis probetur.* Quàm autem egregiè ſtipites eſſemus & ridiculi, ſi noſtras epochas figeremus tam ſæpe, refigeremúſque.

Geſta quædam Dionyſij producuntur & reiiciuntur.

III. *Secundò*, inquit, *erunt antiquiſſima geſta Dionyſij, quæ veritatem eandem proferant.* At primùm geſta illa reiicimus, vt Milletus in reſponſione ad caput 11. Diſſertationis §. v. reiicit Remenſe Martyrologium, quòd *nullum habeat au-*

Digitized by Google

ctorem, cùm alia omnia habeant, aut Euſebium, aut Hieronymum, aut Bedam, &c.

Deinde, geſta illa reiicimus, quomodo Menardum geſta S. Saturnini reieciſſe iam vidimus.

Tertiò, geſta illa nulla ſe æui progreſſione defendent, quæ cum patratis ad illuſtre Dionyſij ſepulcrum miraculis, hoc eſt, cum notiſſima veritate pugnent; tantùm abeſt, vt eam exhibeant.

Quartò, cùm non exæquent ætatem Gregorij noſtri, multò minùs illius, qui hiſtoriam Saturnini ſcripſit: aduerſus illa veritatis compendio de poſteritate cum Tertulliano præſcribimus.

Quintò, cùm ex vna parte Saturninus Toloſanus ſub Decio venerit, & ex altera in his geſtis Saturninus Dionyſio iungatur, manifeſtum ſignum eſt illa geſta deprauata eſſe, vbi Dionyſium à Beato Clemente miſſum tradunt.

Denique, quem Dionyſium modò à ſucceſſoribus Apoſtolorum, modò à Clemente miſſum ſignificant, non continuò ſequitur, eum eſſe Areopagitam. quâ diſputandi ratione ſuam in dialecticis infantiam non ſemel prodidit aduerſarius.

Peruetuſta Martyrologia citantur, ſed immeritò.

IV. *Tertiò erunt Martyrologia peruetuſta, ipſum Roſuueidianum.* At vbi pro nobis Milleto obiectum eſt, ſic ille reſpondet lib. II. Vindiciarum cap. IV. *Suſpecta autem fidei Martyrologium duæ res meritò faciunt*, quas hîc confirmat immeritò

prolatas tunc fuiſſe, vt in noſtro de Areopagiticis Iudicio probauimus. Deinde ſola iſtius Martyrologij lectione citatio confutatur. Quinto Nonas Octobris: *Athenis Dionyſij Areopagitæ ſub Hadriano, diuerſis tormentis paſſi, vt Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit*, &c. Septimo Idus Octobris: *Pariſiis Dionyſij Epiſcopi cum ſociis ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.* quænam porrò ſint alia peruetuſta Martyrologia, non dicit, vt nullum non fucum faciat.

Menardus in capite x. reſpondet: *Etſi Milletus non affirmet Martyrologium à Roſuueido editum non eſſe vetus Romanum, nihilominus tamen nunquam ſcripſit illud eſſe prorſus explodendum.* Sic verbis ad fallendum compoſitis vti placet. Milletus enim in libri II. Vindiciarum capite IV. ita ſcribit: *Quæ compendioſiùs habentur in Martyrologio Roſuueidi quod pro Romano antiquo venditat.* Deinde, non ſcripſit explicitè Martyrologium explodendum eſſe, ſed implicitè. quæ diſtinctio mea non eſt, ſed Menardi, eáque huic loco magis conuenit, quàm illi, cui ab auctore ſuo accommodatur in cap. VIII. *Etſi*, inquit, *Dionyſius in actibus Apoſtolorum non dicatur explicitè, nobiliſſimus, implicitè tamen.*

Litteræ Pippini producuntur, ſed fruſtrà.

V. *Quartò erunt literæ Pippini regis, quæ miſſum à Clemente dicant.* O perpetuam ἀσυλλογισίαν. Deinde has literas ſuſpectæ eſſe fidei duæ res meritò faciunt: prima, quòd illas retuliſſet Hilduinus,

nus, ſi tunc in tabulario Sancti Dionyſij extitiſſent. Altera, quòd tabularium illud, vnde prodierunt, ſpuriarum chartarum & priuilegiorum officina quondam fuerit, vt conſtat legentibus Antiquitates monaſterij Sancti Dionyſij, quas Iacobus Dubletius in lucem emiſit.

Menardus reſpondet in ratione ſecunda *calumniam eſſe*, ſed affirmo rationem illã veritate ſumma niti, vt iam ſemel atque iterum oſtendi, ſemel in Iudicio de Hadriani Valeſij diſceptatione, quæ de Baſilicis inſcribitur: In obſeruationis XXVII. paragrapho X. chartas ſex Dagoberto Regi ſubiectas eſſe doceo: Iterum in Aſſertione inquiſitionis in chartam immunitatis, quam B. Germanus Pariſiorum Epiſcopus monaſterio dediſſe fertur; In illius partis IV. cap. X. ſect. III. priuilegia multa monaſterij Sandionyſiaci falſa eſſe demonſtraui. Sed tertiò rem eandem demonſtro.

I. In libri II. de antiquitatibus monaſterij capite VI. Benedicti III. priuilegium legitur *ſcriptum menſe Maio indictione* VII. *datum* V. *Idus Maij, imperante piiſſimo Auguſto Ludouico magno Imperatore, Conſulatus eius anno octauo, Indictione* VII. Primùm nulla Indictio ſeptima ſub Benedicto III. effluxit in annalibus Eccleſiæ. Sed tantùm tertia, quarta & quinta. Deinde anni pridem per Conſules numerari deſierant. Tum Indictio VII. Ludouici Imperatoris anno VIII. non reſpondet, ſed anno IV. Denique Ludouici annus VIII. à morte Benedicti III. ſextus eſt.

II. In eiuſdem libri capite VIII. legitur, *Secundum Synodi Piſtenſis priuilegium, anno* DCCC. LXII. *Indictione* II. *regni glorioſiſſimi Regis Caroli*

S

XXIII. *datum*. Primùm in hac Synodo nulla fit mentio priuilegij, quod monachis monaſterij S. Dionyſij concedatur. Hoc autem priuilegium eiuſmodi eſt, vt Synodi magna pars fuiſſet. Deinde, huic priuilegio ſubſcribit Angilbaldus Sueſſionenſis Epiſcopus, qui non erat Sueſſion. Epiſcopus, ſed Rothadus, qui Concilio apud Saponarias anno DCCCLIX. Concilio apud Tuſiacum anno DCCCLX. & Concilio Sueſſionenſi III. anno DCCCLXVI. habito interfuit. Tum Guilliborus Catalaunorum Epiſcopus ſubſcribit, qui non erat Catalaunenſis Epiſcopus, ſed Erchanraus, qui tribus quoque memoratis Conciliis interfuit. Quartò non ſecunda, ſed decima indictione Piſtenſis Synodus habita eſt: ſic enim in Capitulis Caroli Calui traditur n. XXIX. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Carolus gratia Dei Rex, & Epiſcopi, Abbates quoque & Comites in locum qui Piſtis dicitur, conuenimus anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXII. *anno verò* XXIII. *regni domini noſtri Caroli Regis glorioſi Indictione* X.

III. In libri III. capite IV. legitur Clodouei II. charta prima, quæ ſic incipit: *Clodoueus Dei gratia Francorum Rex filius Dagoberti Regis.* & poſt alia: *Cludouuius filius Dagoberti glorioſiſſimi Regis.* At hæc ſcribendi methodus à ſtilo regum alieniſſima eſt. Deinde nominis huius, Clodoueus & Cludouuius, diuerſitas in eodem inſtrumento ſtolidi cuiuſdam Monachi opus eſt.

Tum chartæ anno regni ſeptimo & Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo quarto ſubſcribit, *Arnulfus Metenſis Epiſcopus,* qui anno DCXL. iam è viuis abierat.

Quartò ſubſcribit Remenſis Archiepiſcopus Syluinus, quod nomen nec apud Flodoardum, nec in Eccleſiaſticis Remorum tabulis reperitur. Denique ſubſcribunt *Gondoënus Comes Normanniæ, & Charimundus Comes Flandrenſis*, quorum ſubſcriptiones impoſtoris ignorantiam mirum in modum prædicant. Poſt Carolum Caluum vixit, qui chartam hanc Clodoueo ſubiecit.

IV. In eiuſdem libri capite VI. legitur charta viceſima, *data in Monaſterio ſancti Dionyſij anno Domini* DCCCXIII. cui ſubſcribit *Turpinus Epiſcopus Remenſis*, qui anno DCCCXI. fatis iam conceſſerat. Iacobus Sirmondus in Elencho Remenſium Archiepiſcoporum : *Vulfarius* (qui Tilpino, ſeu Turpino ſucceſſerat) *Synodum Remis habuit ſub Carolo Magno anno* DCCCXIII. Deinde ſubſcribunt *Goſbertus Bituricenſis Epiſcopus, Ioannes Lugdunenſis, Arnulfus Turonenſis, Stephanus Lemouicenſis*, quorum nomina in Eccleſiaſticis tabulis non extant. Tum ſubſcribit *Neſcius Archiepiſcopus Toloſanus*, quaſi ante annos abhinc trecentos quadraginta duos Toloſana ciuitas in Eccleſiaſticam metropolim erecta fuerit, & tunc Epiſcopus nomine Neſcius claruerit. Quartò ſubſcribunt *Gerotinus Papienſis, Anſelmus Mediolanenſis, Vuolfoldus Cremonenſis, Achillas Alexandriæ antiſtes.* En figmenta Monachorum Menardi noſtri collegarum. Denique Eginhardus hoc anno DCCCXIII. notat, ex auctoritate Caroli multa in Galliis facta eſſe Concilia, ſed nullum meminit factum in monaſterio S. Dionyſij Epiſcoporum conuentum, in quo Carolus priuilegium daret.

Digitized by Google

v. In eiuſdem libri capite eodem legitur charta xxi. in qua ſic habetur: *Igitur conſilio & voluntate filij mei Ludouici Pij.* quæ verba non ſunt Caroli M. ſed Monachorum, qui chartam Carolo ſubiecerunt: quis enim crederet patrem de filio ſuo ita locutum eſſe? Deinde chartæ ſubſcribit *Leo III.* qui nunquam in Gallias venit. Tum ſubſcribunt *Vrſus Rauennæ Archipræſul, Achillas Alexandrinus, & Theophilus Antiochenus Epiſcopi.* Achillas & Theophilus ficta ſunt ſub Carolo nomina Epiſcoporum, quos Monachi conſueta ſinceritate ex Oriente in S. Dionyſij Monaſterium euocant, vt Caroli Imperatoris chartæ ſubſcribere dignentur. Quartò ſubſcribit *Pontianus Arelatenſis Archipræſul*, qui ad annum M. XXIV. ſedit. Quintò ſubſcribit *Philippus Coloniæ Archiepiſcopus*, qui ad annum M. CLXX. vixit. Sextò ſubſcribit *Fulradus ter beatiſſimi Dionyſij Areopagitæ Abbas.* qui anno DCCLXXXIV. deuixerat. Abbates Monaſterij ſancti Dionyſij priuilegium habent, quo chartis Monaſterio ſuo conceſſis poſt obitum ſubſcribant. Poſtremò ſubſcribit *Neſcius Toloſanus Archipræſul.* qua ſubſcriptione teſtatur multis poſt Carolum Magnum ſæculis vixiſſe, qui chartam Carolo ſuppoſuit.

Præterea ibidem Leo Papa dicitur interfuiſſe generali Synodo, quæ Sueſſionis habita eſt: *Quorum ſupradictorum Comitum petitioni libentiſſimè præbens aſſenſum, domno Leone Papa reſidente Sueſſionis in generali Synodo, præcepi adeſſe reuerentiſſimum Abbatem ſancti Dionyſij nomine Fulradum vnà cum monachis ſibi commiſſis & priuilegiis domni Romani Pontificis & Regum prædeceſſorum meorum, vel reli-*

Digitized by Google

quis inſtrumentis chartarum, conuocánſque in palatio ante ipſius domni Leonis Papæ præſentiam & noſtram, & ante filium meum Ludouicum, Archiepiſcopos, &c. At neque Leo III. venit vnquam Sueſſiones, neque ibi habita eſt generalis Synodus Leone Pontifice & Carolo Imperatore. Quocirca falſiſſima eſt adhuc hæc chartæ conſignatio, *Hoc actum eſt apud vrbem Sueſſion.* Non poteſt impoſtura maior fingi vel excogitari.

In eiuſdem libri III. capite VII. charta prima Ludouici Pij data dicitur III. *Calend. Aprilis Indict.* II. *anno primo regnante Hludouico glorioſiſſimo Rege.* At non II. ſed VII. Indictio in annalibus Eccleſiæ reſpondet anno primo Ludouici.

In eiuſdem libri capite VIII. charta prima Hlotharij data dicitur *anno Imperij Hlotharij in Francia primo, in Italia decimo tertio, Indict. vndecima.* At prima non vndecima Indictio reſpondet anno XIII. Imperij Hlotharij.

Item charta ſecunda data dicitur XII. *Cal. Nouembris anno Imperij Hlotharij Auguſti in Italia decimo ſexto, & in Francia quarto, Indict. ſexta.* Lotharius Prumienſis monachus factus eſt Imperij anno decimo quinto. Regino Prumienſis Abbas in Chronicorum libro II. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLV. *Lotharius diſpoſitis atque ordinatis regni negotiis valedicens ſuis mundum reliquit, atque in Prumiam monaſterium veniens comam capitis depoſuit, habitúque ſanctæ conuerſationis ſuſcepto in religionis profeſſione diem clauſit extremum* III. *Calend. Octobris.* Lotharius Ludouico patri ſucceſſerat anno DCCCXL. Idem ſcribit Baronius anno DCCCLV. Petauius in Ration. temp. part. I. lib.

VIII. cap. X. *Tertius igitur à Carolo Magno Imperator Occidentis Lotharius annis circiter* XV. *Imperium tenuit. Quippe anno* DCCCLV. *rerum humanarum tædio regnum omne diuiſit in filios tres, atque in Prumienſi cœnobio monachus eſt factus, vbi &* III. *Cal. Octob. obiit.*

Deinde quid ſibi vult, *anno Imperij in Francia quarto?* Lotharius, Ludouicus & Carolus, Ludouici Pij filij regnum paternum ita diuiſerunt: Lothario præter Romanum Imperium, hoc eſt, Romam & Italiam Belgica ceſſit; Ludouico Germania omnis vſque Rhenum; Carolo Occidentalis Francia.

Poſtremò Indictio tertia cùm imperij Lotharij anno XV. reſpondeat, indictio ſexta non reſponderet imperij Lotharij anno XVI. ſi hocce anno adhuc imperaſſet.

In eiuſdem libri capite IX. charta Caroli Calui Regis quarta data dicitur XVII. *Cal. Febr. anno* XI. *regnante Carolo Rege Indict.* XII. non duodecima ſed decima quarta indictio reſpondet anno XI. Regis Caroli.

Item alia eiuſdem Caroli charta data dicitur VII. *Calend. Maij, Indict. quinta anno vigeſimo regnante Carolo rege.* ſed octaua non quinta Indictio reſpondet anno vigeſimo Caroli.

Item alia eiuſdem Regis charta anno DCCCLXII. data, cui ſubſcribit *Freculfus Sanctonicenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Sed in Catalogo Epiſcoporum huius Eccleſiæ Freculfus nõ reperitur. Subſcribit, *Guilliborus Catalaunorum Epiſcopus.* Sed tunc Epiſcopus erat Erchanraus, qui Synodo apud Saponarias habitæ anno DCCCLIX. Tuſiacenſi anno DCCCLX.

Digitized by Google

Sueſſionenſi tertiæ an. DCCCLXVI. & Trecenſi an. DCCCLXVII. interfuit, anno videlicet poſtquam charta data eſt, quinto. Erchanrao ſucceſſit Vuillibertus, non Guilliborus. Subſcribunt Aurelianenſes Epiſcopi duo, *Agius*, qui Synodo apud Saponarias habitæ anno DCCCLIX. Tuſiacenſi anno DCCCLX. & Sueſſionenſi tertiæ anno DCCCLXVI. interfuit, & *Gualturus* ſeu *Vualterus*, qui poſt Anſelmum Agio ſucceſſit. Subſcribit *Angilmodus Sueſſionenſis Eccleſiæ Epiſcopus*, qui tunc non erat Epiſcopus, ſed Rothadus, qui Synodo apud Saponarias habitæ anno DCCCLIX. & Tuſiacenſi anno DCCCLX. interfuit: anno tantùm DCCCLXIII. depoſitus, & anno DCCCLXV. reſtitutus Sueſſionenſi Concilio III. anno DCCCLXVI. & Tricaſſino anno DCCCLXVII. interfuit, & obiit circiter anno DCCCLXVIII. cui ſucceſſit Angilmodus, id eſt anno à ſcripta charta ſexto. Subſcribit *Imbertus Floriacenſis monaſterij Abbas*, ſed Imbertus ſubdititij Abbatis nomen eſt. Deinde nomen hoc recentioris æui nomen eſt, quod, etiamſi falſitatis argumenta deeſſent cetera, fraudem chartæ luculenter explicaret.

Hæc pauca de priuilegiis & chartis, quas ab inertibus Monachis conditas, Iacobus Dubletius Menardi ſocius ſumma qua potuit fide iuris publici fecit.

Ex his autem omnibus facilè intelligitur, Menardum iniuſtè & imprudenter iuxtà mihi impoſuiſſe calumniam: iniuſtè quidem cùm tabularium Monaſterij Sancti Dionyſij ſpuriarum chartarum & priuilegiorum officinam fuiſſe probauerim; imprudenter verò, cùm mouerit Ca-

marinam, quæ mouenda non erat, ne mihi daretur occaſio faciendi, quod ego iam feci.

Literæ quædam Collationis Pariſienſis producuntur, ſed omninò fruſtrà & imperitè.

VI. *Quintò erunt denique literæ illæ multorum Antiſtitum Galliæ anno* DCCCXXIV. *datæ, & quæ apud Baronium leguntur tomo* IX. debuit addere, & ſic refelluntur anno DCCCXXV. num. XXXV. *Sed quàm vanè glorientur de maiorum conſuetudine, ſat erit, ſi teſtificatione S. Martini, & aſſertione Venantij perſpicuè demonſtremus, receptum antiquitus eſſe cultum ſacrarum imaginum.* Similiter dicimus: Sed quàm vanè cum illis glorietur humilis monachus, B. Dionyſium à Clemente miſſum; ſat erit, ſi contrarium probetur teſtificatione antiquiſſimi vitæ Saturnini ſcriptoris, & aſſertione Gregorij Turonenſis, qui Dionyſium ſub Decio in Galliam veniſſe prodiderunt, nec id ea in oratione prodiderunt, vnde nunc argumenta contra cultum imaginum petantur. II. Milletus Gregorium Turonenſem reiicit, quia eandem de Dionyſio hiſtoriam executus in aliis peccauit. Sic & hos Antiſtites reiiciat neceſſe eſt, qui in iiſdem literis contra receptam imaginum reuerentiam peccarunt, vt docet Baronius. III. In hoc teſtimonio, ſicut & in aliis idem eſſe concludit à Clemente mitti, atque Areopagitam eſſe. Sed quis poſtea non credet illum perpetuam in diſputando vouiſſe inconſequentiam? IV. Cùm Antiſtites illi dicant Dionyſium cum duodenario numero à Sancto Clemente primum in Gallias prædicatorem directum fuiſſe, quid Trophimo

Arelatenſi, quid Creſcente Viennenſi, quid Paulo Narbonenſi, quid Sixto Remenſi, quid Sauiniano Senonenſi, quid Memmio Catalaunenſi, quid Martiali Lemouicenſi, quid Iuliano Cenomanenſi fiet, quos omnes ante Dionyſium in Gallias acceſſiſſe docet? Prædicatores igitur non fuerunt, aut falluntur Antiſtites, aut fallitur Milletus, aut ſaltem credit Arelatenſem, Viennenſem, Narbonenſem, Remenſem, Senonenſem, Catalaunenſem, Lemouicenſem, & Cenomanenſem ciuitates ad Galliam non pertinere. Si primum eligit, nullus eſt: ſi ſecundum, ridiculus: ſi tertium, ab Geographia Galliæ mortalium imperitiſſimus. v. Cùm aduerſarius non poſſit, aut nolit explicare, quis ille fuerit duodenarius hominum numerus, qui Dionyſium ſtiparint, fateatur illum eſſe, quem ex geſtis Fuſciani & Victorici exhibuimus, & quem indicat & continuò diſtrahit Radbertus in actis Ruffini & Valerij. Hoc ſi ita ſit, in parachroniſmum incurrerunt Epiſcopi, dum Dionyſium cum duodenario numero miſſum à Clemente dixerunt; nec traditionis iſtius idonei teſtes haberi poſſunt. v i. Hîc tandem quicquid fingi poteſt inconſiderantiæ, detegimus: vbi Epiſcoporum Pariſienſis conuentus verba retulit, hæc ſecundis cogitationibus animaduertit.

En verò tibi è ſuis Epiſcopis totius Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus, en, vt inquiunt, linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus vſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, & vera & legitima & à capite deriuata traditio. Inprimis toti Gallicanæ Eccleſiæ tribuit, quod paucis Epiſcopis tribuendum eſt: deinde illa

verba, quæ ad traditionis perpetuæ lineam ſpectant, in Pariſienſis conuentus argumentum cadunt, licèt falsò, vt Baronius docet. Agunt quippe de pingendis & colendis imaginibus, quod auctor noſter ignorat, aut diſſimulat, ſed in Catholici dogmatis perniciem, cùm iis auctoritatem omnem tribuit, quibus omnis abroganda eſt. Sed hac de re viderint, ad quos de Catholicæ doctrinæ punctis ſancire pertinet. Deniqueſi legitima eſt, & à capite deriuata traditio, *Dionyſium à Clemente in Gallias cum duodenario numero primum prædicatorem directum eſſe*, vt dicunt illi antiſtites, cur Radbertus illud mendaci famæ tribuit, & repudiat? *Fama eſt*, inquit, *hos* (Quintinum, Victoricum & Fuſcianum, Ruffinum & Valerium, Criſpinum & Criſpinianum cum ceteris eorum ſociis) *cum Beato Dionyſio, qui à Beato Clemente Romanæ Sedis Pontifice miſſus fuerat, Galliarum fines penetraſſe, ſed temporum ſeries repugnat. Sanctus namque Dionyſius ſub Domitiano Cæſare anno eius imperij ſecundo martyrio coronatus eſt: Iſti verò Diocletiano & Maximiano Auguſtis immortalitatis gloriam perceperunt.* Cur Milletus *hoc teſtimonio nihil eſſe* ſcribit *expreſſius ad fidem? nihil accuratius ad veritatem poſteris tradi potuiſſe?* Suâ vice nunc erubeſcat de ſua inſulſitate aduerſarius, qui tam diſcordes auctores producit, & tanquam glorioſus miles triumphat?

Digitized by Google

CAPVT XI.

Sueſsionenſes olim à Conſtantinopolitanis ſuſceperunt caput Dionyſij Areopagitæ.

I. IN hac ad caput quartum Diſſertationis reſponſione paragrapho VII. Milletus ad me venit, qui pro demente quodam ſatisfaciat inaniter argutando. Res ſic ſe habet. Ego in vndecima ad Palladium Samblacati animaduerſione Methodium, Singelum & Metaphraſtem ad Conſtantinopolitanos remitto, qui anno MCCV. caput Areopagitæ Niuelloni Sueſſionum Epiſcopo dederunt. Samblacatum quoque ad Sueſſionenſes remitto, à quibus huius ſanctiſſimi capitis ſuſceptionem diſcat.

Conſtantinopolitanos fraudis arguit Milletus.

II. HÆC vt aduerſarius diluat, Conſtantinopolitanos primùm fraudis ſic arguit. *Vel enim*, ait, *fuiſſet Dionyſij corpus Conſtantinopoli Patriarchatus Methodij tempore, quod ne ſtupidiſſimus quidem homo totius Græciæ neſcire non potuiſſet, vel aduectum fuit poſtea id corpus: At neque hoc concedi poteſt. Sunt enim tranſlationes eiuſmodi Sanctorum illuſtrium celebriores, quàm vt eas obruat ſilentium omnium ſcriptorum.* Primò, homo non planè in dialecticis ſtupidus vniuersè diſtribuiſſet argumentum: bimembre tantùm facit argutulus noſter, cùm trimembre facere debuerit; ſcilicet Areopa-

gitæ caput Conſtantinopolim adferri potuit, *pluribus* antè annis, quàm Methodius Patriarcha crearetur. II. Illa Milleti ratiocinatio neruos non habet, aut contra ſuum auctorem habet. Quod ex eius locis communibus breuiter conficio. Areopagita relictis Athenienſibus Romam venit, & Româ miſſus eſt in Gallias, tametſi nullus ſit ante Carolum Magnum ſcriptor Græcus vel Latinus, qui tam celebrem Areopagitæ legationem miſerit in Commentarios. Argumenti repercuſſum ſeu reſpuat, ſeu recipiat Milletus, inanis efficietur & ridiculus. III. Vbi certum aſſignauerit tempus, quo perilluſtre Dionyſij Pariſienſis ſepulcrum Lutetiæ in eius baſilica videri deſiit; tum vbi rationem dederit, quî in Pariſienſi pago inuentum ſit Dionyſij corpus: quod in vrbe non latebat, & quod ad preces Sancti Eligij miracula patrabat, tunc alterutrum è duobus, quæ vrget, aſſignabitur. Sed ſubtiliter quærit, vbinam ſit reſiduum Dionyſij corpus, quo genere quæſtionis plurimùm torqueretur monſtrator reliquiarum monaſterij Sancti Dionyſij, ſiquis ex eo peteret, vbinam ſint reſidua Sanctorum corpora, quorum aliquam particulam oſtendit; vel dicat ille nobis, vbinam ſit reliquum vnicornis corpus, cuius cornu tanta cum admiratione monſtrat.

Sueſsionenſes excuſat domeſticis exemplis.

III. Expeditis, vt vidimus, Conſtantinopolitanis Sueſſionenſes aggreditur: *Sueſſionibus*, inquit, *temeritati minimè verto: quæ res ab aliis*

non ſemel factitata eſt, titulo inſignioris Sancti ſub eodem nomine reliquias cuiuſdam Dionyſij Conſtantinopoli allatas, illuſtriores eſſe voluerunt. Milleto inprimis difficilis non eſt reſponſio, quam arcana monaſterij hiſtoria, & domeſtica exempla ſuggerunt. Notiſſimum illud eſt exemplum, quod ex Eugenio presbytero & martyre peti facilè poteſt. Sed monachorum exempla ſecutum Niuellonem non credo, nec hiſtoricæ veritatis minùs amantem puto, quàm Letaldum monachum, cuius in ſcribenda ſancti Iuliani vita ſinceritas Milleto non placet. *Dicenda ſunt*, inquit, *cum veritate, quæ veritas ipſa geſſit, quia ſi aliquis Patrum aliquod dicitur feciſſe miraculum, non illud homo, ſed Deus operatur.* Deinde, quâ fiduciâ Sueſſionenſes Dionyſij cuiuſdam caput titulo Areopagitæ donaſſent, ſi Dionyſium Pariſiorum Epiſcopum Areopagitam, ſi Areopagitæ corpus in Gallia fuiſſe credidiſſent, ſi Gallos omnes Hilduini peruaſiſſet opinio? Vellétne Milletus Areopagitæ nomine inſignire cuiuſdam alterius Dionyſij caput, quod Conſtantinopoli in monaſterium Sancti Dionyſij adueheretur? Hoc ſi ſe velle reſpondeat, Sueſſionenſes id feciſſe, quod ille contendit, libenter concedam.

Ad annum M.CCV. in Gallia multi ſupererant, qui reiectâ Hilduini nouitate antiquam traditionem conſeruarent. Quod ita diſplicuit monachis Sancti Dionyſij, vt ab Innocentio III. contrarium definiri voluerint. Sed tantùm abeſt, vt monachorum votis ſatisfecerit, vt maximè teſtatum reliquerit, ſuo tempore de Areopagitæ in Gallias aduentu diuerſas fuiſſe ſententias, qui-

bus ſe præiudicare nolle declarauit : *Vtrum*, inquit, *glorioſus martyr & Pontifex Dionyſius, cuius venerabile corpus in veſtra requieſcit Eccleſia, ſit ille cenſendus, qui Areopagita vocatur, diuerſæ ſunt ſententiæ diuerſorum.* infrà : *Nos neutri volentes præiudicare ſententiæ.* Nouerat eruditus Pontifex, quænam erat ea de re Romanæ Eccleſ. traditio, cuius monimenta alibi non ſemel prodidimus. Nouerat, quænam erat Pariſienſis Eccleſiæ traditio, in cuius clauſtro Theologiam didicerat : nouerat Pariſienſem Eccleſiam & in Martyrologio duos Dionyſios diſtinguere, & ſuum Dionyſium Piatonis collegam facere, qui ſub Maximiano martyrij palmam retulit. Maneat igitur, Sueſſionenſes Areopagitæ caput appellaſſe, quod verum Dionyſij Areopagitæ caput eſſe crediderunt. Maneat, Sueſſionenſes tunc nihil ab Hilduino labis contraxiſſe, ſed antiquam de duobus Dionyſiis retinuiſſe traditionem : quod cùm ex eorum Martyrologiis, tum etiam ex Litaniis alibi planiſſimum fecimus.

CAPVT XII.

Promptum è tranſlationibus Epiſcoporum argumentum reuoluit aduerſarius, & mirum in modum confirmat.

I. IN Reſponſione ad caput quintum Diſſertationis verſat argumentum, quod ex Epiſcoporum tranſlationibus ſumitur, & in eo quicquid habet iudicij, miſerandum in modum pro-

Digitized by Google

fundit aduerſarius. Vno verbo adeò non ſoluit argumentum, vt maximum illi robur addat. Etenim cùm vidit Socratem, ex quo Sirmondus acutè diſputat, non omnes recenſuiſſe Epiſcopos, qui ab vna ſede in aliam migrauerant, continuò veterum omnes Annales & hiſtorias reuoluit, & ex iis, quinam alij Antiſtites ab vna ſede tranſierant in aliam; imò qui & diuerſas ob prædicationem Euangelij peregrinationes ſuſceperant, eos ex nomine deſignat. Sed in tanta ſeu migrantium, ſeu peregrinantium Epiſcoporum recenſione nullus Areopagita comparet; licèt nulla tunc memoretur Epiſcopi migratio, ſeu peregrinatio, quæ ab hominis ætate, locorum diſtantia, & Apoſtolicæ legationis dignitate illuſtrior fuiſſet, & auguſtior.

Ea profectò de cauſa inter tot antiquos migrantes, vel peregrinantes Epiſcopos Areopagita non comparet, qua cautiſſimus homo probat Conſtantinopolitanos Areopagitæ caput non potuiſſe Sueſſionenſibus dare; ſcilicet quòd tam celebris tranſlatio ſeu peregrinatio hiſtoricis omnibus haud excidiſſet.

Socrates ab aduerſario perperam explicatus.

II. Enimverò videamus, quonam pacto ſuis Socratem ſtudiis Milletus conciliet. *Ille*, inquit, *nonniſi paucos, & ſuorum temporum pro maiori parte viciniores adducere ſtatuit*. Rectè omninò, tum quia ſi paucis illis vnum addidiſſet Areopagitam, multos ſine dubio contrà quàm ſtatuerat, adduxiſſet; tum quia ſi antiquiorem Ale-

xandro, qui ad annum cc. vixit, adduxiſſet, ſuorum temporum pro maiori parte viciniores non adduxiſſet. His nobilibus interpretamentis Socrates illuſtratur. Ingeniosè addidiſſet Græcum auctorem noluiſſe illuſtriſſimas quaſque Epiſcoporum, & præſertim Areopagitæ migrationes referre, cùm ex illis transferendorum Antiſtitum exempla, quæ ſedulò quærebat, non petantur commodè.

Inſignis ſeſe hîc offert ἀναισχυντία Samblacati, qui in reconcinnato Palladio ſcribit factam à Socrate Alexandri mentionem, ſed obiter, & Alexandrum à Sirmondo haud bonâ fide ceteris adiunctum, qui ab vna ſede in aliam migrarant. Sed quàm vanè & ignoranter hæc ſcribat, ipſa Socratis lectio docet, ad quam alios remittere non veretur. *Iam verò* (inquit Socrates lib. VII. cap. XXXV.) *quoniam quidem propter Eccleſiæ canonem, quem pro ſe afferebant, Proclum Epiſcopum Cyzici iam tum nominatum in ſede Epiſcopali Conſtantinopolis collocari prohibuerunt, de ea re pauca dicere ſtatui. Qui tum iſta aſſerere aggreſſi ſunt, videntur mihi certè minimè vera dixiſſe: ſed vel inuidia aduerſus Proclum eadem confinxiſſe, vel tum Canones, tum alias res ad Eccleſiarum vtilitatem non rarò geſtas penitus ignoraſſe. Nam Euſebius Pamphilus in ſexto libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Alexandrum ciuitatis cuiuſdam Cappadociæ Epiſcopum Hieroſolymam voti cauſa contendentem ab Hieroſolymitanis detineri, Narciſſi loco in Epiſcopatus gradu collocari, & reliquum vitæ tempus in illa Eccleſia contriuiſſe memorat. Itaque res erat planè indifferens apud veteres, quoties Eccleſiarum vſus poſcebat, Epiſcopum ab vna ciuitate*

te

te ad alteram transferre. Hæc Samblacatus intellexit non ſecùs, ac qui in Eleuſiniis apud Ariſtophanem myſteria portarit.

Publij Meliteni Epiſcopi tranſlatio refertur, tum de ea fertur iudicium.

III. Secvndò redimus ad Milletum, ex quo ſi quæras, cur Martyrologia Adonis & Romanum Roſuueidi tranſlationem Publij Epiſcopi Meliteni referunt, non Areopagitæ? Reſpondebit ille ex penu locorum communium, quia vnius tantùm Epiſcopi, & qui ſucceſſor eſſet Areopagitæ, meminiſſe voluit: ego verò dicerem, quia paſſum Athenis Areopagitam tradunt. Quod & in Vindiciis concedit aduerſarius, licèt hodie neget, ſed cras reuocabit vir in ſuis aſſertionibus conſtantiſſimus.

Quod autem abſolutè ſpectat ad Publij Meliteni migrationem, hæc Græcis omnibus ſcriptoribus ignota eſt. Immo Euſebius, dum libro IV. Hiſtoriæ Publium Areopagitæ ſucceſſorem facit, non magis illum ex alia ſede Athenas tranſlatum ſignificat, quàm Quadratum Publij ſucceſſorem. Deinde, licèt Ado in libello de feſtiuitatibus id de Publio referat quod obiicit aduerſarius, ille tamen in Martyrologio non meminit eiuſmodi tranſlationis XXI. Ianuarij: *Item apud Athenas, Beati Publij Epiſcopi ob Chriſti martyrium coronati.* Adone vetuſtior Vſuardus de Publio multa refert, ſed ne vnum quidem de tranſlatione verbum habet: *Natalis Beati Publij Epiſcopi, qui ſecundus poſt Dionyſium Areopagitam, Athenienſium*

Digitized by Google

Eccleſiam rexit nobiliter, & præclarus virtutibus ac doctrina præfulgens ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur. Porrò ex nominum ſimilitudine ortum eſt, vt qui primùm libellum de feſtiuitatibus Apoſtolorum edidit, vel illum poſteà & Martyrologium ab Roſuueido editum exſcripſit, Publium Melitenum cum Publio Athenienſi confuderit.

Anteri decretalis epiſtola producitur & reiicitur.

IV. Tertiò, ſi quæras ex Milleto, cur Anterus in Decretali tres tantùm Epiſcopos, qui ab vna ſede in aliam tranſierint, Petrum Apoſtolum, Euſebium Alexandrinum, & Felicem Epheſinum memoret? Reſpondebit, Anterum non alios quàm tres in exemplum adduxiſſe, è quibus noluit eſſe Areopagitam, & duos eſſe voluit Euſebium & Felicem, quos tota ignorauit antiquitas.

Deinde ſi quæras ex eodem, cur inter cetera propter vnius elementi in aliud mutationem vetus Romanum Martyrologium reiecerit in Vindiciis, & in magnam nunc auctoritatem habeat Anteri decretum, quod non minùs opinor ſolidis rationibus inter fucatas Iſidori merces reponitur, reſpondebit ſe non vouiſſe expenſurum ea, quæ cauſæ ſuæ quoquo modo ſuffragentur, ſed quæ tantùm officiant. Sic reuera nobiſcum agit religioſus diſputator.

Digitized by Google

Quæ aduerſarius Sardicenſi Canoni reſpondet, examinantur.

V. Igitvr poſtquam vir diligentiſſimus contra ſe roborauit argumentum, quo in Diſſertatione Sirmondi probatum eſt, Areopagitæ tranſitum ab Epiſcopatu Athenienſi ad Pariſienſem Græcis omnibus olim ignotum fuiſſe, ad Sardicenſem Synodum accedit, & ſuis ex ea deductis complexionibus reſpondet, non Sirmondi. Neque enim Sardicenſem canonem attulit vir acerrimi iudicij, perinde quaſi in eum peccarit Dionyſius, aut omnes omnino tranſlationes interdictæ fuerint, ſed vt maximè penſitarentur hæc canonis verba: *Nullus eſt inuentus Epiſcopus, qui de maiori ciuitate ad minorem tranſiret.* At cùm Areopagitæ ſæculo Athenienſium vrbs longè maior, populoſior, & illuſtrior Lutetiâ fuerit, ex iudicio Synodi, cui plures è Galliis Epiſcopi ſubſcripſerunt, Areopagitam Athenis Pariſios non tranſiiſſe meritò concluſum eſt, niſi forſan Milletus pro ea, qua valet modeſtia, velit Sardicenſem Synodum non omnes Epiſcopalium Sedium mutationes nouiſſe, quas nouit.

Quinetiam cùm ille nihil haberet, quo contra Synodum diſputaret, habuit tamen duo, quibus litigaret. Vnum eſt, Athenas quidem maiorem Lutetiâ ciuitatem fuiſſe, ſi murorum ambientium magnitudo ſpectetur: ſed inde nobilitatem vrbium non pendere; immò à liberalioribus populi moribus, & ingenio loci, *quem cæli ſalubritas, vbertas ſoli, aquarum affluentia, & ad*

commercia vicinarum gentium opportunitas bearint. Propè fuit, quin ex Hilduino ſuo addiderit, tunc Pariſiorum ciuitatem, *vti ſedem regiam & conuentu Gallorum ac Germanorum nobilitate excelluiſſe.* Quid tum verò? quot ſunt pagi, quot oppidula, quot caſtella, quibus illa omnia iure tribui poſſent? Ideóne vellet Milletus vicos eiuſmodi vel oppidula vrbibus comparari quàm ampliſſimis? Deinde niſi ſupponat Athenas his omnibus naturæ commodis caruiſſe, quid proficit præter hilum? At caruiſſe quî probabit? cùm ex paruis initiis ciuitas illa euaſerit totius Græciæ celeberrima, diſciplinarum omnium altrix, & maximarum coloniarum parens fœcundiſſima, vbi & tam illuſtris Areopagitarum Senatus. Denique ſupponit Apoſtolicos homines oppidula quæſiuiſſe, quæ cæli ſalubritas, ſoli vbertas, aquarum affluentia, & omne genus amœnitatis bearent. Quod quàm abſurdum ſit in Areopagita fingere, nemo eſt, qui non videat etiam inter ſomniandum.

Alterum eſt, Dionyſium à Clemente miſſum fuiſſe, *nuſquam verò Pariſios, ſed in Galliam.* Quid inde? *Hinc*, inquit, *Apoſtolus Galliæ meritò prædicatur.* O frigidam obſeruationem! Sic enim Piato presbyter Galliæ Apoſtolus diceretur, quem Roma Galliam expetiiſſe prædicandi cauſa ſcribit Vſuardus. Sic plures alij eadem ratione Galliæ Apoſtoli vocarentur. Apage te à me, qui hîc de aduerſariis tam magnifico nugarum apparatu triumphas.

CAPVT XIII.

Quæ de ignota apud veteres Areopagitæ tranſlatione ſcribit aduerſarius, examinantur.

I. HOc capite nonnulla expendimus, quæ de incognita apud antiquos Areopagitæ tranſlatione diſputat aduerſarius. Et primò quidem iſtud, quo dicit, *Dionyſium non mutaſſe propriè ſedem, ſed reliquiſſe prorſus, vt prædicationi verbi diuini curas integras admoueret, eâque mente petiiſſe Romam, & varias deinde Occidentis prouincias cum Euangelica face luſtraſſe: ex quo mirum non eſt, ſi nemo illum reponat in elencho eorum Epiſcoporum qui ſedem mutarunt.* Hoc mutuatus eſt à Samblacato, & noſtram animaduerſionem diſſimulauit. Sed quæro inprimis, cur Dionyſius ille repoſitus non eſt in numero eorum Epiſcoporum, qui ſuas ſedes reliquerunt, vt prædicationi verbi diuini curas integras admouerent? Eritne in Dionyſio Galliæ Apoſtolatus antiquorum literis indignior, quàm alicuius Epiſcopi ab vna ſede ad aliam migratio? Deinde, quid hoc ſibi vult, *Areopagita reliquit prorſus Athenienſes, vt prædicationi verbi diuini curas integras admoueret?* Quid? conuerſioni Athenienſium curas integras non admouerat Dionyſius, aut dimidiatis curis Athenienſes omnes ad Chriſti fidem conuerterat? ſic facile fuit ſubuerſis Gentilium idolis & ſacrificiis vnicam apud Athenienſes aram Chriſto collocare. O felicem Dionyſium! qui

Digitized by Google

tam breui tempore, támque facili negotio florentiſſimam totius Græciæ ciuitatem religione vera imbuit.

Fingit Milletus Dionyſium Pariſiorum fundaſſe Eccleſiam, ſed præter eius conſilium.

II. Secundò ſuas aduerſarius nænias ſic perſequitur: *Quòd verò poſtea Pariſiorum fundarit Eccleſiam, id præter eius conſilium accidit.* Quodnam genus ſomnij? Nónne ſexcentarum Eccleſiarum Martyrologia dicunt, *Dionyſium à Pontifice Romano directum in Galliam prædicandi gratiâ Lutetiam veniſſe, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus ardenter proſequens, tandem à præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Deinde quod de Dionyſio Pariſienſi ſcribit, de Quintino Veromandenſi, de Luciano Bellouacenſi, de Piatone Tornacenſi, & aliis quis non pari ſucceſſu ſcriberet, & ſcriptum pari ratione non tueretur?

Diſſimulat quæſitam ex retento ſemper Athenienſis Epiſcopi titulo rationem.

III. Tertiò hanc rationem, cuius nodum ſoluere non potuit, diſſimulat: Sic enim Sirmondus vrget: *Vis & alia ratione te doceant Græci, nullum ſe vnquam præter Athenas Dionyſij Epiſcopatum crediſſe? Da hoc primum mihi, quod inficiari certè non potes, Epiſcopos, qui ab vna ſede ad alteram migrarent, poſtquam immigrarant, prioris ſedis nomine depoſito, poſterioris nomen adſciuiſſe.* Quod &

apud Latinos perpetuo in vſu fuiſſe poſtea demonſtrat. Quare cùm apud Latinos & Græcos iuxtà ante Carolum Magnum Dionyſius Areopagita non Pariſienſis, ſed Athenienſis Epiſcopus ſemper appelletur, quis inde non agnoſcit euidenter, Pariſienſem Areopagitæ Epiſcopatum per annos octingentos in toto orbe Chriſtiano incognitum fuiſſe? Hoc autem quæſitum ex tam illuſtri Eccleſiarum more & traditione argumentum quî diſſuitur ab aduerſario? *Areopagita*, inquit, *reliquit Athenas ſubrogato Publio, nihil de Pariſiis, quanquam de Gallia fortè in vniuerſum cogitans.* En figmentum ex vnica Hilduini officina primò profectum. Dionyſius ex Inſulæ Melitenæ Eccleſia Publium Epiſcopum accerſit, & à ſua ſede diuellit, ſibique ſubrogat, priuſquàm ſe in Gallias mittendum intelligeret? debuit etiam Publius alium ex alia Eccleſia Epiſcopum abſtrahere, quem ſibi ſufficeret?

Pergit verò Milletus: *Quo tempore nulla erat ſedes Epiſcopalis Lutetiæ, cum qua priorem mutare diceretur. Itáque factum eſt, vt apud pleroſque nomen prioris Epiſcopatus retinuerit, maximè verò apud Græcos, cùm ob claritatem vrbis Athenarum, tum verò ex eo quòd egregia ſua opera in ea ſede Græcarum literarum principe Atticè elucubraſſet. Præterea quòd in ea vrbe diutiùs multò quàm Pariſiis ſediſſet. Denique ob reuerentiam magni Pauli, qui Dionyſium ſua inſtitutione Chriſto acquiſitum, & ſua manu conſecratum Eccleſiæ Athenarum primum præfecerat.* Hæc ille. Sed vbinam copioſus communium locorum apparatus, qui rebus in aliis tam cupidè, quàm vanè iactatur? Scilicet

Digitized by Google

litigatori deeſt vel vnus ex omni memoria Epiſcopus, qui poſtquam ab vna ſede in aliam migrarat, non aſſumpto poſterioris nomine, prioris nomen ſemper retinuerit. Hîc de antiquitate vincimus, hîc de poſteritate vincimus, hîc de omni retrò ætate vincimus, immo vnica vincit veritas, quæ omnibus debet eſſe communis. Præterea cùm rationis energemate preſſus ſcribit, Areopagitam apud pleroſque nomen prioris Epiſcopatus retinuiſſe, ſignificat fuiſſe, apud quos non retineret. De vno auctore, qui Carolum Magnum anteierit, ſuam Milletus liberet fidem, & nos herbam porrigemus.

Quid autem hoc ſibi vult? Ideo Areopagitam non Pariſienſem à Græcis, ſed Athenienſem Epiſcopum vocatum, *quia Athenis Atticè ſcripſit?* O egregiam rationem! quæ omni retrò Eccleſiarum conſuetudini opponatur. Quare ergo, vt Athenarum Epiſcopum, ita & martyrem appellant, cùm non Athenis, ſed Lutetiæ martyrium fecerit? Quas habuit Chryſoſtomus homilias, cùm Antiochenæ Eccleſiæ presbyter eſſet, nónne poſtea illæ ſub nomine Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi editæ ſunt? Deinde hac ratione Dionyſius à Clemente mitti non potuit, ſi opera ſua in ſede Græcarum literarum principe lucubrauit, cùm in iis, vt docet Milletus in reſponſione ad octauum caput, *ſeipſe liquidò teſtetur ſuperſtitem Sancto Ignatio fuiſſe, qui Traiani anno vndecimo martyr occubuit.* At Clemens anno Traiani tertio fatis conceſſit: hoc autem vnico telo centum Areopagitici ſimul confoderentur.

Digitized by Google

Adhæc, *diutiùs*, inquit, *Athenis ſedit*, *quàm Lutetiæ.* quid tum? Eámne ob cauſam mutabitur conſtans Eccleſiarum mos ille, quo, qui ab vna ſede in aliam tranſit, ſiue diu, ſiue parum deinceps viuat, prioris ſedis nomine depoſito, poſterioris nomen adſciſcit? Enimuerò Lutetiæ diutiùs ſedit, quàm Athenis, ſi à Clemente proximo, vt volunt, Petri ſucceſſore miſſus eſt in Gallias, cùm Petrum & Paulum inuiſendi causâ Romam veniret. Sic enim Athenis duodeuiginti circiter annos ſedit, Lutetiæ verò pluſquam triginta. Hanc annorum expanſionem vt effugiat aduerſarius, in alterutrum è duobus abſurdis incurrat neceſſe eſt. Etenim vt Petrum & Paulum inuiſeret, Romam Athenis diſcedere debuit ante annum Chriſti LXX. id eſt, ante Petri & Pauli mortem. Ex quo vel in ſua peregrinatione annos plus minus viginti quinque conſumpſit, vel Romæ otioſus tantundem temporis antè commoratus eſt, quàm in Gallias legaretur.

Menardus in capite XIII. Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum opponit, *qui poſtquam euectus eſſet ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum poſt Alexandrum, vt Philoſtorgius teſtatur cap.* X. *lib.* II. *hiſt. tamen cap.* XVII. *poſtea Nicomedienſis, non verò Conſtantinopolitanus ab eodem appellatur.* Hoc non debet tribui Philoſtorgio, cuius ſcripta integra non habemus, ſed Photio, qui Euſebium ſibi viſum Arrianæ factionis ſigniferum ab Arrianis in ſedem Conſtantinopolitanam intruſum eſſe cùm proſpiceret, & Philoſtorgij hiſtoriam contraheret, noluit Conſtantinopolitanum, ſed Nicomedienſem Epiſcopum appellare. Sed apud

auctores priſcos conditionem facti non iuris ſpectantes negotium aliter ſe habet. Socrates in libri II. hiſt. capite VI. & Sozomenus in libri III. hiſt. capite V. Euſebium vocant Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Theodoretus in libri V. hiſt. capite XXXIX. ſub finem Conſtantinopolitanorum antiſtitum Catalogo inſerit Euſebium τὸν ἐκ Νικομηδείας αἱρετικόν. Qui propter nominis ſimilitudinem, Euſebium Cæſarienſem cum Nicomedienſi confuderunt, eum Conſtantinopolitanum Epiſcopum nominarunt. Sic Paulinus & Theraſia in epiſt. XXXV. inter Auguſtinianas ad Alipium: *Sanè vicario aliquatenus munere licet per omnia tibi impar, vt iuſſeras prouidi illam Euſebij venerabilis Epiſcopi Conſtantinopolitani de cunctis temporibus hiſtoriam.* Paulinus & Theraſia falluntur in Euſebij nomine, vt Philoſtorgius errauit in tempore, quo Euſebius ex Nicomedienſi factus eſt Conſtantinopolitanus Epiſcopus. quod errati genus Menardum ab vſurpanda Philoſtorgij auctoritate non deterruit.

Deinde Theodorum Perinthium opponit, *Qui primò renunciatus eſt Epiſcop. Heraclea in Thracia, poſtea ſub Valente Imp. Euzoio defuncto Pontifex Antioch, qui tamen à primo Epiſcopatu fuit Heracleotes appellatus, vt planum eſt ex Theodoreto lib.* II. *hiſtoria Eccleſ. cap.* III. *cuius & meminere Socrates lib.* IV. *cap.* XXVIII. *qui illum Dorotheum appellat. Sozomenus lib.* VI. *cap.* XXXVII. *& Nicephorus Calliſtus lib.* IX. *cap.* V. *&* XII. *& lib.* XII. *cap.* II. *&* VIII. Menardus primùm hallucinatur ratus Perinthum vrbem eſſe ab Heraclea diuerſam. Sed diuerſa non eſt, vt eum docere potuit Theodore-

tus in libri I. hiſt. capite XXVIII. *Horum* (Arianorum) *cauſam tutatus eſt Euſebius , Theognis & Theodorus Perinthius. Perinthus autem hoc tempore Heraclea nominatur.*

Nunc videndum eſt, quid Theodoretus ipſe, Socrates, Sozomenus & Nicephorus de propoſito lemmate conſcripſerint.

Theodoretus in libri II. capite III. *Hoc adiutore vſi Euſebius , Theognis & Theodorus Perinthius (Erat quidem Theodorus vir doctrinæ præter ceteros exquiſita , ſcripſitque commentarios in ſacra Euangelia : vulgò Heracleotes nominatur) frequenter admodum , quoniam habitabant in proximo. In Imperatoris venêre conſpectum.*

Socrates in lib. IV. cap. XXVIII. *Eodem tempore Euzoius , qui ſectæ Arianæ Antiochiæ Epiſcopus fuit , extremum vitæ diem confecit , ad quintum Conſulatum Valentis , Valentiniani autem iunioris primum. In cuius locum Dorotheus ſuffectus eſt.*

Sozomenus in libri VI. cap. XXXVI. *Mortuo autem Euzoio Theodorus in eius locum ſuffectus Arianis præfuit.*

Nicephorus in libri IX. capite V. *Interfuerunt autem Concilio huic Euſebius* , &c. *Theodorus Heracleotes ſeu Perinthius , vir præclarus , qui Euangeliorum expoſitiones edidit.* In eiuſdem libri capite XII. *Idem fecerunt Theodoro Perinthio , Narciſſo Irenopolitano* , &c. *Epiſcopis*. Deinde in libri XII. c. II. *Eodem tempore Damaſus Eccleſiæ Romanæ præfuit. Liberij ſucceſſor, Hieroſolymis Cyrillus adhuc ſuperſtes Eccleſiam rexit. Antiochiæ Eccleſia tres in partes diuiſa erat. Poſt Euzoium enim Theodorus Perinthius Eccleſiis præfuit*. In eiuſdem libri capite

XII. *Theodorus Antiochia eiectus in Thraciam vnde ortus fuerat, abiit:* & paullo pòſt: *Porrò Antiochia Aſterius & Criſpinus preſbyteri & reliqui factionis eius, qua Theodori auſpicia conſecuta fuerant, legationem ad Eunomianos miſere.*

Hæc autem omnia, quæ Menardus indicat, ad inſtitutum quid pertinent? Quo tempore Theodoretus id de Theodoro Heracleota quod relatum eſt, ſcripſit, ille nondum Antiochenus erat Epiſcopus, nondum ſucceſſerat Euzoio, qui teſte Socrate ad Conſulatum v. Valentis & Valentiniani iunioris primum obiit. qui Conſulatus anno Chriſti CCCLXXVI. reſpondet. Theodoretus in libri II. cap. III. de Conſtantino & Conſtantio, & in capite IV. loquitur de Nicomedienſi Euſebio & iis, qui partes illius contra beatum Athanaſium tuebantur: *Iulium*, inquit, *Epiſcopum, qui tum Romanam rexit Eccleſiam Euſebiani de criminibus, qua falsò contra Athanaſium confinxerant, certiorem fecerant.*

Socrates, Sozomenus & Nicephorus dicunt quidem, Theodorum Heracleotam ſucceſſiſſe Euzoio, ſed eum poſtea Heracleenſem Epiſcopum non appellant. appellare debuerunt, vt Menardi inſtituto ſeruirent. Non ergo ſeruiunt, quia non appellarunt. Ceterum Heracleotes, ſeu Haracleota dignitatis Epiſcopalis titulus non eſt, ſed gentile nomen, quo Theodorus ſemper ab auctoribus vocatus eſt. Ab Hieronymo putà & Auguſtino, & in Catenis Patrum Græcorum.

Denique opponit Methodium martyrem, *Qui creatus eſt Patarenſis Epiſcopus, & poſtea Tyrienſis, vt ſcribit Suidas, & tamen cùm citatur à Leontio lib.*

de ſectis actione III. *non appellatur Epiſcopus Tyrienſis, ſed Patarenſis in hunc modum :* Μεθόδιος ἐπίσκοπος πατάρων. Leontius Methodium non vocauit Tyrienſem Epiſcopum, quia eum ab Eccleſia Patarenſi ad Tyrienſem tranſlatum eſſe neſciit. Præ manibus habuit commentarios, quos Methodius cùm eſſet Patarenſis Epiſcopus, lucubrauerat, eóſque vt erant Methodij Patarenſis Epiſcopi nomine inſcripti, citauit.

Ex iis autem, quæ Menardus opponit, Sirmondi argumentum confirmatur validiſſimè, tantùm abeſt vt eneruetur.

Denique, *Græci & Latini Patres*, inquit, *propter reuerentiam Pauli, à quo fuerat conſtitutus Athenarum Epiſcopus, non Pariſienſem illum, ſed Athenienſem appellarunt.* Sed inprimis dicat, cur vnà martyrem appellarunt, & ob cuius reuerentiam? deinde cur non eandem ob rem Publius dictus eſt ſemper Melitenſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia Melitenſi ad Athenienſem migraſſe contendit aduerſarius? Præterea cur ob reuerentiam Pauli Areopagita non ſemper remanſit Athenis, vbi fuerat ab eodem inſtitutus antiſtes?

Cur Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolitani nomen non retinuerit?

IV. Ceterum de Gregorio Nazianzeno nihil eſt, cur funis contentioſus ducatur. Etenim ille quamquam Conſtantinopolitana ſede digniſſimus, nunquam tamen ab omnibus habitus eſt vt Conſtantinopolis Antiſtes. Qua de re ſic

Digitized by Google

Ambroſius & ceteri Epiſcopi Italiæ ad Theodoſium Imperatorem: *Namque in Concilio nuper, cùm Maximus Epiſcopus Alexandrinæ Eccleſiæ communionem manere ſecum lectis Petri ſanctæ memoriæ viri literis prodidiſſet, eiuſque intra priuatas ædes, quia Ariani Baſilicas adhuc tenebant, ſecretum eſſe, mandatoribus Epiſcopis ordinantibus, dilucida teſtificatione docuiſſet, nihil habuimus, beatiſſime Principum, in quo de Epiſcopatu eius dubitare poſſemus, cùm vim ſibi repugnanti à pleriſque etiam de populo & Clero teſtatus eſſet illatam. Tamen ne abſentibus partibus præſumptè aliquid definiſſe videremur, clementiam tuam datis literis putauimus inſtruendam; vt ei conſuleretur ex vſu publicæ pacis atque concordiæ. Quia reuera aduertebamus, Gregorium nequaquam ſecundùm traditionem Patrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi ſacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Epiſcopis videbatur eſſe præſcripta, nihil temerè ſtatuendum eſſe cenſuimus. Adeò ipſo tempore qui generale Concilium declinauerunt, Conſtantinopolique geſſiſſe dicuntur. Nam cùm cognouiſſent, ad hoc partium veniſſe Maximum, vt cauſam in Synodo ageret ſuam, quod etiamſi indictum Concilium non fuiſſet, iure & more maiorum, ſicut & ſanctæ memoriæ Athanaſius & dudum Petrus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopi, & Orientalium plerique fecerunt, vt ad Romanæ Eccleſiæ, Italiæ & totius Occidentis confugiſſe iudicium viderentur. Cùm enim ſicut diximus, experiri velle aduerſum eos, qui Epiſcopatum eius abnuerant, comperiſſent, præſtolari vtique etiam noſtram ſuper eo ſententiam debuerunt. Non prærogatiuam vindicamus examinis, ſed conſortium*

Digitized by Google

tamen debuit eſſe communis arbitrij. Poſtremò priùs conſtare oportuit, vtrum huic abrogandum, quàm alij conferendum ſacerdotium videretur, ab his præſertim, à quibus ſe Maximus vel deſtitutum, vel appetitum iniuria querebatur. Itaque cùm Maximum Epiſcopum receperunt in communionem noſtra conſortia, quoniam eum à Catholicis conſtitit Epiſcopis ordinatum, nec ab Epiſcopatus Conſtantinopolitani putauimus petitione remouendum.

Duo igitur ſunt, propter quæ Gregorius dictus non eſt Archiepiſcopus Conſtantinopolis. Primùm, quòd Latini Gregorium pro Conſtantinopolitano Epiſcopo nunquam agnouerunt, immo retenta Maximi communione vt intruſum habuêre. Alterum, quòd ne quidem inter Græcos Conſtantinopolis Epiſcopatum pacificè geſſit, ſed poſt Synodum à qua confirmatus videtur Epiſcopus, vt exortas ob ſuam electionem ſimultates ſedaret, eodem Epiſcopatu ſeſe abdicauit. An autem duo iſta in Areopagitam quadrent, per otium videat honorandus ſenex, qui in hoc Gregorij negotio tam iuueniliter exultat, & quaſi partâ de aduerſario victoriâ mirum quantum vitulatur.

Menardus ad laudatam epiſtolam reſpondet tria. Primùm: *Hæc epiſtola non eſt S. Ambroſij, ſed eſt ſpuria & ſuppoſititia, nec inter eius epiſtolas habetur.* Ego non dixi epiſtolam eſſe Ambroſij, vt ſcribit: ſic enim dico, *qua de re ſic Ambroſius & ceteri Epiſcopi Italiæ ad Theodoſium Imperatorem:* Concilij Italiæ epiſtola eſt, quæ ſic inſcribitur in appendice Sirmondi ad codicem Theodoſianum: *Beatiſſimo Imperatori, & clementiſſimo Principi*

Digitized by Google

Theodoſio Ambroſius & ceteri Epiſcopi Italiæ. Hæc epiſtola non habetur inter epiſtolas Ambroſij, quia epiſtola eſt Concilij, non Ambroſij. ex hoc capite repudiabit opinor aliam eiuſdem Concilij epiſtolam, quæ in eadem appendice pari modo inſcribitur.

Deinde, *quæ in ea de S. Gregorio Nazianzeno referuntur, adeò ſunt inuoluta & perplexa vt vix ſanus aliquis ſenſus ex iis elici poſſit.* Menardus hanc epiſtolam non poteſt facilè intelligere, quid tum? Alij non difficulter intelligunt.

Tum, *Ibi error manifeſtus eſt, cùm Maximus Nazianzeni aduerſarius appellatur Eccleſiæ Epiſcopus Alexandrinæ, qui nunquam huius Pontifex fuit.* Menarde tuam fidem, cùm ais, *Maximus appellatur Eccleſiæ Epiſcopus Alexandrinæ.* Siccine verborum diſpoſitionem inuertis, vt error appareat, quem reprehendas: ita loquuntur Ambroſius & ceteri Epiſcopi Italiæ: *Cùm Maximus Epiſcopus Alexandrinæ Eccleſiæ communionem manere ſecum lectis Petri ſanctæ memoriæ viri literis prodidiſſet,* quid Maximus lectis Petri ſanctæ memoriæ viri literis prodidit? *manere ſecum Alexandrinæ Eccleſiæ communionem?* Et hæc ſunt, quæ inuoluta & perplexa nominat.

Præterea Menardus ad diuerſa Gregorij tempora non attendens fucum facit: ex iis, quæ Ambroſius de Gregorio ſcribit in prologo librorum de Spiritu ſancto ad Gratianum Imp. *Quantos ergo & Conſtantinopoli, quantos toto hodie in orbe mundaſti? Non mundauit Damaſus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambroſius, non mundauit Gregorius. noſtra enim ſunt ſeruitia. Sed tua ſunt ſacramenta*

cramenta. Agnoſcit ergo Gregorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, cuius ſeruitio vſus eſt ad profligandam hæreſim Arianam, quæ tum maxime Conſtantinopoli graſſabatur. Deus bone! quæ conſecutio hæc? Ex antecedente tali perinde quis colligeret, Damaſum, Petrum, Ambroſium Conſtantinopolitanos Epiſcopos fuiſſe. Res ſic ſe habet: Ambroſius reſpicit ad tempus illud, quo multas de fide orationes Conſtantinopoli inſtituit Gregorius, & Arianos plures ab hæreſi reuocauit, hoc tempus Gregorij tranſlationem antecedit, non ſubſequitur. Ex quo factus eſt Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ab omnibus ventis inuidiæ circunflari cœpit, & violatorum canonum qui tranſlationem Epiſcoporum prohibent, accuſari. Nec ei licuit id facere, quod Ambroſius recenſet; ſed antea fecerat.

Menardus vt Concilij epiſtolam quaſi ſpuriam reiiciat, hoc teſtimonio Nicolai I. in epiſtola VIII. ad Michaëlem ſcribentis vtitur: *Nonne Maximus, poſtquam multa à Damaſo Papa (ſicut eius ad diuerſos epiſtolæ miſſæ indicant) laboratum eſt, Conſtantinopoli paſſus eſt?* At id neque in epiſtolis Damaſi, etiam iis, quæ illi perperam ſubiectæ ſunt, neque in vllo veteri ſcriptore Græco vel Latino reperitur. Immo repugnat & huic epiſtolæ Concilij Italiæ, & hiſtoriæ Conſtantinopolitani Concilij, quod Maximum depoſuit. Præterea Gregorius Papa ſcribit: *Romana Eccleſia geſta huius Concilij, nec habet, nec recipit.* Quocirca Nicolaus hac in re nonnihil paſſus eſt humani.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Diuina Eccleſiæ Romanæ officia expenduntur, & eorum in aliquibus oſtenditur mutatio, ac defenditur.

I. IN reſponſione ad caput VI. Diſſertationis retractat ea, quæ ad ſacra Romanæ Eccleſiæ officia pertinent, ſed diſſimulat penitus, quæ de antiquitate & aliquâ mutatione illorum duobus in locis ſcripſimus. Itaque non aliis quàm Milleti verbis reſponſionem primò repellimus: *Sententiam noſtram Eccleſiæ Romanæ teſtimonio confirmauimus ſatis ſupérque. Etenim cùm illa ſoleat proponere Sanctorum hiſtorias ab omni non modò falſitate, ſed quoad fieri poteſt, etiam ab omni ſuſpicione falſitatis alieniſſimas & caſtigatiſſimas, maximè verò in tremendo Miſſæ ſacrificio, quis niſi per inſignem temeritatem dicere audeat vſam illic fabuloſis narratiunculis & errori ſuffragatam fuiſſe?*

De Officio Miſſæ Sancti Dionyſij.

II. CERTE in officio Miſſæ Sancti Dionyſij Pariſienſis non ex actis Apoſtolorum cap. XVII. ſed ex Sapientia cap. X. lectio ſumitur in Miſſali, quod à Paulo III. ſic reformatum & approbatum eſt: *Vniuerſis*, inquit, *& ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*, &c. *Datum Romæ anno* MD. XLIX. *Pontificatus noſtri anno* XV. In hoc Miſſali

non habetur proſa illa, *Gaude prole Gracia*, quam in Miſſali Romanæ Eccleſiæ anno MDXXIX. Lutetiæ edito haberi Menardus dicit in capite XIV.

Deinde in antiquiori Miſſali, quod Franciſco primo Rege Pariſiis editum eſt, Sancti Dionyſij officium de communi Martyrum cantatur. In hoc Miſſali proſa illa non habetur.

Petrus Ciruelus Complutenſis Theologus in expoſitione Miſſalis ad annum MDXXVIII. hæc ſcribit in capite CXX. *Ex martyribus pauciſſimi habent officia propria in Miſſali Romano, ſcilicet Stephanus, Laurentius, & Decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ.*

Romanum ordinem hac in parte ſecuti ſunt Religioſorum Ordines vniuerſi, inprimis Carthuſienſes in Miſſali edito Lutetiæ anno MDIII. MDXII. & MDXXXIX. tum Ciſtercienſes in Miſſalibus cuiuſcunque editionis: præterea Dominicani in Miſſali Pariſiis edito anno MDXIX. vbi officium Sancti Dionyſij de communi Martyrum dicitur.

In Ebredunenſis Eccleſiæ Miſſali MS. ante annos trecentos omnia de communi Martyrum, epiſtola, *Quis ſeparabit nos.*

In Eccleſiæ Conuenarum Miſſali MS. ad annum Chriſti MCCCCXCII. omnia de communi Martyrum.

In Miſſali Spirenſi edito ad annum MD. Remenſi edito ad annum MDI. Conſtantienſi in Germania edito ad annum MDIV. Lugdunenſi edito ad annum MDX. & MDXXIV. Atrebatenſi edito ad annum MDXVII. in Miſſali monaſterij Athanacenſis edito ad annum MDXXXI. Treuiren-

Digitized by Google

ſi edito ad annum MDXLVII: in Miſſali Ordinis Hieroſolymitani edito ad annum MDLIII. in Miſſali Ambroſiano edito anno MDCIX. omnia de communi Martyrum. In Miſſali Cluniacenſis Ordinis edito ad annum MDLVI. aſſumitur epiſtola ex cap. VII. Apocalypſis.

Hîc mitto Eccleſiam Cameracenſem, Abrincenſem, Sancti Martini Turonenſis, & alias, quæ in Miſſalibus antiquis proprium nihil habent de Dionyſio.

De Breuiario Romano in die Sancti Dionyſij.

III. Certe in Breuiario Romano, quod anno MCCCCLXXI. & MDXXIX. Venetiis, MDXXIX. & MDXLIII. Lutetiæ editum eſt, Dionyſij Pariſienſis feſtum ſimplex erat, & in eo vnica hæc lectio habebatur: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici Diaconi. Qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias directus, vt prædicationis opera populis à Chriſti fide alienis exhiberet, tandem in Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus à præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum illo Sanctus presbyter Eleutherius, & Ruſticus Diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.* Quæ hîc de nocturnis vigiliis dicimus in Eccleſia Romana recitari ſolitis, ea omni retrò ætate recitata fuiſſe tandiu dicemus, quoad aliter recitatum officium ex vetuſtioribus exemplaribus oſtenderint aduerſarij.

In veteri Breuiario MS. Ordinis Minorum,

Digitized by Google

quod eſt vel erat in Bibliotheca Mazarina, de Dionyſio idem eſt officium atque Romanum. Hoc autem Minorum Breuiarium Nicolaus III. ad vſum Eccleſiæ Romanæ tranſtulit; vt Radulphus Tungrenſis docet in propoſitione CXXII. *Sciendum tamen eſt, quòd Nicolaus Papa III. natione Romanus, genere Vrſinorum, qui cœpit anno Domini* CIↃ. CC. LXXVII. *& palatium apud S. Petrum conſtruxit, fecit in Eccleſiis vrbis amoueri Antiphonarios, Graduales, Miſſalia, & alios libros officij antiquos quinquaginta, & mandauit ergo, vt de cætero Eccleſiæ vrbis vterentur libris & Breuiariis fratrum Minorum, quorum regulam confirmauit. Quare hodie in Roma omnes libri ſunt noui & Franciſcani.* Sed quod ad beati Dionyſij officium pertinet, id nouum neutiquam dici poterit, niſi Nicolao III. aliquod oſtendatur vetuſtius, in quo Dionyſius Pariſienſis fuiſſe à Clemente miſſus, iſque ex Athenienſi Eccleſia tranſlatus dicatur.

Quòd ſi Menardus in capite XIV. vt nouum reiicit hoc Franciſcano-Romanum Breuiarium, quod ante annos trecentos octoginta duos Nicolaus Papa III. confirmauit, is multò magis vt nouum reiicere debet Breuiarium, quo nunc Romana vtitur Eccleſia. Nam de Dionyſio id tradit, quod anno M. D. XLIII. non tradebat.

Ceterùm cùm ex Miſſali, tum ex Breuiario veteri Romanæ Eccleſiæ manifeſtum eſt, nullam de Areopagita Romæ factam fuiſſe memoriam; deinde Dionyſium Pariſienſem ſimplici tantùm feſto excultum. Quæ cùm ita ſint, quis ſanum Samblacati caput (vt illi ſua verba reddamus) præſtabit, dum in reconcinnato Palla-

dio ſic ſcribit pagina XLV. *Quis autem adeò hebes, vt credat Areopagitæ celeberrimo Pontifici nullum honorem Romæ habitum, Pariſienſem verò omni veneratione percultum.*

De Martyrologio Romano.

IV. Certe in Martyrologio, quod ad vſum Romanæ Eccleſiæ Pariſiis editum eſt anno M. D. LXXIII. Venetiis anno M. D. XXII. & M. D. XLVIII. & Patauij ante annum M. D. ſic Athenienſis à Pariſienſi Dionyſio ſecernebatur: Calendis Octobris, *Ciuitate Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit*,&c. Ecce tibi Dionyſius comes Piatonis, qui ſub Maximiano paſſus eſt. Quinto Nonas Octob. *Natale Beati Dionyſij Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide, ſapientiáque mirabilis, in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.*

Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale ſanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici Preſbyteri, Eleutherij Diaconi: Qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratia directus in præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus ardenter proſequens, tandem à præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Ex veteri Romano Martyrologio, quod Roſuueidus publici iuris fecit.

Digitized by Google

Quinto Nonas Octobris : *Athenis Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi, vt Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit: hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.*

Septimo Idus Octobris: *Pariſiis Dionyſij Epiſcopi cum ſociis ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.* Ex vtriuſque diei verbis apparet quàm latiſſimum ſit inter duos Dionyſios diſcrimen. Hîc ſuas Milleto reddimus voces : *Verùm quid nunc agat? Teneri ſe ſentit, quò diuertet? tam ridiculè & vanè profectò ſatagit eludere certiſſimum ictum, qui ex veneranda Martyrologiorum Eccleſiæ Romanæ antiquitate impellitur, vt mirum ſit, doctiſſimum & ſapientiſſimum alioqui virum diſſimulaſſe*, quæ de hoc argumento duobus in locis diſſeruimus.

Quæ in officiis Eccleſiæ Romanæ mutata ſunt, aliquo modo defenduntur.

V. Præterea valde miramur, quòd Milletus ea damnat, quæ ne nouitas in Eccleſia Romana cum antiquitate pugnet, laudanda ſunt. Etenim cùm Sirmondus priuatorum quorundam ſtudio non ſatis accurato factum intueretur, vt in Miſſali mutatum eſſet aliquid, quod non ſolùm ab antiquis Romanæ, ſed & plurium Eccleſiarum Miſſalibus diſſideret, id prudenter inuenit, quo & antiquitas non reiecta, ſed retenta videretur, & in officio nouitas vtcumque defenſaretur. Fuit & alius vir eruditus Duacenſis Cancellarius, qui hæc etiam cùm

Digitized by Google

peruideret, de Magdalena differens in eundem finem aſſeruit, duorum vno die Dionyſiorum apud Latinos feſtum agi. Quare licèt aliud à Sirmondo, aliud ab Eſtio dicatur, tuendæ tamen Eccleſiæ Romanæ, quæ iſta tolerat, gratiâ dictum credas.

Milletus contrà vt ſuis ſeruiat ſtudiis, antiquitatem negligit, quam ſeſe amare ſimulat, nouitatem attollit, & quod vnius, aut alterius hominis eſt, omnibus tribuit magno omnium detrimento. Vtri verò rerum Eccleſiæ prudentiùs ſatagunt? Milletúſ-ne, an Sirmondus & Eſtius? iudicent ij, qui Sectariorum nouitatem veneranda Eccleſiarum antiquitate proſternunt, qui quod priuatorum hominum eſt, in Eccleſiam non transferunt, ne quod in priuatis hominibus vitium deprehenditur, in generali Eccleſiæ ſocietate deprehendatur.

Romanum Breuiarium nouum vrget, nos antiquum vrgemus, quod Hilduinianæ opinionis nihil contineret. Vtri meliùs vrgent, aut ad aſſertionem veritatis aptiùs? Pro nobis aduerſus Milletum Sixtus Papa, & Epheſinum Concilium præſcribunt, *nihil vltrà licere nouitati, quia nihil adiici conuenit vetuſtati.* Vrget adhuc, & vt nouum veteri præferatur, exigit importunè, ſed priùs videat, quid Pariſienſes Theologi ad annum M. D. LXXXIII. de illo recenti Breuiario ſenſerint tomo II. Libertatum Galliæ.

Præterea ſub Clemente VIII. correctum eſt Breuiarium Romanum, & Anthologium, ſeu Græcum Breuiarium editum eſt; iſtud quidem

pro Græcis, qui in vrbe & alibi commorantur; illud verò pro Latinis, qui in vrbe & alibi viuunt. Vtrumque porrò Clementis auctoritate, vt in talibus fit, munitur, & probatur. At quo menſe Latini in Breuiario canunt Magdalenam in Prouincia obiiſſe, eodem Græci recitant eandem Epheſi defunctam, & illius reliquias ſub Leone Imperatore Conſtantinopolim tranſlatas eſſe.

Hæc cùm ita ſeſe habeant, iam alibi diximus, & modò repetimus, iſta omnia nullo publico Romanæ Eccleſiæ iudicio facta eſſe, ſed priuatorum quorundam hominum ſtudio, quibus corrigendi Breuiarij cura demandata eſt. Itaque ex Breuiariis, quæ tam ſæpe mutantur, vti Romanum mutatum eſt, nihil colligetur vnquam certi, niſi dum vltima facta fuerit correctio, vel cum veteribus Martyrologiis, & exploratâ per ſuas leges traditione concordarint.

Petita ex Romano Martyrologio Baronij obiectiuncula diluitur.

VI. De *Martyrologio Romano*, inquit, *ecquod erit iudicium aduerſariorum? ecqua ſententia*? Reſpondemus, non eandem omnino futuram noſtram, quæ Milleti fuit in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Nulla*, inquit, *ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Hîc de Martyrologio Romano, quod laudat, æquè ac de ceteris omnibus decernit, aut vir tam ſubtilis turpiter

ignorat, quid valeat præfixa propoſitioni negatio. Sed ſpeciatim redarguit illud in reſponſione ad caput I V. Diſſertationis, paragrapho ſexto: *Methodius*, inquit, *Martyr appellari legitimè & multorum exemplo poteſt, quanquam in Martyrologio* X I V. *die Iunij Martyr minimè vocetur*. Hoc qui tam confidenter ſcribit, nónne Martyrologium, & Martyrologij cenſores accuſat, quòd non appellarint Martyrem, qui legitimè & multorum exemplo Martyr debuit appellari? Pari modo idem ſugillat Martyrologium in epilogo Reſponſionis, quòd Verum Viennenſem non vocet Martyrem, qui Martyr ſuo iudicio vocandus eſt. Sapit ergo ſupra eos, quorum in recognoſcendo Martyrologio prudentiam & eruditionem commendat. Ita ſapit in ſua principia deſipiens, vt Toloſano declamatori contra noſtras animaduerſiones aliquid, ſed incaſſum præſtruat. Pergit autem eleganter vir argutus contra ſe: *Cum venia illorum audent quodlibet, dum quem minimè poſſunt nodum exoluere, actutum rumpunt.* Qui profectò in Vindiciis & in Vindiciarum defenſione ſic diſputat, dignus eſt, qui totis theatris explodatur. Illius criminis accuſat aduerſarios, cuius eum vel maximè conſcium eſſe nemo non videt. Apage à me, qui tam vanam diſputandi rationem ſequeris.

Nos iam alibi oſtendimus in Romano Martyrologio, quod anno M. DLXXXVII. editum eſt Venetiis, DionyſiumPariſienſem cum Areopagita confundi, qui in eodem omni ſuperioris temporis memoria diſtinctus erat. Qua in re laudem nullam meretur, qui confudit: immo, vt & de

aliis ſit exemplum, vehementer accuſandus eſt, quòd ad XXIV. Ianuarij ex appellatiuo nomine proprium, & ex proprio Synoridem martyrem fecerit. *Ibidem* (Antiochiæ) *Sanctæ Synoridis Martyris.* Deinde non Gregorius XIII. ſed qui Martyrologium commentariis illuſtrauit, accuſandus videtur, quòd textum probarit ex ea Chryſoſtomi homilia, vnde & ipſum nomen appellatiuum viri docti deprehenderunt.. *De ea*, inquit ille, *ſcribit Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homilia* IV. *de Lazaro. De alia iuniori nobilitate & pietate clara femina Synoride Sanctus Hieronymus epiſtola* VIII. *ad Demetriadem.* Quærant nunc apud Gregorium Turonenſem, an ſimile quid offendatur. Sed quid poſtea factum? Baronius de hac re monitus textum & notas in proximis editionibus ſuſtulit. Suſtulit, inquam, monitus ab amicis, Nicolao Fabro & aliis, quibus Milletus calces nunc impetit acutiſſimas.

Hîc ſiſto gradum, quoad Baronij Martyrologium anno M.DLXXXVII. editum Venetiis inſpexerit, & hanc editionem cum ſequentibus compoſuerit. Vt igitur Areopagitæ Pariſienſis aſſertionem Gregorio XIII. tribuit aduerſarius, ita & eidem Antiochenæ Synoridis martyrium tribuat neceſſe eſt, cùm quæ ex literis Papæ ad Martyrologium appoſitis citantur, Synoridi & Areopagitæ iuxtà conueniant. Ego verò nunquam tribuam, neque Pontificem in emendatione Martyrologij vltima expertum aſſeram, quo quicquid habet auctoritatis in examinandis Eccleſiarum libris periclitetur.

CAPVT XV.

Duo referuntur abſurda, quæ non potuit eludere Milletus, niſi multiplicatis abſurdis.

I. SIRMONDVS in Diſſertatione ſeptimum caput inſtituit, quo appoſitè docet, eos abſurdis ſe dictis implicare, qui poſt Carolum Magnum Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confuderunt. Abſurdum vnum repetit ex Hilduino & aliis, qui ſcribunt Dionyſium octogenario maiorem veniſſe in Galliam, & *varias*, vt ait Milletus, *Occidentis prouincias cum Euangelica face luſtraſſe*. At muneri Apoſtolico, tantíſque itinerum laboribus imparem hanc fuiſſe ætatem nemo non videt. Abſurdum alterum memorat ex Græcis, qui in Synaxario tradunt, Dionyſium ab Ethnicis comprehenſum flammis conſumptum fuiſſe, libris eius vnà concrematis, ſed poſtea ad Occidentem profectum regnante Domitiano, vbi pluribus editis miraculis capite cæſus eſt. Quæ omnia ſine dubio abſurdiſſima ſunt. Sirmondus alia ſimilia perurget, ſed quæ Milletus furtim præterit, vt hæc duo potiſſimum defendat, ſed infelici ſucceſſu.

Quæſitum ex ætate Dionyſij abſurdum eludit Milletus.

II. AD primum autem abſurdum quod attinet, exempla cùm deeſſent, quibus æqualem no-

Digitized by Google

nagenario Areopagitæ peregrinationem fulciret, rhetoricatur, & ἀπεργασθήσονται congerit. Quippe producit Titum Cretenſem, qui propè centenarius viuere deſiit; Simeonem Hieroſolymitanum, qui centum & viginti annorum ſenex ſupplicio crucis ferendo fuit: Dorotheum Antiochenum, qui totidem, vno minùs, expleuit annos: Cyrum Epiſcopum, qui triginta ſupra centum emenſus eſt: Remigium Remenſem, qui ſeptuaginta annos ſub ipſo Epiſcopatus onere tranſegit: Ioannem, Polycarpum, Photinum, Irenæum, qui nonagenariis maiores exilia & martyria pertulerunt. His & paribus infinitis exemplis quid quæſo conficitur? Aliud eſt, Epiſcopum nonagenarium aut centenarium in ſua ſede mori, ſeu trucidari, vel etiam inde in exilium amandari: aliud Epiſcopum nonagenarium talem peregrinationem ſuſcipere, qualem ab Areopagita ſuſceptam volunt, niſi currus & commeatum ab Imperatoribus idololatris illi paratum eſſe, & Domitiani clementiſſimi Principis officiales itinerum omnium ſocios ac comites Dionyſio adiunctos fabulentur; in ſumma, Imperatores edicerent, vt Dionyſius, perinde atque Sirmondus Ludouico XIII. Regi à confeſſionibus, per prouincias exciperetur. Hoc exemplo Menardus & Milletus vtuntur, nec vt apparet recuſo.

Quæſitum ex Synaxario Græcorum abſurdum miſerè eludit Milletus.

III. Vt ſecundum abſurdum effugeret, in grauius incurrit. Quod infortunij genus accide-

Digitized by Google

re ſolet iis, qui ſibi proponunt, rebus omnibus, quæ obiiciuntur, quoquo modo reſpondere. Sed aduerſarium audiamus: *Dionyſium refert auctor ille Synaxarij vnà cum ſuis libris igne conſumptum, deinde veniſſe ad Occidentem, vbi ſit obtruncatus. Certè ſiquis hunc audiendum exiſtimet, æquius erit interpretari, Dionyſium ignibus ereptum, & poſitum eſſe* ὁλοκαυτῶται, *pro ſacrificatus eſt: Hoc enim propriè apud Nazianzenum ſignificat, id eſt, ignibus pro fide cruciatus eſt, vnde diuina virtute euaſerit.* At cùm in Synaxario libri Dionyſij cum auctore conflagrarunt, æquum erit pariter interpretari, Dionyſij libros ignibus ereptos, & eo ſacrificij genere immolatos eſſe, quo iacturam nullam ſuſtinuerint. Hæc quæ abſurda ſunt, ex Milleti interpretatione, ſucceſſu pari deducuntur.

Ceterum abſurdis illis rebus, quæ ex Areopagiticorum operibus referuntur, facilè ſe expedit Samblacatus, qui in altera & corruptiori editione Palladij ſcribit, Hilduinum *fortè ex præcepto magni oratoris hiſtoriam* (Dionyſij) *mendaciunculis aſperſiſſe.* Nos verò ex præcepto Dei mendacia deteſtamur, & ſuis auctoribus relinquimus. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris*, inquit Auguſtinus: *Melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt.* Sed quid tandem veri ſperandum eſt à Samblacato, qui in conſcribendis Sanctorum hiſtoriis mendacia non improbat; viderint illi, qui eiuſmodi hominis in ſcribendis Galliæ hiſtoriis pericula legerunt.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

Studio partium auctores ſuos fœdè deſerit Milletus, Hilduinum, Radbertum, Methodium, & Metaphraſtem collocantes mortem Dionyſij ſub Domitiano.

I. HOc capite quid poſſint ſtudia partium, quibus abripitur aduerſarius, manifeſtum me facturum ſpero. Sirmondus de obitu Areopagitæ diſputans, illum ſub Domitiano duabus præcipuè de cauſis occubuiſſe contendit. Vna petitur ex Hilduino, Radberto, Methodio, & Metaphraſte, qui conceptis verbis mortem Areopagitæ ſub illo Imperatore conſtituunt; altera deducitur cùm ex Quadrato, qui Apologeticum ſuum Hadriano obtulit anno imperij ſexto, tum ex paucitate annorum, qui inter Areopagitæ ſucceſſores Publium & Quadratum intercedunt.

Quomodo primam rationem ſoluat aduerſarius?

II. PRIMAM rationem vt euitet aduerſarius, luculenter oppugnat auctores ſuos, quibus vt aſſertoribus veritatis panegyrim non ſemel dixit, quibus vel ſolis totæ propemodum quantæ ſunt Vindiciæ, & tota quanta eſt iſta Vindiciarum defenſio, fulciuntur. Oppugnat, inquam, Hilduinum & Radbertum, *quos*, vt ait, *ſua merita tutantur efficaciùs à calumniis quorumcumque hominum, quàm vt patrocinium vllius deſiderent.* Oppu-

Digitized by Google

gnat Methodium, *quem omnes ita magnificè extollunt, vt extra teli aduerſariorum iactum poſitus ſit.* Oppugnat Metaphraſtem, cuius, vt in Vindiciis docet, Dionyſianam hiſtoriam Florentina Synodus probauit, nec minùs opinor quoad Dionyſij exceſſum, quàm quoad illius miſſionem probauit. Huc tendunt (niſi volatica ſint omnia) quæcunque per duas paginas in operis Metaphraſtæ commendationem ſcripſit elegantiſſimè.

Quorſum verò ſic ſuos auctores oppugnat? ſcilicet cùm vidit ex Dionyſij morte ſub Domitiano poſita libros illius vehementer peti, maluit auctores ſuos vir probus deſerere, & dictas illis omnibus panegyres turpiter fœdare, quàm vllam conciliandæ apud aliquos aduerſario inuidiæ anſam præterire. Et ſanè, quando iam optimè nouit omni ſe ratione deſtitui, niſi quoſdam ſecum infatuet, non mirum eſt, miſerabili illum ſuffugio abuti.

Quomodo ſecundam rationem diluat?

III. SECVNDAM rationem cùm ſoluere non poteſt, ſuis diuerticulis interturbat, & Martyrologia Bedæ, Adonis, Notkeri, & Roſuueidi ita amplexatur, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Sed illis Martyrologiis vir inſigni memoria præditus omnem alibi detraxit auctoritatem. *Corruptum,* inquit, *Bedæ Martyrologium adducunt:* Romanum Roſuueidi *dubiæ, plurimúmque ſuſpectæ fidei eſt.* Vno verbo: *Nulla ad nos, niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut imitatione Græcorum Martyrologia corrupta peruenerunt.*

Diſſi-

Diſſimulat quoque rationes, quibus Adriani nomen Martyrologiis perperam additum commonſtrat Sirmondus. Non diſſimulat verò, niſi quia optimæ ſunt, & efficaces. Ego præterea vt liberè dicam quod ſentio, duo nî fallor, in cauſa fuerunt, cur in quibuſdam Martyrologiis Areopagitæ mors ſub Adriano collocetur: vnum eſt, quòd cùm alij viderent epiſtolas Ignatij, qui ad annum Traiani vndecimum occubuit, ab Areopagita laudari, mortem illius ad imperium Adriani reiecerint, nec rem aliter expenderint. Alterum, quòd alij ſub eodem Principe mortuum ſcripſerint, vel aliorum ſcriptis addiderint, vt ineluctabile vitarent argumentum, quo Dionyſij opera petebantur apud Photium Cod. 1. Bibliothecæ. Verùm de Dionyſij operibus quæſtio non eſt huius loci, & à Catholicis Epiſcopis contra hæreticos diſputantibus Conſtantinopoli pridem tractata eſt.

CAPVT XVII.

De Dionyſio quæſitum ex ordine Litaniarum argumentum defenditur.

I. SVB finem Reſponſionis Milletus compellat me plurimùm, vt monimenta veteris & nouæ traditionis, quam per ſtatas diuerſarum Galliæ Eccleſiarum preces ſanciuimus, defendam. Res igitur ſic ſe habet. In noſtris ad Samblacatum animaduerſionibus triginta circiter Eccleſiarum Litanias, quod antiquiſſimum

Digitized by Google

& ordinatiſſimum genus precis eſt, exhibuimus, vbi ſecundùm poſteriores Aurelio Imperatore martyres reponitur Dionyſius, & iis ferè ſemper accenſetur, qui ſub Maximiano martyrium explerunt. Sed cùm euidentem & firmam traditionem nec ferre nec emouere poſſet aduerſarius, primùm ait *illa omnia cum tædio legi*. Optimè quidem. Etenim cum tædio legit, quæ lecta nocent, ſtudia partium retardant, & veritati contra mendacium patrocinantur: deinde ad ſuos communes locos citiſſimè recurrit, quibus more ſuo hiſtoriæ lucem obſcuret, & publicæ fidei conſtantiam ſuccutiat. *Beatus*, inquit, *Martinus in Litaniis Nicolao præponitur, qui tamen ante Martinum exceſſit*. De Dionyſio diſputamus, & ad Martinum diuertit. Quo reſponſionis genere infirmaretur ratio, qua quis ex ordine Litaniarum Petrum ceteris Apoſtolis rectè præpoſitum contenderet. Sed communis hic locus adeò non ſuffragatur aduerſarij votis, vt incommodet quamplurimum. Martinus quidem Nicolao præpoſitus eſt: ſed ſumma id fecit apud Gallos Martini veneratio, cui & nominatim, non Dionyſio Imperatores & Epiſcopi noſtri diem feſtum indixerunt in Capitularibus. Cur igitur & tempus martyrij, & notiſſimus, vt voluit, Galliarum Apoſtolatus non obtinuerunt, quod ſola in Martino illuſtrioris famæ & ſanctitatis meruit claritas? Iam ſentit, opinor, aduerſarius, quem vulneret argutiarum ſuarum repercuſſus? Iam videt ſe potiùs, quàm alios communibus locis offendi? Iam capit etiam inuitus optimâ ratione factum à maioribus, vt & Martinus in quibuſ-

dam Litaniis Nicolao præponatur, & inter æræ Diocletianeæ martyres referatur Dionyſius. Et reuera fieri non potuit, vt qui primi Pariſienſis & aliarum Eccleſiarum Litanias digeſſerunt, Dionyſium in coronatorum ſub Diocletiano martyrum ordine locaſſent, quem à Clemente Galliarum Apoſtolum nouiſſent, quem ſub Domitiano vel Adriano paſſum antiqua docuiſſet traditio.

Validum olim à monachis creditum eſt argumentum, quod ex Litaniarum ordine quæritur.

II. Ceterum quanti ſit ponderis argumentum, quod ex ordine Litaniarum ducimus, Lemouicenſes monachi dudum oſtenderunt. Etenim cùm è re monaſterij ſui eſſe perſpexerunt, vt Martialis Petri diſcipulus & Galliarum Apoſtolus haberetur, illum ſtatim in Litaniis ex ordine Confeſſorum, in cœtum Apoſtolorum reuocarunt: perinde quaſi nulla fuiſſet aptior ratio, quâ inauditus per nouem circiter ſæcula Martialis Apoſtolatus poſterorum memoriæ commendaretur. Ergo Milletus de ſuis, qui veteres Aquitanorum Litanias peruerterunt, priùs iudicium ferat, quàm noſtrum ex iiſdem incorruptis argumentum ſugillet; priùs alium in Eccleſiis, quarum meminimus, Litaniarum ordinem exhibeat, quàm priſcæ traditionis monimenta aſpernetur, quæ debent alioquin omni veneratione digniſſima iudicari.

CAPVT XVIII.

Ex præhabitis de duobus Dionyſiis diſputationibus aliquot obſeruatæ vtilitates.

I. AD finem huius Diſcuſſionis operæpretium eſt, vtilitates nonnullas obſeruare, quæ cùm ex noſtro de Areopagiticis Hilduini Iudicio, tum ex collatitia Milleti Reſponſione deduci poſſunt.

Illuſtrata Eugenij presbyteri & martyris hiſtoria, & quæ ei addita eſt falſitas, repulſa.

II. Prima vtilitas eſt fraudis vel ignorantiæ patefactio, qua monachi quidam poſt exceſſum Ludouici Pij fabuloſam Eugenio presbytero & martyri vitam appinxerunt: vnde poſtea magnum pro Areopagita Pariſienſi quæſiuerunt argumentum. Sed vt inditum vero falſum agnoſcatur commodiùs, quod verum eſt, antè narrari oportet.

Sincera de Eugenio presbytero & martyre traditio.

III. Traditio eſt omnibus retrò ſæculis in Occidente, & in Gallia potiſſimùm ac Pariſienſibus Eccleſiis, Eugenium quendam olim fuiſſe, qui non procul à Lutetia pro Chriſti nomine glorioſum martyrium fecit.

Digitized by Google

Teſtatur hoc inprimis vetuſtius Vſuardo Martyrologium, quod in antiqua Sancti Martini de Campis Bibliotheca vidimus, ad XVII. Calendas Decembris: *Ipſo die natalis Sancti Eugenij, qui apud pagum Pariſienſem conſummato martyrij curſu, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.*

Teſtantur deinde alia manuſcripta Martyrologia Vſuardi, Pariſienſis Eccleſiæ, Sancti Victoris, Sancti Sepulchri, Sancti Dionyſij apud Guidonem Abbatem in Sanctilogio, quod extat in Bibliotheca Sancti Victoris; in quibus omnibus idem & eodem modo aſſeritur.

Teſtatur præterea impreſſum Pataui j ante annum MD. tum Venetiis MDXXII. & MDXLVIII. recuſum Martyrologium *iuxta morem Romanæ Eccleſiæ*, in quo idem legitur ad XVII. Calendas Decembris: *Ipſo die Sancti Eugenij, qui apud Pariſienſem pagum conſummato martyrij agone beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.*

Teſtantur denique Pariſienſis Eccleſiæ Miſſalium, Antiphonalium & Breuiariorum Calendaria, & habitæ in Officio Eugenij orationes; quibus in omnibus libris cùm manuſcriptis, tum editis ann. MDXXVIII. & MDXLV. & quibuſdam aliis conſequentibus annis, non habetur, niſi pro martyre, qui Epiſcopus non eſt.

Hæc cùm ita ſint, dubium nullum eſt, quin hæc prima, eáque tam conſtans traditio veritate nitatur.

Sub quo Imperatore paſſus ſit Eugenius.

IV. SVB quo Imperatore paſſus ſit Eugenius, certò pronuntiare operoſum eſt, cùm ve-

tera Martyrologia veteréſque hiſtoriæ ſileant. In geſtis quidem Fuſciani & Victorici, quæ Milletus ex Bibliotheca Corbeiæ, & Sancti Germani Pratenſis exhibuit, & in quibuſdam aliis, quæ nos etiam in Iudicio de Hilduini Areopagiticis exhibuimus, ad æram Diocletianeam pertinet Eugenij martyrium. Quod ita crediderunt, qui cùm Sanctorum Fuſciani & Victorici geſta interpolarent, ſublato Dionyſij nomine in eius locum ſuffecerunt Eugenium, quò memoratus in iiſdem geſtis duodecim virorum numerus conſeruaretur. Et reuera non diffiterer, quin Eugenius ad Diocletiani & Maximiani perſecutionem referretur, quæ ſupra ceteras Chriſtianorum vexationes Pariſios & Belgium affecit.

Addita præcedenti hiſtoriæ falſitas narratur, & ſua ipſius narratione refellitur.

V. QVAM monachi, nî fallor, Sancti Dionyſij falſitatem, ſuperiori hiſtoriæ adiecerunt, ea ſic ſe habet ex codice manuſcripto Sancti Remigij Remenſis, vnde aliàs excerpſimus. Dionyſius Areopagita Roma diſcedit in Galliam, Romanum ciuem ſecum adducit Eugenium, Antiſtitem à ſe creatum Arelate in Hiſpaniam ablegat Toletum. Hic Eugenius fundat Eccleſiam, populos ad fidem Chriſti conuertit, Toletanam Eccleſiam dedicat in honorem B. Stephani protomartyris, epicum carmen ex XIV. verſibus conflatum ſcribit in gratiam Chriſtianorum, quod ità incipit: *Rex Deus immenſi quo conſtat machina mundi.* Deinde vbi Eccleſiam ſuam idoneo clerico-

rum numero inſtruxit, Toleto Lutetiam proficiſcitur Magiſtrum viſurus. Cùm verò non procul ab vrbe peruenit ad locum nomine Diogilum, ab incolis accipit mortem Areopagitæ, tunc hymnum conficit, cuius initium eſt: *Cœli ciues applaudite*. Hoc hilarè decantato ſoluitur in lacrymas, ſed ex eo tandem ſeſe & alios collacrymantes ſolatur, quòd Dionyſius in cælum euolarit. Hinc Euangelij ſementem huc atque illuc ſpargit, quo breui comperto ab lictoribus capitur, & à Feſcennino interimi iubetur. Hæc eſt ſumma vitæ, quam Eugenio presbytero & martyri appinxerunt.

Methodius Conſtantinopolitanus in locum huius Eugenij ſubſtituit Marcellum Fuſciani & Victorici ſocium.

VI. Hîc ad Methodium Areopagiticorum Achillem digredior, qui in vita Dionyſij rem aliter narrat, & alium Fuſciani & Victorici collegam nomine Marcellum ſcribit à Dionyſio in Hiſpaniam legatum: *Socij autem*, inquit, *Beati Dionyſij fuerunt Saturninus, Marcellus & Lucianus, qui cum eo erant. Hi cùm conueniſſent, & vnà iter facerent, peruenerunt ad portum Arelatenſis vrbis. Tunc Sanctus Dionyſius Marcello miſſo in Hiſpaniam, vt Eccleſiis Chriſti verbum vitæ proponeret*, &c. Hic ille eſt Marcellus, qui in omnibus Fuſciani & Victorici geſtis, ſiue Dionyſium exhibeant ſiue non exhibeant, Luciano, Quintino & aliis coniungitur, & imperio Maximiani conſignatur. Methodio tamen placuit

Digitized by Google

ad Domitiani & Clementis Papæ tempus reuocare, & Dionyſij Areopagitæ legatum in Hiſpaniam facere, quod eſt nouum genus figmenti. ſed ad Eugenium noſtrum redeamus.

Suam monachi de Eugenio confictam hiſtoriam Gerardo Abbati Bronienſi perſuaſerunt, & quomodo?

VII. Satis non fuit monachis Sancti Dionyſij nouam de Eugenio cudere hiſtoriam, ſed aliis paulatim perſuadere oportuit. Sub annum DCCCCCXX. virum facilem inuenere, cui illam perſuaſerunt. Is eſt Gerardus Abbas Bronienſis, vt diſcimus ex eius vita, quam ab anonymo monacho editam apud Surium ſic contrahimus: Per viſum à Beato Petro monetur Gerardus, vt monaſterium extruat, illúcque inferat reliquias Eugenij martyris. Petro reſpondet Gerardus nihil prorſus eſſe, cur tanti martyris corpore potiturum ſe ſperet; ſed eſſe cur ſperet, iterum reſpondet Petrus. Non multò pòſt Berengarius Comes ad Robertum Regem ablegat Gerardum, mox ille itineri ſe committit, inter eundum ad Sancti Dionyſij monaſterium diuertit, ibi Lucernario intereſt: at factam de Eugenio memoriam inter veſpertinas preces cùm audiit, animi pendere cœpit, ſitne ille Eugenius, quem ante ſuſceptam legationem habuerat in viſo. Ceterùm de Eugenio ex illuſtrioribus contatur monachis, qui ſic reſpondent: *Ignoráſne venerande Pater, hunc Eugenium Toletanum fuiſſe Epiſcopum, auditorem quoque Patro-*

ni noſtri ? Hoc audito ſtatim Martyris efflagitat reliquias, ſéque breui relaturum par pari ſpondet. Sed nihil hac vice conſequitur, & rem in aliud tempus remittit. Gerardus vbi reuerſus eſt, vt apud Sanctum Dionyſium monachus fieret, à Berengario & Leodienſium Præſule veniam petit, & obtinet. Fit ergo monachus apud Sanctum Dionyſium, & quæ in Lotharingia poſſidebat, monaſterio largitur. Hinc poſt aliquod temporis ſpatium nactus opportunitatem poſtulat Eugenij reliquias, & priſtinum Fratribus viſum exponit, quo vt monaſterium in honorem Petri & Eugenij ædificaret, monitus olim fuerat. Tum difficiles ſeſe monachi præbere, Gerardum ab hoc conſilio deterrere, & multa cauſari, cur ſacras Martyris exuuias dare non poſſent, & præſertim quòd multa in monaſterio miracula patraret; ſed tandem aliquando conſentire Gerardi votis: *Quem petis*, inquiunt, *Beatiſſimum Eugenium, ſponte damus.* Hoc pignus cùm accepit, monaſterio & vicinia clàm ſe ſubducit, nequid ab indigenis moleſtiæ patiatur, in Bronienſem Eccleſiam martyris corpus inducit, cultum illius prohibens Epiſcopus à Deo punitur, ſed facti pœnitens Eugenio feſtum decernit, & amotis Clericis, quod rei caput eſt, monachos in Bronienſem Eccleſiam inducit, eos ab omni obſonio, quod loci Epiſcopo ſoluebatur, immunes reddit, & hæc omnia Synodico decreto confirmat.

Quàm autem oppidò ridiculus ſit in Vindiciis Milletus, qui ex hoc Synodico decreto Areopagitam aſſerit Pariſiorum Epiſcopum, nemo non videt.

Digitized by Google

Suam monachi de Eugenio confictam hiſtoriam Remundo Toleti Epiſcopo perſuaſerunt, & quomodo?

VIII. SECVNDVS, cui ſub annum MCXLVIII. ſuam hiſtoriam monachi noſtri fecerunt plauſibilem, fuit Remundus Toletanæ ſedis Epiſcopus, vt ſcribit Lucius Marinæus Siculus: *Remundus*, inquit, *olim Toletanæ ſedis Antiſtes ad Concilium apud Remos Galliæ populos celebrandum temporibus Eugenij ſummi Pontificis in Galliam profectus eſt. Qui cùm in Vrbe Pariſiorum ad Eccleſiam Sancti Dionyſij orandi gratia diuertiſſet, in eadem Eccleſia quoddam ſepulchrum inuenit, quod apud eos magnæ venerationis habebatur, in quo ex eius ſuperſcriptione Beati Eugenij Toletani Archiepiſcopi corpus humatum eſſe cognouit: de quo diligentiùs inquirens quis fuerit, vel qua ratione à propria ſede quieuerit, tum ex relatu hominum, tum ex eius vita, quam ibi deſcriptam inuenit, deprehendit.* Hîc monachi oſtendunt Eugenij corpus, quod pridem Gerardo Abbati conceſſerant. Verùm ad hoc Remundi tempus, vt ad certam nouæ opinionis originem reuocandum eſt, quidquid Vaſæus, Mariana, & alij rerum Hiſpanicarum ſcriptores de Eugenio Areopagitæ diſcipulo, & primo Toleti Præſule ſuis libris, Hymnis & Breuiariis intulerunt. Sed iſtis nouitatibus antiqua Toletanorum traditio reclamat. Quid memorem Ildefonſum, Iulianum & Felicem Toletanos Antiſtites, qui de viris illuſtribus librum ſcripſerunt, nec vltrà quàm duos ibi Eugenios

ſub Chindaſuintho & Receſuintho Regibus agnouerunt? Quid referam Eulogium Toletanum quoque Epiſcopum, qui in Memoriali Sanctorum tribus libris comprehenſo huius non meminit Eugenij? At meminiſſet proculdubio, ſi qua ſuo tempore apud Hiſpanos illius fuiſſet traditio.

Circa tempus aliud monachi reliquias eiuſdem Eugenij dederunt Hiſpanis, nulla Gerardi Bronienſis Abbatis facta mentione.

IX. Annvs circumagebatur milleſimus quingenteſimus ſexageſimus quintus, cùm Hiſpani, quibus ab anno M. CXLVIII. perſuaſum erat, Eugenium hunc fuiſſe Toletanum Archiepiſcopum, eúmque Areopagitæ diſcipulum, reliquias illius quærendas ſibi eſſe duxerunt. Ob id conueniunt monaſterij Sancti Dionyſij monachos, ab iis corpus Eugenij poſtulant, & accipiunt. Res momenti viſa eſt tanti, vt inter Reges ipſos Carolum IX. & Philippum II. tranſacta fuerit. In actis autem publicis, quæ confecta ſunt, & quibus monachi liberalitatem ſuam teſtantur, obliti ſunt hiſtoriæ, quam modò ex Beati Gerardi Bronienſis Abbatis vita retulimus. Cùm ex aliis, tum ex eo vtique obliuiſci voluerunt, ne Hiſpani indotati, & quæſitis reliquiis vacui redirent in patriam, vel ne ipſimet reliquiarum largitores arcana monaſterij proderent. Nam videntur idem Eugenij corpus ſemel, atque iterum variis hominibus dediſſe, ſemel Gerardo Abbati, vt anteà vidimus, iterum Hiſpanis, vt modò videmus,

Digitized by Google

Suam monachi de Eugenio hiſtoriam Galeſinio perſuaſerunt, & ei, qui poſt annum* MDXCV. *Miſſale & Breuiarium Pariſienſe correxit.

X. Tertius monachorum & Remundi credulitatem amplexus eſt Galeſinius, qui dum Martyrologium Romanum ederet, Pariſienſi Eugenio Toletanæ ſedis antiſtitium gratis conceſſit, & Areopagitæ diſcipulum vocauit. Quæ inducta in Martyrologium nouitas vt confirmetur, Beati Gerardi hiſtoriâ, & proſpero apud Sandionyſiacum monaſterium Remundi ſucceſſu nihil adfertur antiquius, nihil certius.

Denique qui Pariſienſis Eccleſiæ Miſſale correxit, ſuſtulit communem de Martyre non Pontifice orationem, quæ omni retrò ætate ſic habebatur: *Praſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui Beati Eugenij martyris natalitia colimus*, &c. Deinde in huius orationis locum aliam Martyri & Pontifici aptatam ſuffecit. Circa illud quoque antè dictum tempus Breuiario indita eſt noua lectio, quam Breuiarium monachorum Sancti Dionyſij ſuppeditauit. Neque tamen ob id vetus traditio omni ex parte abrogata eſt; tum quia Martyrologium, quod ſingulis diebus legitur, nondum immutatum eſt; tum quia Calendarium Miſſalis & Breuiarij, quo Pariſienſis hodiéque vtitur Eccleſia, inducentis nouitatem correctoris manus effugit: ſic enim adhuc legitur XVII. Calendas Decembris: *Commemoratio Sancti Eugenij martyris*, nec, vt in commemoratione Epi-

ſcoporum, Epiſcopus aut Pontifex pro more Calendariorum appellatur.

Fraus detegitur, qua Hymnus in laudem Dionyſij editus tribuitur Eugenio martyri.

XI. Ad fraudis iſtius patefactionem multa ſcitu neceſſaria ſunt, quæ ſic breuiter explicatum imus. Vnum eſt, Hilduinum omnium primum Eugenio Toletano hymnum in laudem Dionyſij editum affinxiſſe in Areopagiticis : *Nec mirari quis poterit*, inquit, *cur hymnum S. Eugenij Toletani de B. Dionyſio habeamus.* Alterum, nec hymni verba referre Hilduinum, nec ſignificare, qualis ille fuerit Eugenius, Confeſſórne an Martyr, diſcipulus Areopagitæ, nécne? aut quo tempore vixerit? Tertium, Hilduinum, Eugenio Toletano hymnum affingendi cauſam ex eo habuiſſe, quòd Eugenius Toletanus iunior ſcribendorum carminum facultate excelluerit. Quartum, monachos, qui poſt Ludouici Pij mortem noua Eugenio martyri geſta tribuerunt, Eugenium Toletanum inprimis cum Eugenio Pariſienſi martyre confudiſſe: tum diſcipulum Areopagitæ feciſſe, à quo ab vrbe Arelatenſi in Hiſpanias Toletum miſſus eſt. Denique monachos fictum à ſe vel ab Hilduino carmen nouitiis Eugenij geſtis inſeruiſſe, & illud vt fraudem occultarent, cum alio carmine coniunxiſſe, quod ad Eugenium Toletanum iuniorem pertinet. Quintum, inter Eugenij Toletani opuſcula, quæ Lutetiæ anno M. DCXIX. Sirmondus in lucem emiſit, extare qui-

dem carmen illud, quod ſic incipit: *Rex Deus immenſi, quo conſtat machina mundi.* ſed non extare fictum à monachis hymnum, qui ſic incipit: *Cæli ciues applaudite.* Retrudatur itaque hymnus ille in armarium monachorum Sancti Dionyſij, vnde non antè prodiit, quàm auctorum ſuorum ſupinitatem in rebus Eccleſiaſticis prodiderit. Nullus enim apud Occidentales ante Hilarium & Ambroſium hymnos in laudem Dei vel Sanctorum cecinit in Eccleſia: vt teſtatur Iſidorus Hiſpalenſis, qui Eugenium Toletanum & illius opera probiſſimè noſſe potuit: *Sunt autem*, inquit, *diuini hymni, & ingenio humano compoſiti. Hilarius autem Gallus Epiſcopus Pictauienſis eloquentia conſpicuus hymnorum carmine floruit primus; poſt quem Ambroſius Epiſcopus vir magna gloria in Chriſto, & clariſſimus doctor in Eccleſia copioſus in eiuſinodi carmine claruiſſe cognoſcitur, atque inde hymni ex eius nomine Ambroſiani vocantur, quia eius tempore primùm in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt: cuius celebritatis deuotio poſthac per totius Occidentis Eccleſias obſeruatur.* Hactenus de prima vtilitate, quæ paucioribus vix potuit verbis explicari.

Hymnus de Sancto Dionyſio perperam adſcriptus Fortunato Pictauienſi.

I. Secvnda vtilitas in alterius fraudis apertione conſiſtit, qua monachi quidam alij alium de Dionyſio hymnum Fortunato affinxerunt. Sed hæc impoſtura ſuperiori minor eſt, cùm in hoc carmine Dionyſius non Areopagita, ſed

Digitized by Google

à Clemente tantùm miſſus dicatur. Areopagiticis tamen inconſequenter diſſerendi materiam præbet. Huius autem carminis primus meminit auctor ſuſpectiſſimus, id eſt Hilduinus in Areopagiticis num. XII. *Fortunatus*, inquit, *vir prudens & ſcholaſticiſſimus in hymno de Sancto Dionyſio martyre compoſito commemorat eum à Beato Clemente deſtinatum, ſicut in Latinorum paginis didicit. De natione autem & ordinatione Epiſcopatus mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.* Egregiam verò rationem! qua ceteroquin apparet Latinorum libros nihil prorſus habuiſſe de Areopagita, & ad illud ſaltem vſque tempus ignorari, quòd Dionyſius Pariſienſis fuiſſet idem, qui Areopagita. In his verò figmentis Milletus cum ſuis erubeſcat, quibus idem eſt eſſe à Clemente miſſum, atque Areopagitam: *Fortunatus de natione Dionyſij mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.* Qui profectò monachus hymnum ſub nomine Fortunati ſuppoſuit, valde culpandus eſt, quòd linguam Græcam non didicerat in gratiam Monaſterij & Hilduini.

Aliquot ad excernendum ampliùs ſuppoſititium fœtum rationes.

II. Ad ea, quæ iam diximus, accedunt alia nonnulla, quibus hymni ſuppoſitio conuincitur.

Primum & notatu digniſſimum eſt locus, vnde prodiit, monaſterium videlicet S. Dionyſij, vt Andreas Sauſſæius refert in Apologia pro Hil-

duino: *Acceptum*, inquit, *en exhibemus illum Fortunati hymnum ex ſacrario regalis Eccleſiæ Sancti Dionyſij, in quo deſcriptus vnà cum hymno Sancti Eugenij legitur.* Quòd autem ſacrarium iſtud vel armarium monaſterij fidem mereatur nullam in iis, quæ ad hanc rem pertinent, omnibus notum eſt. Vide cap. VI. Diſcuſſionis huius.

Secundum, duorum de Sancto Dionyſio hymnorum in eadem monaſterij membrana deſcriptio. *κολοιὸς παρὰ κολοιόν.* Sed illi duo hymni ab eodem editi non ſunt auctore ex criticis Hilduini. Qui enim hymnum ſub Eugenij Toletani nomine compoſuit, linguam Græcam nouerat, quòd Areopagi, Athenarum, & Dionyſij Sophiſtæ meminerit. Horum verò non meminit, qui Fortunato hymnum adſcripſit.

Tertium, quòd hymnus ille inter opera Fortunati non extet, ſeu quæ Margarinus Bignæus edidit Lutetiæ in Bibliotheca Patrum, ſeu quæ Chriſtophorus Brouuerus Moguntiæ diligenter recenſuit. Quare Samblacatus Brouuero luculenter imponit, dum in recuſo & pluribus aucto mendis Palladio ſic ſcribit: *Fortunatus apud Brouuerum in hymno de Dionyſio Pariſienſi ita canit*, &c. Sic mihi quoque impoſuit, dum me Sulpitium Seuerum, & Proſperum Aquitanicum *Francos* appellaſſe nugatur.

Quartum, quòd Fortunatus, vbi lib. I. Opuſculorum cap. XI. de Dionyſio, & lib. II. de Clero cap. X. & de Eccleſia Pariſienſi cap. XI. plura canit egregiè, nunquam ſignificet, Dionyſium vel à Clemente miſſum vel Areopagitam fuiſſe, licèt tantæ rei ſignificandæ occaſionem

nem habeat commodiſſimam, & vſquequaque pangendi carminis materiam quærat & argumentum.

Quintum, quòd Gregorius Turonenſis, qui ſe Fortunati libros & verſus lectitaſſe non ſemel teſtatur, nunquam certæ prodidiſſet memoriæ, Dionyſium Pariſienſem ſub Decio in Galliam veniſſe, ſi Fortunatus eundem à Clemente miſſum cecinisset. Quippe tam diſſona vix affirmaſſent duo vicini & coæui ſcriptores, quos inter nulla partium diſſidia, ſed ſumma ſtudiorum animorúmque coniunctio ſemper viguit. Quinetiam ſua nonnunquam Gregorius ex auctoritate Fortunati confirmabat: Vide librum I. de gloria Martyrum cap. XLII. de templo Sancti Laurentij: *Fortunatus preſbyter multò plures ſcripſit verſiculos, quos ego prætermiſi, hos tantùm pro teſtimonio veri ſcribens.* Vide quoque librum V. Hiſtoriæ Francorum cap. VIII. *Si quis tamen ſtrenuas virtutes illius* (Sancti Germani) *quas in corpore geſſit, ſollicitè vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato preſbytero compoſitus eſt, legens cuncta reperiet.*

Quæ de Eugenio dicta ſunt Menardus ſua reſponſione confirmat.

I. DISSIMVLAT in capite XVIII. primam de Eugenio presbytero & martyre traditionem, quæ cùm aliis in locis tùm Pariſiis vigebat. In hac re difficultatis huius cardo vertitur. *Quod enim eſt prius traditum,* vt Tertullianus ait, *eſt ve-*

Digitized by Google

rum, quod eſt poſteriùs immiſſum, eſt falſum.

II. Cùm ſcribit veros eſſe Eugenij & Fortunati hymnos, quamuis non extent inter illorum opera, non meminit ſe Concilij Italiæ, cui præfuit B. Ambroſius, epiſtolam repudiaſſe ſe vt ſpuriam, quòd inter Ambroſij epiſtolas non extaret. Verba ſunt illius è capite XIII. *Hæc epiſtola non eſt Ambroſij, ſed eſt ſpuria & ſuppoſititia, nec inter eius epiſtolas habetur.* Scilicet aliam aliis diſputandi legem, aliam ſibi præſcribit, quo faciliùs conficta à monachis monaſterij Sancti Dionyſij monumenta conſeruet.

III. Diſſimulat ea omnia quæ de ſacrorum hymnorum auctoribus obſeruauimus, quia in obſeruatione hac Hilduini commenta pereunt. Diuertit ad ea quæ Hilduinus dicere potuit, & negligit, quæ ab eo dicta reprehendimus. diuertit ad ea, quæ fieri potuerunt, non quæ facta ſunt, quia quæ facta ſunt falſitatis ita conuincuntur, vt defendi nequeant.

IV. Prӕterea iis omnibus, quæ Menardus obiicit, ego Menardi effatum hoc obiicio: *Sed vrget aduerſarius, Scriptor paſſionis S. Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur? Quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in hominum ore verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt, is qui ſcribit non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & incerta fama?* Id peræque dici poteſt de Adone, de Hilduino, de Ægidio in appendice ad Leodienſes Epiſcopos, & aliis, quorum

Digitized by Google

dicta ſuorum oraculorum & reſponſorum auctoritati opponit.

Vulgata Dagoberti geſta ab æquali conſcripta non ſunt.

I. TERTIA vtilitas ex recenſione geſtorum Dagoberti Regis profecta eſt, dum illa ab æquali, vt iactant, conſcripta non eſſe oſtendimus ex cap. XLIII. *Idcirco,* inquit auctor monachus Sancti Dionyſij, *ad obitum ipſius* (Dagoberti) *deſcribendum vertens articulum, quid in ipſa infirmitate poſitus geſſerit, & vnum, quod in quadam vetuſtiſſima reperi charta, quam, vt ferebatur, beatus Audoënus Epiſcopus ſcripſerat, breuiter narrabo miraculum.* At certè charta illa nulli vetuſtiſſima eſſe potuit, niſi qui diu vixerit poſt Dagobertum. Quare quòd in iis Dionyſius à Clemente miſſus dicatur, non ad Dagoberti ſed ad illius pertinet ætatem, qui regis illius geſta ſcripſit, & pluribus fabulis inſperſit. Hæc geſta ex tabulario monaſterij profecta cùm non viderit Hilduinus, eorum auctorem Hilduino poſteriorem haud temere coniicies.

Romanum monaſterium Græcorum non eſt à Stephano III. conditum, ſed à Paulo I. nec Areopagitæ & ſociis dedicatum, ſed aliis martyribus.

I. QVARTA vtilitas manat ex illuſtrata origine & dedicatione monaſterij, quod olim

Digitized by Google

Romæ pro monachis Orientalibus ædificatum eſt. Monaſterij originem & dedicationem habemus ex Paulo primo, qui illud fundauit, & ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui fundatoris vitam ſcripſit: Audiamus primùm fundatorem in epiſtola ad Ioannem Abbatem: *Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Icontio preſbytero religioſo & Abbati venerabili monaſterij Sanctorum Stephani Martyris, atque Silueſtri Confeſſoris Chriſti, & aliorum innumerabilium Martyrum & Confeſſorum Dei, in eodem ſancto monaſterio à nobis annuente Deo fundato quieſcentium.* & poſt alia: *Igitur cùm per euoluta annorum ſpatia, diuerſa Sanctorum Chriſti Martyrum, atque Confeſſorum eius, foras muros huius Romanæ vrbis ſita antiquitus cœmeteria neglecta ſatis manerent diruta; contigit poſtmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus eſſe demolita.* & poſt alia: *Vnde conſpectâ eorundem ſanctorum locorum deſidioſâ incuriâ, & ex hoc valde ingemiſcens, atque plurimâ doloris attritus mœſtitiâ, aptum proſpexi, Deo annuente, eoſdem Sanctos Martyres & Confeſſores Chriſti & Virgines ex iiſdem dirutis auferre locis. Quos & cum hymnis & canticis ſpiritualibus in hanc Romanam introduximus vrbem, & in Eccleſiam, quam nouiter à fundamentis in eorum honorem conſtruxi, (intra mœnia ſcilicet in domo, quæ mihi parentali ſucceſſione obuenit, in qua me natum conſtat, atque nutritum) eorum ſanctiſſima collocans condidi corpora. Vbi congregationem conſtitui monachorum ſpeciali cenſura in honorem, & in nomine Beatorum Stephani Papæ & Martyris, atque Silueſtri Papæ & Confeſſoris, in quo veneranda eorum quieſcunt corpora. Monaſterium virorum mona-*

Digitized by Google

chorum eſſe cenſui, ſcilicet ad modulationis exercendam pſalmodiam, in perpetuum eſſe decreui. Hæc Paulus monaſterij fundator, cui ſuccinit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita eiuſdem: *Hic Beatiſſimus Pontifex cùm omnibus ſpiritualibus ſuis ſtudiis magnam ſollicitudinis curam erga Sanctorum cœmeteria indeſinenter gerebat.* & poſt alia: *Hic ſanctiſſimus Præſul in ſua propria domo monaſterium à fundamentis in honore Sancti Stephani ſcilicet Martyris atque Pontificis, necnon & Beati Silueſtri item Pontificis & Confeſſoris Chriſti conſtruxit, vbi & oraculum in ſuperioribus eiuſdem monaſterij mœniis ædificans. eorum corpora magna cum veneratione condidit. Infra clauſtra ipſius monaſterij Eccleſiam miræ pulchritudinis à fundamentis nouiter conſtruxit, illicque innumerabilium Sanctorum corpora, quæ de præfatis demolitis monaſteriis abſtulit, maximo venerationis condidit affectu. Vbi & monachorum congregationem conſtruens Græcæ modulationis pſalmodiæ cœnobium eſſe decreuit.*

Inprimis igitur monaſterium, quod à fundamentis excitauit, à Stephano prædeceſſore inchoari non potuit, contrà quàm fabulantur Areopagitici, cùm ædificium opinor non à tecto, ſed à fundamentis inchoetur.

Deinde duobus præcipuè Romanis Pontificibus, Stephano Martyri, & Silueſtro Confeſſori monaſterium dedicatum eſt, non Areopagitæ & ſociis, vti monachi Sancti Dionyſij falsò prodiderunt.

Tum monaſterium non eſt eo fine conſtructum, vt in eo Dionyſius Pariſienſis vel Areopagita coleretur, aut vt reliquiæ Dionyſij è Gal-

lia Romam delatæ conderentur; ſed vt Stephani martyris, & Siluestri Confeſſoris, innumerabiliúmque aliorum Sanctorum corpora, quæ in cœmeteriis ad vrbem ſitis neglecta iacebant, collocarentur, & in ſumma veneratione haberentur.

Denique cœnobium illud à Paulo traditum eſt monachis, qui ad Græcam modulationem pſalmodiæ vacarent. Hoc autem inde accidiſſe ſuſpicatur Baronius, quòd cùm Copronymus vetuiſſet eſſe monachos in Oriente, plurimi eorum Romam ſeſe receperint, quibus ſuum Pontifex monaſterium conceſſit, eáque ab iis præſtari voluit, quæ in ſuis Orientalibus monaſteriis præſtare conſueuiſſent, ſcilicet vt Pſalmorum cantum, aliáque Eccleſiæ munia ſuâ ipſorum linguâ perſoluerent; ex quo monaſterium rectè vocari potuit Schola Græcorum.

A quibus, & quomodo prima huius monaſterij fundatio impoſturam accepit.

II. Et verò licèt monaſterium illud claram firmámque originem habeat ab iis, quorum res fuit, illam tamen aliò monachi ſic interuerterunt ad calcem Areopagiticorum Hilduini: *Idem*, inquiunt, *Sanctus Pontifex (* Stephanus *) reliquias ſanctiſſimi Dionyſij Romam detulit, & monaſterium in honore ipſius ædificare in proprio ſuo cœpit, quod frater eius Paulus illo morte praeuento, quoniam ipſi in Pontificatu ſucceſſerat, nobiliter conſummauit, & conuectis ibidem plurimis Sanctorum Martyrum corporibus conſecrauit, ſeu veluti à fratre & prædeceſſore*

ſuo iuſſus fuerat, famulatores Domini natione Græcos inibi conſtituit, & idem monaſterium ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum appellari fecit, ad honorem & memoriam pretioſiſſimi Dionyſij, ſociorúmque eius. Inprimis ſiquis iſta cum ſuperioribus componat, fraudem nullo negotio deprehendet, quamuis aliunde daremus, monaſterium à Stephano inchoatum, & à Paulo poſteà abſolutum fuiſſe. Quod enim Paulus abſoluit monaſterium, non ad Dionyſij & ſociorum, ſed ad Stephani Martyris & Silueſtri Confeſſoris honorem conſecrauit.

Deinde Anaſtaſius in vita Stephani Papæ, cùm refert quomodo ægrotauerit in monaſterio Sancti Dionyſij, & qua ratione conualuerit ex inſperato, nihil de reliquiis Dionyſij in vrbem delatis, nihil de monaſterio in honorem Dionyſij incœpto dicit, tametſi dicendi ſeſe obtulerit occaſio, & nihil aliunde foret in vita Stephani memorabilius. Anaſtaſij locum expendite: *Poſtea verò Papa præ nimio labore itineris atque temporis inæqualitate grauiter infirmatus eſt,* (in Monaſterio Sancti Dionyſij) *vt iam omnes tam ſui, quàm etiam Franci de eius vita deſperarent. Sed Domini Dei noſtri ineffabili clementiâ, dum eum mane mortuum inuenire ſperabant, ſubitò alio die ſanus repertus eſt.* Horum verborum accurata penſitatio, & deducta ex ſcribentis officio, & ſcribendi circunſtantiis ratio, nî fallor, efficiunt, vt ſuſpectam relationem habeamus, qua viſo Dionyſio inter Petrum & Paulum medio, ſe repentè conualuiſſe Stephanum memorare volunt. Adde quòd hæc omnia referantur ab Hilduino, quem in

hac materia teſtem iuſtiſſimis de cauſis non admittimus. Verum quidem eſt in Ludouici Imperatoris epiſtola ad Hilduinum mentionem fieri cuiuſdam reuelationis, quæ Stephano Papæ facta fuerit in monaſterio Sancti Dionyſij; ſed hanc epiſtolam ab Hilduino, vel eius ſymmyſtis dictatam eſſe coniicimus, cùm ex pluribus, tum ex eo quòd in illa epiſtola laudatiſſimus Princeps *Dagobertus* infametur.

Ceterùm fabulatores ſic falſa veris miſcuerunt, ſic figmentis opinor colorem & ordinem dederunt. Primùm quidem Stephanum, non Dei clementia, vt loquitur Anaſtaſius, ſed beati Dionyſij apparitione perſanatum ſcripſerunt: deinde inchoatum Romæ monaſterium, quo memor accepti beneficij Dionyſium æde remuneraretur: tum monaſterium Græcis monachis commiſſum, & ad Sanctos Martyres appellatum in ſchola Græcorum, vt eos martyres eſſe Areopagitam cum ſociis perſuaderent. Cui rei nonnihil etiam fortè contulit Baſilica Dionyſij Confeſſoris, quæ monaſterio Græcorum ſic vicina erat, vt ex eo per gradus ad illam aſcenderetur. Quod ex Anaſtaſio colligimus in vita Nicolai primi; vtvt ſit, Hilduinus & monachi S. Dionyſij Baronium inuenerunt, qui Areopagiticis fidem adhibuit paulò faciliorem. Hoc obſeruatè curioſéque animaduertimus in gratiam Gregorij Turonenſis, quem Baronius Hilduino poſtponit, & ſimplicem appellat.

Digitized by Google

Genuina Eccleſiæ Sancti Stephani de Greſſibus apud Pariſienſes nomenclatio vindicatur.

I. QVINTA vtilitas oritur ex aſſertione veri tituli, quo primùm Eccleſia Sanĉti Stephani de Greſſibus apud Pariſienſes inſignita eſt. Quæ enim Eccleſia *Sancti Stephani de Greſſibus* quondam appellata eſt, non ante multos annos *de Græcis* appellarunt, vt Hilduinianæ cauſæ ſuffragarentur. Sed primò antiquæ nomenclationi fidem facit charta, quæ inſtitutam in hac Eccleſia Capiceriæ dignitatem continet: *Omnibus præſentes literas inſpecturis Decanus, totúmque Capitulum Pariſienſe ſalutem in Domino. Cùm Eccleſia Sancti Stephani de Greſſibus ad nos & ordinationem noſtram immediatè pertineat*, &c. *Datum anno* M. CCL. II. Alia charta de eiuſdem Capiceriæ fundatione: *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, G. Decanus & Capitulum Pariſienſe in Domino ſalutem. Cùm Eccleſia Sancti Stephani de Greſſibus ad nos, & ad ordinationem noſtram immediatè pertineat*, &c. *Actum anno Domini* M. CCLXIX. Hæc vtraque charta nuper Lutetiæ edita eſt. III. Alia charta Simonis de Buciaco Pariſienſis Epiſcopi ſcripta anno M. CCXC. vbi *Eccleſiam Sancti Stephani de Greſſibus* legere licet. Hæc refertur in libro Antiquitatum Pariſienſium. IV. Ioannes de Sanĉto Viĉtore, qui Philippo Pulchro Rege vixit, in Memoriali Hiſtoriarum ad annum M. CCXVIII. *Hoc anno*, inquit, *in Eccleſia Sancti Stephani de Greſſibus inuentæ ſunt plurium Sanctorum reliquiæ*, &c. V. Chartæ tres Philippi Pul-

Digitized by Google

chri Francorum Regis: *Philippus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus tam præſentibus, quàm futuris, quòd nos tempore confectionis præſentis quoddam preſſorium noſtrum ſitum Pariſius iuxta Eccleſiam beati Stephani de Greſſibus* &c. *Datum anno* M. CCC. Item, *Philippus Dei gratia vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Notum facimus, quòd nos quatuor libras Pariſienſes annui redditus nobis debitas ſuper preſſorio Sancti Stephani de Greſſibus Pariſ.* &c. *Datum anno* M. CCCIII. Item, *Philippus Dei gratia Rex: notum facimus vniuerſis præſentibus & futuris, quòd cùm dilectus Galerannus Brito Stancio noſter, ac Concergerius Domus noſtræ regalis* XL. *libras annui redditus ſuper preſſorium noſtrum Sancti Stephani de Greſſibus Pariſ.* &c. *Datum anno* M. CCCIX.

VI. Charta Pariſienſis Eccleſiæ, quæ ſic ſe habet: *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Pariſienſis ſalutem in Domino. Notum facimus quòd cùm excellentiſſimus Princeps dominus noſter dominus Philippus Rex Francorum illuſtris ex ſpeciali gratia voluerit, & expreſsè conſenſerit, quòd Capellani, qui pro tempore deſeruierint in quadam Capellania à Galeranno Britone dicti domini Regis Stancione, domúſque regalis Pariſius Concergerio, & Petronilla eius vxore in noſtra Eccleſia prædicta fundata, viginti libras Turonenſes annui & perpetui redditus ad opus dictæ Capellaniæ à dictis coniugibus olim donatas in theſauro dicti domini Regis percipiendas, ſeu percipi conſuetas habeant, & percipiant de cetero annuatim præ aliis quibuſcunque hominibus, ſuper preſſorio Sancti Stephani de Greſſibus, quod preſſorium Regis*

Digitized by Google

vulgariter nuncupatur , &c. *Datum anno Domini* M. CCCX. *menſe Iunio.*

VII. Charta, quæ Capicerij prærogatiuas complectitur: *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Decanus, totùmque Capitulum Eccleſiæ Pariſienſis æternam in Domino ſalutem. Cùm diſcretus vir D. Iacobus dictus Poignant Capicerius Eccleſiæ S. Stephani de Greſſibus* &c. *Datum & actum anno Domini* MCCCXXXI. Hæc charta Lutetiæ edita eſt anno M. DCXXVI.

VIII. Charta exceptionum, quas monachi Sancti Dionyſij contra Pariſienſium Canonicorum rationes dederunt in ea lite, quæ tempore Gerſonis ſuper aliquam Dionyſiani capitis partem inter eoſdem monachos & Canonicos mota eſt: *Item Decanus & Capitulum producunt clauſulam ex libro Chronicorum hauſtam, in qua ſic habetur: Tunc inuentæ ſunt Pariſius in Eccleſia Sancti Stephani de Greſſibus reliquiæ*, &c. hæc charta aſſeruatur in Archiuis Pariſienſis Eccleſiæ.

IX. Vbicumque in huius Eccleſiæ Commentariis occurrit collatio Præbendarum Eccleſiæ S. Stephani, in iis ſemper nominatur *Eccleſia Sancti Stephani de Greſſibus.* Infinitum eſſet loca Commentariorum ſingula recenſere.

X. Liber Procuratorum Gallicanæ nationis in Pariſienſi Academia procurante Cantiano Hueo ad annum M. CCCCLXX. *Conuenerunt ſingularum facultatum Magiſtri & Doctores in vico Sancti Iacobi intra portam ciuitatis & porticum Prædicatorum miro modo ordinati de latere Sancti Stephani de Greſſibus.*

XI. Regeſta Gallicanæ nationis ad eundem annum M. CCCCLXX. *Vniuerſitas conuenit ad por-*

tam Sancti Iacobi de latere Sancti Stephani de Greſſibus reginam ſalutatura.

XII. Ioannes Muneratus Pariſienſis Theologus, in libello de Pariſienſis Eccleſiæ dedicatione nominat *baſilicam Sancti Stephani de Greſſibus.*

XIII. Sententia Commiſſariorum Epiſcopi Pariſienſis in cauſa Capituli Sancti Germani Autiſſiodorenſis & Parochi S. Euſtachij, quæ ſic incipit: *In nomine Domini, viſo proceſſu coram venerabilibus viris magiſtris Matthæo le Lieux Eccleſiæ Pariſienſis Canonico & Succentore, & Nicolao le Blanc Canonico & Capicerio Eccleſiæ Sancti Stephani de Greſſibus iudicibus, & dominis Vicariis R. Patris Epiſcopi Pariſ. in hac parte commiſſis*, &c. *anno* M. DXIV. III. *Feb.*

XIV. Regeſta Rectoris Pariſienſis Academiæ ad annum M. DXCVI. *Cardinalem Florentinum ad Henricum IV. Galliæ & Nauarræ Regem Chriſtianiſſimum de latere Legatum excepit* (Academia) *in ipſis Sancti Stephani de gradibus, vel de egreſſu valuis.*

Et quanquam hæc vera ſunt, Gallica tamen locutio Antonium Democharem fefellit, qui non Milletum quidem, ſed alios complures in eundem ſecum errorem abduxit: ſcilicet ex Gallico nomine, quod his verbis, *de Greſſibus*, reſpondet, nouum nomen Latinum effictum eſt; obſtetricante Areopagitica miſſione, cuius idolum ante oculos auctorum nouæ latinitatis oberrabat.

Huius corrupti ſermonis ſeu nouitatis index eſt Gallica inſcriptio, quæ ſuſtentanti crucem ad vicum erectam lapidi inciſa eſt anno M. D. XCV. In ea ſiquidem habetur: *L'Egliſe de Mon-*

Digitized by Google

ſieur S. Eſtienne des Grecs. Hæc autem inſcriptio, vt apparet, recentiſſima, decepit nuper Iacobum Dubletium monaſterij S. Dionyſij monachum, qui cùm eam antiquiſſimam crederet, in Sancti Stephani vita, quam edidit, verum Eccleſiæ huius titulum eſſe, *de Græcis*, non *de Greſſibus*, dignâ auctore ſuo confidentiâ, ſcripſit.

Ex iis autem, quæ produximus, monumentis vni vim intulit, & alia cùm minimè potuerit concoquere, vir fabularum auidiſſimus, taciturnitate ſua deuorauit. Exinde pauci ſunt anni, quòd murus, cui lapis ille inſcriptioni deſtinatus inhærebat, refectus eſt, ſed & lapis ſublatus eſt, nec reſtituta inſcriptio, ne fortè quod notaueram per ſeipſum conſtaret ampliùs.

Manuſcripta quædam Sanctæ Genouefæ vita corrupta demonſtratur.

I. Sexta vtilitas emergit ex diſcuſſa Genouefæ vita, quam ex Victorino Codice Milletus tam impotenter effudit in Vindiciis, vt ipſe quamlibet immiſericors, triumphatis tamen hoſtibus pauliſper indoleret. Quid ita? Dionyſius Pariſienſis *Areopagites* in ea vocatur hiſtoria, quæ *poſt obitum Genouefæ à Geneſio preſbytero ante annos mille & centum; ante Hilduinum verò trecentos exarata eſt*. Hæc ille lib. II. Vindiciarum cap. IX. At in noſtro de Areopagiticis Hilduini Iudicio tria oſtendimus.

Primum eſt, hanc hiſtoriam in Victorino codice nullum præ ſe ferre nomen auctoris, ſeu Geneſij, ſeu alterius. Quod cùm ita ſit, & ſolâ

lectione probetur, Milletum malæ fidei ſcriptorem eſſe oportet. Si laudet alios, qui Geneſium presbyterum illius hiſtoriæ auctorem fecerint, criminis vtique ſocios laudabit.

Alterum, huius hiſtoriæ interpolatorem tam ſtupidum eſſe, vt qua pagina Genouefæ ſynchroniſmum affectat, eâdem & ſe impoſtorem prodat Philippo Auguſto poſteriorem: *Ego verò*, inquit, *poſt ter ſenos ab obitu eius annos, quo tempore ad eius conſcribendam vitam animum appuli, in imo ampulla oleum, quod illa orante creuerat, vidi.* Et poſt pauca: *Humata eſt in baſilica in monte ſita, iuxta noua mœnia Pariſij.* At Philippus, noua illa mœnia primus ædificari iuſſit, vt Rigordus ſcribit in vita huius Regis ad annum M. CCXI. *Anno eodem*, inquit, *Philippus Rex magnanimus totum in circuitu ſepſit à parte Auſtrali vſque ad Sequanam fluuium, ex vtraque parte maximam terræ amplitudinem intra murorum ambitum concludens, & poſſeſſores agrorum & vinearum compellens, vt terras illas, & vineas ad ædificandum in eis nouas domos locarent, vel ipſimet nouas ibidem domos habitatoribus conſtituerent, vt tota ciuitas vſque ad muros plena domibus redderetur.* Præterea ſub initium hiſtoriæ ſic habetur: *Licèt certum diem natiuitatis illius* (Genouefæ) *ignoremus, tamen coniicimus ex hiſtoriis veterum.* At quæ veterum hiſtoriæ poterant homini inſeruire, qui Beatæ Genouefæ coætaneus erat? Denique circa medium ſic nugatur: *In Namnetodorenſi pago benedictione populo data* (à Sancto Germano) *& manus celebrata miſſione, quæ ſolis Epiſcopis competit, de qua Cyprianus & Cornelius Apoſtolicus*

altercati primùm, deinde ſibi conſentientes, euicit Cyprianus, vt ſecundùm auctoritatem Euangelicam manus miſſio celebraretur. & poſt alia : *Obſeſſionem Pariſius per bis quinos, vt aiunt, annos à Francis perpeſſa eſt.* Mitto quòd Dionyſium Areopagi ſacerdotem effecerit, quo tempore Paulus Athenas profectus eſt. Nónne congruentius fuiſſet & honorificentius hæc omnia à Milleto priùs expendi, quàm coniici in Commentarios ſuos, vnde poſtea magno cum dedecore explodantur? Nónne deſperata illa eſt cauſa, quæ vt defendatur, artibus indiget falſariorum?

Tertium, his & ſimilibus nugamentis Genoueſæ vitam carere, quam Ioannes Textor anno MD. XXI. edidit Lutetiæ, ad calcem lib. Iacobi Bergomenſis de claris Mulieribus. Quoniam verò manuſcriptos codices amat aduerſarius, Victorino parem ſi velit, inueniet in Bibliotheca Celeſtinorum Pariſienſium, vbi vita beatæ Genoueſæ deſcribitur, ſed de Dionyſio nihil habet præter ea, quæ ſequuntur: *Quanta verò veneratione & amore dilexit Catholacenſem vicum, in quo Sanctus Dionyſius cum ſociis ſuis Ruſtico & Eleutherio paſſus eſt, nequaquam ſilendum eſſe arbitror.* Ceterùm licèt tam illa edita, quàm hæc manuſcripta Genoueſæ vita purior ſit eâ, quæ in Codice Sancti Victoris extat; neutram tamen omni ex parte puram, & ab incertis nudam affirmamus. Quæ res ad propoſitum minimè ſpectat. Reponimus hîc ſolùm Milleto, quæ in Reſponſione ad cap. II. Diſſertationis paragrapho XIV. ſuggerit contra ſe : Areopagiticorum *diſputandi modum miraremur, niſi ſciremus offenſatricem & malam pla-*

nè cauſam, niſi labantibus vaniſque præſidiis defendi non poſſe.

Menardus dicit multa, quibus geſta hæc beatæ Genouefæ defendat. Sed ea omnia planè concidunt, ſi de iis geſtis ea dicantur, quæ de geſtis Sancti Saturnini tanquam ex tripode pronuntiauit. *Quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere*, quod ex manuſcriptis ſuis Menardus obiicit: *Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is, qui ſcribit non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?*

Hilduinus in præſenti diſputatione nullius eſt, vel ſaltem exiguæ auctoritatis.

I. Septima vtilitas in examinanda Hilduini auctoritate verſatur, vbi, quæ tria potiſſimùm auctoritatem ſcriptori detrahunt, ea in Hilduino cumulatè reperiri docuimus in Iudicio de illius Areopagiticis. Primum eſt, partium ſtudia, quibus admodum feruentibus ſcripſit. Etenim cùm ab Hilduino iam tum palam & certò affirmatum conſtet, eundem eſſe Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita, & ab aliis priſcam retinentibus traditionem contrà tunc negatum; faciunt iſta partium ſtudia, vt quæ ea ſuper re ſcripſit Hilduinus, non æquè recipiantur in auctoritatem, atque reciperentur, ſi ante exortam controuerſiam ſcripſiſſet. Quoties Latini in cauſſa Proceſſionis Spiritus ſancti decertarunt contra Græcos, non alios auctores in contro-

uerſæ rei iudicium admiſerunt, quàm qui ante exortum ſchiſma ſcripsêre. Hoc acta Concilij Lugdunenſis ſub Gregorio Decimo, hoc ſingulæ præſertim ſeſſiones Florentini Concilij teſtantur.

Secundum eſt, mala in citandis auctoribus fides. Duo quippe ſunt genera rerum, quas ab aliis memoriæ proditas tradit Hilduinus: eorum alterum reperitur, alterum qualibet diſquiſitione facta non reperitur. In eo quod reperitur, & legi poteſt, cùm reperiatur impoſtura, in ceteris, quæ non reperiuntur, nullam ille fidem meretur. Quid referam Acta Apoſtolorum, quibus Dionyſium, & genere nobilem, & magiſterio Philoſophiæ apud Athenas claruiſſe probat? Quid Euſebium Cæſarienſem, quo Dionyſium Pariſienſem eundem cum Areopagita fuiſſe contendit? Quid fictas ſub nomine Innocentij, Gelaſij, & Gregorij epiſtolas, quibus vt Eccleſiaſticum mutaretur officium in Gallia, Pontifices illos iuſſiſſe tradit?

Tertium, ineruditа, abſurdáque ſcriptio, quam illius excerpta perſpicuè ſignificant capite VII. Diſcuſſionis. Quæ omnia cùm tueri non poſſet Milletus, Hilduinum abire permiſit in Reſponſione ad cap. IV. Diſſertationis paragrapho quinto: *Ponant*, inquit, *nunquam Hilduinum Areopagitica ſua cogitaſſe, illum vel nunquam extitiſſe in humanis.* Neque verò Hilduinum abire tantùm permiſit, ſed abeuntem poſtea conuitiis inſectatus eſt, quòd collocata ſub Domitiano Dionyſij morte, illius libros reiiciendi validum ſubminiſtrarit argumentum.

Digitized by Google

Vera Areopagiticæ opinioni deſignatur epocha.

I. OCTAVA vtilitas apparet ex definitione temporis, quo natales Areopagiticæ opinionis circumſcribuntur. Hoc tempus ad Imperium Caroli Magni & Ludouici pertinere docuimus, cùm ex multis, quæ hîc repetere ſuperuacaneum eſſet, tum maximè ex Areopagiticis Hilduini, atque ex Milleti Vindiciis, Vindiciarúmque apologia, quam diſcuſſimus. Inprimis Hilduinus nullum ex toto orbe Chriſtiano Martyrologium laudat, in quo idem Dionyſius Pariſienſis legatur, qui Areopagita; nullum exploratæ fidei ſcriptorem adducit, qui Dionyſium Pariſienſem cum Athenienſi confuderit. Deinde in Areopagiticis num. x. apertè teſtatur, *de Dionyſij Areopagitæ obitu nihil Græcos ſcriptores dixiſſe, quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuit incognitus.* Denique ibidem num. VII. ſcribit *mirari neminem poſſe, cur hymnum Sancti Eugenij Toletani de Beato Dionyſio habeamus, & vicinorum ſapientium ſcriptis exceptis paucis videamur carere, cùm & hæc quæ habemus, vt exorata priorum noſtrorum venia dicamus, abdita & negligenter relicta reperimus.* His accedunt quæ tradit in epiſtola ad fideles: *Vt notitiam*, inquit, *de ordine conuerſionis & prædicationis atque aduentus Romam, ſeu triumphalis martyrij Beatiſſimi Dionyſij, quæ maximè Græcorum continetur hiſtoriis, & quaſi ſepulta antiquorum ſcriniis apud Latinos non modica portione ſeruabatur obtecta, in lucem Chriſto iuuante reducerem.* Huius autem

Digitized by Google

vtilitatis teſtem ideo appellamus Hilduinum, quia Milleto vir locupletiſſimæ fidei eſt, & noſter aduerſarius. Milletus verò ipſe octingentis annis Hilduino poſterior, licèt ſupra illum ſapere voluerit, nihil tamen reuera præſtitit, quò afflictam Hilduini opinionem erigeret, & illius originem Carolo Magno vetuſtiorem demonſtraret. Etenim vtrumque Milleti opus legatur, & relegatur, nullum Martyrologium, nullus auctor occurret, qui per annos à Chriſto octingentos aſſeruerit eundem eſſe Pariſienſem Dionyſium atque Areopagitam.

Ex duobus ſigmentis ortum habuit Areopagitica opinio.

I. Nona vtilitas inde habetur, quòd deprehenderimus, Areopagiticorum opinionem ex duobus figmentis coaluiſſe. Siquidem primò fabulati ſunt Dionyſium à Clemente miſſum, ſiqua fides detur Hilduino in Areopagiticis num. v. vbi tradit antiquum extare libellum, quo proditur *Dionyſius à Beato Clemente in Gallorum gentem directus.* & num. xii. *Fortunatus*, inquit, *in hymno de Sancto Dionyſio commemorat eum à Beato Clemente deſtinatum*, &c. vt ſuprà. Huic figmento aliud poſtea inædificarunt, quo circa Ludouici Imperatoris tempora Dionyſium à Clemente miſſum Areopagitam eſſe dixerunt. Sic ortum habuit opinio, quam qui legitimæ traditionis notionem ignorant, traditioni confidenter adſcribunt.

Digitized by Google

Diſploſa mirabilis Areopagiticorum inconſequentia.

I. Decima vtilitas ſuggeritur ex diſploſa inconſequentia, qua ſe & lectores ſuos facetè ludificant, qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt. Hi enim dum incidunt in nonnullas hiſtorias, quæ incertis narrationibus plenæ Dionyſium à Clemente miſſum referant; vel in quædam Martyrologia, quibus illud exſcriptores addiderint, ſtatim concludunt miſſum à Clemente Dionyſium fuiſſe Areopagitam. Duobus modis eiuſmodi diſploſimus ἀνακολουθίαν, & primùm quidem, quòd ſibi ridiculè concedi velint, Dionyſium à Clemente miſſum, & Clementis tempore vnicum fuiſſe tantùm inter Chriſtianos Dionyſium Areopagitam, qui in Gallias Lutetiam legari poſſet. Deinde quòd in quibus aliquando ſcriptis dicitur miſſus à Clemente Dionyſius, in iiſdem dicatur à Petro miſſus, immo vel genere Romanus, vel eo tempore miſſus, quo nondum Chriſtianus erat Areopagita. Hoc diſputandi vitio ſanari noluit Milletus, ne totos octingentos annos argumento quamlibet inutili vacuus præteriret. Vide Diſcuſſionis cap. III. num. II.

Methodius Conſtantinopolitanus ex quorundam Gallorum commentariis vitam Dionyſij conſcripſit.

I. Vndecima vtilitas ſpectat ad Methodium Conſtantinopolitanum, cuius opus de

Dionyſij vita ex quorundam Gallorum commentariis compactum euicimus: Et primùm quidem ex Hincmaro Remenſi, qui cùm vitam Dionyſij à Methodio Græcè ſcriptam, & ab Anaſtaſio Latinè verſam perlegiſſet: *Recognoui*, inquit, *his, quæ ibi ſcripta ſunt, ea quæ in adoleſcentia legeram, conſonare; videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij Beati Dionyſij ſociorúmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad Græcorum notitiam peruenerint.* Hæc ille teſtis apud Milletum omni exceptione maior. Deinde ex perfecta ſimilitudine, quæ inter Dionyſij vitam cùm ab Hilduino, tùm à Methodio conſcriptam intercedit. Quòd autem à Methodio Hilduinus non acceperit quæ ſcripſit; & ſola Methodij lectio declarat, & Hilduinus ipſe palam docet in Areopagiticis num. x. vbi Græcos ſcriptores de obitu Areopagitæ non eſſe locutos tradit, *quia*, inquit, *propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuit incognitus.* Supereſt ergo, vt ab Hilduino vel à quibuſdam aliis Gallis mutuatus ſit Methodius, quæ de Dionyſij martyrio, de geſtatione capitis, de Catula, & aliis memoriæ commendauit.

Recta quæſiti ex Hincmaro teſtimonij intelligentia.

I. DVODECIMA vtilitas conſiſtit in vera horum verborum notitia, quæ in epiſtola Hincmari ad Carolum Caluum leguntur: *Patrem veſtrum Dionyſium eſſe Areopagitam in Gallias à Beato Clemente directum, ex his, quæ Græca teſtificatio, & Sancta Romana Eccleſiæ atteſtatio, &*

Gallicana intimat conteſtatio, ratum in hac cauſa recognoſcunt.

Quod autem ad Græcam teſtificationem pertinet, hæc ad Methodium reducitur, nec vltrà reduci poſſe conſtat, primùm ex iis, quæ iam diximus, deinde ex eo quòd Sophronius Hieroſolymitanus in epiſtola Synodica apud Photium, & ſexta Synodus actione VIII. Dionyſium Epiſcopum Athenienſem & martyrem, non Pariſienſem vocent. At Epiſcopum poſt ſuam tranſlationem, & alterius ſubrogationem, non à prima, ſed à ſecunda ſede appellari traditio Eccleſiæ eſt, cui nullum exemplum opponi poteſt: Denique ex Hilduino, & ex Hincmaro ipſo, quorum ille Græcos auctores de Areopagitæ obitu nihil tradidiſſe ſcribit, hic verò in eadem epiſtola, Romanos à Gallis, & à Romanis Græcos Dionyſianæ vitæ notitiam conſecutos docet.

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ atteſtatio in ſola Bibliothecarij auctoritate ſiſtit, nec difficilè probatur, primùm ex eo quòd Martinus PP. in Concilio Lateranenſi, Agatho in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, Adrianus primus in ſcripto ad Carolum de colendis imaginibus, Dionyſium Athenienſem Epiſcopum non Pariſienſem appellent. At Pontifices illi Eccleſiaſticæ conſuetudinis non immemores Pariſienſem appellaſſent, ſi Romanæ ſedi nota fuiſſet Dionyſij in Galliam migratio. Secundò, quòd Pelagius II. epiſtola prima, & Stephanus VI. epiſtola quoque prima, neceſſariam Epiſcoporum de vna ſede in aliam migrationem tractantes, & exemplis Bea-

Digitized by Google

ti Petri & aliorum confirmantes, de Areopagita verbum nullum fecerint, cùm tamen nulla vnquam fuiſſet facta tranſlatio illuſtrior, vel inter diſiunctiores ciuitates memorabilior. Tertiò, quòd olim Martyrologia, & diuina Romanæ Eccleſiæ Officia Dionyſium Pariſienſem ab Athenienſi perpetuò diſtinxerint. Quartò, quòd Hilduinus in epiſtola ad fideles aſſerat, Dionyſij notitiam apud Latinos non modica portione tunc obtectam ſeruari. Quintò, quòd Hincmarus in eadem epiſtola Romanos à Gallis notitiam geſtorum Dionyſij mutuatos eſſe affirmet.

Denique Gallicana conteſtatio principem habet Hilduinum, qui & tunc quibuſdam aliis facilè impoſuit, in ea potiſſimùm quæſtione, quæ populi aures animúmque titillaret. Sic igitur omnia ad Hilduinum vt ad primum erroris fontem reuocantur: Græca Methodij teſtificatio, qui vitam Dionyſij ex Hilduini vel alterius cuiuſdam Galli commentariis ſcripſit, & Romana Bibliothecarij atteſtatio, qui vitam à Methodio Græcè ſcriptam Latio donauit.

Hæ ſunt præcipuæ vtilitates, quæ ex habitis vltro citróque velitationibus promanarunt, vbi & hiſtorica veritas ſtabilitur, & inſperſa huic veritati diruuntur mendacia, quibus Milleti Vindiciarum opus totum quantum eſt, ſuſtentatur. Quo fit, vt has nobis vtilitates veritatis difficultate impeditus conceſſerit, dum in ſua ad Diſſertationem Reſponſione, quam diſcuſſimus, indefenſa reliquit acta Eugenij martyris, Hymnum Fortunati, geſta Dagoberti Regis, Romanum Græcorum cœnobium, vitam Sanctæ

Genouefæ ex Codice Sancti Victoris, Areopagitica Hilduini, & conſcriptam ab eodem Dionyſij vitam; tum nec ampliſſimum Hincmari de opere Methodij teſtimonium infirmauit, nec noſtras in eundem Hincmarum obſeruationes eliſit, quibus Græcæ teſtificationi, Romanæ ſedis atteſtationi, & Gallicanæ conteſtationi epocham defiximus omni termino immobiliorem.

CAPVT XIX.

Legitimâ & à capite deriuatâ traditione conſtat, Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita diſtingui.

I. QVÆ hactenus in Diſcuſſione volaticæ Reſponſionis de Dionyſio diſſeruimus, ea nunc relictis parergis in vnum reuocare caput operæpretium eſt, vt adſit in promptu, vnde præcipuus Diſcuſſionis noſtræ ſcopus & momenta legenti ſtatim obuerſentur. Seligemus illa potiſſimùm, quæ cùm aduerſarius ſemel atq; iterum in grauiſſimas quæſtiones poſtulauerit, tormentis feliciter erepta præ ſe ferent eliquatiſſimam veritatem. Siquando tamen nonnihil occurrât affectum difficultate, ſtudioſus lector poterit ſingula Diſcuſſionis capita reuoluere, vbi applicatas optimis auctoribus machinas diffregimus, & ſuam vnicuique aſſeruimus libertatem. Qua in re hanc Tertulliani præſcriptionem ante oculos ſemper habuimus, aliíque vt habeant enixè precamur: *Ita*, inquit, *ex ipſo*

Digitized by Google

ordine manifeſtatur id eſſe verum, quod ſit priùs traditum, id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.

Ex quarto ſæculo.

II. PRIMVS memoratæ traditionis teſtis eſt ille ſcriptor, qui æqualis Diocletiano vel certè ſuppar æqualium traditione inſtructus, Paſſionem Beati Saturnini memoriæ prodidit. Illius fragmentum dabit Gregorius Turonenſis, qui lib. I. Hiſtoriæ cap. XXVI. ſic ſcribit de geſtis primorum Galliæ Martyrum: *quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter vſque hodie retinentur.*

Huius, inquit cap. XXVIII. Decij *tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti Saturnini martyris denarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus*, SICVT FIDELI RECORDATIONE RETINETVR, *primum ac ſummum Toloſana ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt Turonicis Gatianus Epiſcopus*. & paulò pòſt, *Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus*. & paulò pòſt, *De his verò Beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diuerſis pro Chriſti nomine affectus pœnis præſentem vitam gladio imminente finiuit*. Hic Dionyſius Pariſiorum Præſul, cùm ſub Decio in Galliam venerit, non potuit eſſe Areopagita. Nunc non moror infelicem Samblacati coniecturam, qua in recuſo Palladio illis

Conſularibus notis vitium obiicit, ac Decij & Grati Conſulum loco Catum Decianum reponit Neronis in Gallia Procuratorem, vel Proconſulem. Quid enim? Tacitus, quem citare noluit, libro Annalium XIV. coniecturæ cauſam præbet his verbis: *Sed quia procul Suetonius aberat*, Veterani Britanni *petiuere à Cato Deciano Procuratore auxilium.* & poſt alia: *Quâ clade & odiis prouinciæ, quam auaritia in bellum egerat, trepidus Procurator Catus in Galliam tranſiit.* Parce lector, ſi tibi ὄνειρον Ὀρέστειον narraui. Vide caput quartum Diſcuſſionis.

Ex ſæculo ſexto.

III. Secvndvs Gregorius Turonum Epiſcopus, qui Saturnini martyris hiſtoriam probando ſuam fecit. Hic cùm ante & poſt Epiſcopatum Pariſiis frequentiſſimè verſatus ſit, & Dionyſij noſtri miracula, quæ ad turritum illius tumulum, vt vocat, patrabantur, curioſiſſimè narrarit, Pariſienſem de ſuo Dionyſio traditionem non potuit ignorare. Quod ſiquis ex vero penſare velit, omnem hac in parte Gregorio concedet auctoritatem. Vide caput quartum Diſcuſſionis.

Ex ſæculo ſeptimo.

IV. Tertivs Venerabilis Beda, quem ex antiquis aduerſariis Hilduinus, & ex recentioribus Milletus noſtrum facilè concedunt. Hilduinus quidem in epiſtola ad Eccleſiæ fide-

Digitized by Google

les, vbi queritur Dionyſij Areopagitæ & Pariſienſis diſcrimen *ex autumatione Gregorij Turonenſis, & ex ſubreptione Bedæ* hominum animos ſuo tempore occupaſſe. Milletus verò in Vindiciis lib. II. cap. IV. *Sed ponamus*, inquit, *Vſuardum nobis aduerſari. Quid tanti denique eſt? ex corrupto Bedæ Martyrologio mendum illud* (de duobus Dionyſiis) *contraxit*. Firmius nullum argumentum eſt, quàm quod ab aduerſariis veritatis pro veritate ipſa ſumitur. Fuit igitur ante annos pluſquam octingentos aliquod Bedæ Martyrologium, aliúdve ſcripti genus, vbi duo diuerſi Dionyſij Areopagita & Pariſienſis repræſentarentur. In Bedæ aucto Martyrologio, quod inter eius opera editum eſt, ſic ſe res habet: Quinto Nonas Octobris; *Natale Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus Athenis ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur.*

Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi: Qui Epiſcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, vt prædicationis opera populis à fide Chriſti alienis exhiberet; tandémque ad Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot ſanctum opus fideliter & ardenter executus à præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus eſt, & cum eo ſanctus preſbyter Eleutherius, & Ruſticus diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.* Neque hîc re-

Digitized by Google

morari te debet Clementis nomen, quod exſcriptores ex vulgi credulitate addiderunt. Vide caput ſeptimum Diſcuſſionis.

Quartus Auctor veteris Martyrologij MS. ſed ſimplicis, eóque melioris, quod aſſeruatur in Puteanorum Fratrum Bibliotheca, quæ Regiæ adiuncta eſt: Quinto Non. Octob. *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ.* VII. Idus Octob. *Apud Pariſium, martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Quintus Auctor Martyrologij Romani, cuius codicem Ado venerabilem & perantiquum appellat, eûmque non ita pridem Heribertus Roſuueidus publici iuris fecit: v. Nonas Octob. *Athenis Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi, vt Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.* Septimo Idus Octobris: *Pariſiis Dionyſij Epiſcopi cum ſociis ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.* Qui patitur quinto Nonas, diuerſis nec exploratis tormentorum generibus martyrium facit. Qui patitur ſeptimo Idus, certo affectus ſupplicio martyrium facit, capitis ſcilicet obtruncatione. Qui patitur quinto Nonas, paſſionis teſtem habet Ariſtidem. Qui patitur ſeptimo Idus, paſſionis teſtem non habet Ariſtidem. Qui patitur quinto Nonas, ſine ſociis coronatur: qui patitur ſeptimo Idus, cum ſociis coronatur.

Ceterùm hoc aut par opus Martyrologij cùm in Italia, tum in Anglia legebatur. In Anglia quidem, ſi qua fides habeatur Concilio Cloueshouienſi cap. XIII. *Vt per gyrum totius an-*

Digitized by Google

ni natalitia Sanctorum, vno eodémque die iuxta Martyrologium Romanæ Eccleſiæ venerentur. Hoc autem Concilium anno DCCXLVII. coactum eſt. In Italia verò quin legeretur dubium nullum eſſe poteſt, & id prætereà teſtatur Ado, cui acceptam Martyrologij iſtius conſeruationem referre debemus: *Huic operi*, inquit, *vt dies martyrum veriſſimè notarentur, qui confuſi in Calendariis ſatis inueniri ſolent, adiuuit venerabile & perantiquum Martyrologium ab vrbe Roma Aquileiam cuidam Sancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum, & mihi poſtmodum à quodam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum. Quod ego diligenti cura tranſcriptum, poſitus apud Rauennam, in capite huius operis ponendum putaui.*

Sextus teſtis eſt auctor Martyrologij MS. quod eſt in Bibliotheca viri clariſſimi Henrici Vignerij Oratoriani presbyteri. Quinto Nonas Octob. *Natale Sancti Dionyſij Areopagitæ.* VII. Idus Octob. *Apud Pariſium, martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Septimus teſtis eſt Lugdunenſis Eccleſia in veterrimo Martyrologio MS. Quinto Nonas Octob. *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus.* VII. Idus Octob. *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Octauus teſtis eſt Remenſium Eccleſia, in cuius antiquiſſimo Martyrologio hæc leguntur: Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Diony-*

Digitized by Google

ſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo apud Athenas Epiſcopus ordinatus, IBIDEM, *glorioſo martyrio eſt coronatus*. Septimo Idus Octobris: *Pariſius Beatiſſimorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi.*

Eccleſia Sancti Symphoriani in vrbe Remenſi hæc eadem vtroque die canit in ſuo Martyrologio. Vide cap. VII. Diſcuſſionis num. IX.

Nonus teſtis eſt Virdunenſis Eccleſia in Martyrologio M S. Quinto Nonas Octob. *Natale Beati Dionyſij Areopagitæ.* VII. Idus Octob. *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Decimus teſtis eſt Aruernorum Eccleſia, in cuius vetuſtiſſimo quoque Martyrologio hæc leguntur. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſij Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus, primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Vndecimus teſtis eſt Eccleſia Sancti Frambaldi Siluanectenſis in ſimili Martyrologio M S. Quinto Non. *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus.* VII. Idus Octob. *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Digitized by Google

Duodecimus teſtis Eccleſia Sancti Reguli Silvanectenſis in Martyrologio MS. quod eadem verba repræſentat.

Decimus tertius teſtis eſt Attrebatenſis Eccleſia in Martyrologio MS. Quinto Non. Octob. *Eodem die paſſio Sancti Dionyſij Epiſcopi.* VII. Idus Octobris: *Pariſius ciuitate paſſio Sanctorum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi, qui Trinitatem confitentes trino glorioſè meruerunt coronari martyrio.*

Decimus quartus teſtis eſt Eccleſia Monaſterij S. Vedaſti in Martyrologio MS. quod eadem verba repræſentat.

Decimus quintus teſtis eſt Eccleſia, quæ veterrimo quondam vſa eſt Martyrologio, quod in Sancti Vrbani Trecenſis capitulo aſſeruatur. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi.*

Decimus ſextus teſtis eſt Autiſiodorenſis Eccleſia, in cuius tribus Martyrologiis, quorum duo ſunt Autiſiodori, tertium Lutetiæ in Bibliotheca Thuana, hæc leguntur. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Dionyſij Areopagitæ Athenienſium Epiſcopi & Martyris.* Septimo Idus Octobris: *Pariſius natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi. Qui Beatus Epiſcopus propter prædicationis officium à Sancto Clemente in Gallias directus, ibique eſt martyrizatus.* Ex his quæ iam diximus & dicemus poſtea, ſatis apparet nomen Clementis ab exſcriptore quodam fuiſſe additum:

contra veterum traditionem, & Autiſiodorenſis Eccleſiæ fidem, quæ in Litaniis anno M. D. XXXVI. editis, poſt Sixtum, Laurentium & alios Martyres collocat Dionyſium noſtrum cum ſociis. Hæc rurſus non animaduerterem, niſi Milletus ex me Autiſiodorenſe Martyrologium citaſſet, & nomen Clementis vt inſititium à me probatum diſſimulaſſet.

Decimus ſeptimus teſtis eſt illa Eccleſia, cuius fuit Martyrologium, quod in antiqua Sancti Martini de Campis Bibliotheca Lutetiæ vidimus. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.*

Hæc eadem prorſus habentur in duobus aliis Martyrologiis, quorum vnum ad Prioratum Sancti Dionyſij de Carcere in vrbe Pariſienſi quondam pertinuit, & hodie in Bibliotheca Sancti Victoris cuſtoditur: Alterum verò aſſeruatur in Abbatia Monialium S. Laurentij Bituricenſis Ordinis S. Benedicti, quod nunc editum eſt.

Tria ſunt omninò, cur hæc omnia Martyrologia ſeptimo ſæculo incluſimus; vnum, quòd ſimpliciora ſint Vſuardi & Adonis Martyrologiis,

giis, vt ex mutua collatione ſatis apparet, tametſi in nonnullis illuſtriores aliquos è recentioribus Sanctis addiderint Eccleſiæ, quæ illis certa de cauſa peculiare officium conſecrarunt: Alterum, quòd pauciora de Dionyſio Athenienſi referant, quàm Vſuardus & Ado, qui Ariſtidem laudant. Tertium, quòd ante Vſuardum & Adonem Eccleſiæ ſuas tabulas, ſuáque Martyrologia habuerint, vt Vſuardus ipſe docet epiſtola ad Carolum Imperatorem, in qua ſe *ex quibuſdam præcedentium Patrum Martyrologiis* opus ſuum confeciſſe profitetur.

Decimus octauus teſtis eſt hiſtoria Sanctorum Fuſciani & Victorici, in qua ſic habetur: *Quo tempore Maximianus Auguſtus per arua Galliæ præſidebat, ſancti viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati, vnà cum venerabili Dionyſio Præſule, comitibus ceteris, Piatone, Ruffino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino & Regulo ab vrbe Roma curſu intrepido progredientes intra fines Galliæ peruenerunt*, &c. Hîc tantùm nota Dionyſij in Galliam aduentui tempus aſſignari, quod nec Dionyſio Areopagitæ, nec alij Dionyſio à Clemente miſſo conuenire poteſt. Ex quo facilè intelligitur, tunc rumorem de aduentu Dionyſij vel Areopagitæ, vel alius à Clemente legati nullum adhuc fuiſſe. De ceteris vide cap. VI. Diſcuſſionis. Porrò cùm Vſuardus Piatonem Dionyſij ſocium faciat Calendis Octobris, Fuſciani & Victorici hiſtoria ſuperioribus octauo ſæculis tribuenda eſt.

Decimus nonus teſtis eſt Alcuinus, qui vide-

Digitized by Google

tur hanc vel ſimilem hiſtoriam ſecutus, cùm inter poëmata ſua Quintino iungit Dionyſium, num. LXX.

Hac duo praclari patres venerantur in ara,
Quintinus ſiquidem, Sanctus Dionyſius atque
Hic confeſſor erat Chriſti, ſed martyr & ille,
Ad Dominum proſit quorum interceſſio nobis.

Hoc loco Confeſſoris nomen non Eccleſiaſtico ritu, ſed grammatico ſenſu capitur metri cauſa, vt conſtat ex his aliis verſibus ad num. CVIII.

Quintinus martyr, pater & Dionyſius aram,
Hac ſeruat precibus martyr ab hoſte ſuis.
Doctores vita meritis viuacibus ambo
Sanguine qui roſeo regna beata tenent.

Ex octauo ſaculo.

V. VIGESIMVS teſtis eſt Vſuardus monachus Sancti Germani Pariſienſis, in Martyrologio; quod iuſſu Caroli Magni compoſuit. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri & Martyris, qui cum Beato Dionyſio, eiuſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Ecce tibi Dionyſius comes Piatonis, qui ſub Maximiano coronatus eſt.

Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Ille, cuius martyrium Ariſtides Athe-

nienſis teſtatur, alius eſſe non poteſt, quàm Areopagita.

Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis ſuis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Hic Dionyſius cùm ſit in omnibus Vſuardi exemplaribus Piatonis comes non potuit eſſe Areopagita, licèt de eo quinto Nonas nullam mentionem faceret Vſuardus. Alias diſcriminis inter vtrumque notas prætereo conſultò, quas videre eſt capite VII. Diſcuſſionis num. II. Sed cùm hæc Lutetiæ ſcripta ſint citra cuiuſquam offenſionem, quis nunc prudenter diceret Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita non diſtingui?

Vigeſimus primus teſtis eſt hiſtoria Sancti Luciani Bellouacenſis, quæ ex tribus manuſcriptis exemplaribus producta eſt, capite ſexto num. V. *Eodem itaque tempore beatiſſimus vir Sanctus Lucianus ſanctiſſimo martyri conſociatus Quintino, vrbe Roma cum Beato Dionyſio pariter egreſſi Gallias adierunt.* & poſt alia, *Lucianus à Beato Dionyſio presbyteri ſumpſit officium, & ad Bellouacenſem vrbem curſu properauit intrepido, atque tunc Sanctus Dionyſius Pariſius adiit.* At cùm Lucianus & Quintinus ſub Maximiano triumpharint, Dionyſius Pariſienſis ad eandem ætatem ſpectat. Quia verò Audoënus Rotomagenſis in vita Eli-

Digitized by Google

gij lib. II. cap. VII. Lucianum Quintini collegam facit, hæc quoque Luciani hiſtoria ad ſuperius ſæculum referri non immeritò potuit.

Vigeſimus ſecundus teſtis eſt Methodius Patriarcha Conſtantinop. in vita Dionyſij: *Socij autem Beati Dionyſij fuerunt Saturninus, Marcellus & Lucianus.* infrà. *Aquitaniæ verò partibus miſſo Sancto Saturnino, ipſe* (Dionyſius) *cum Sancto Luciano, & Sancto Ruſtico & Sancto Eleutherio Lutetiam Pariſiorum venit: Sanctus autem Lucianus preſbyterij honore ornatus ad Bellouacorum vrbem miſſus eſt. Ipſe porrò Sanctus Dionyſius Lutetiæ Pariſiorum manſit, quod oppidum etſi paruum & exiguum, tamen gentilis erroris plenum erat.* Quis iſta quæſo legit, & non videt Methodium ex corruptis quorundam Gallorum commentariis deceptum veterem traditionem interturbaſſe? Sed cùm tam euidenter interturbarit, pro ipſa veritate teſtimonium perhibet, atque ex eo noſtra ſententia magis adiuuatur, quàm premitur. Quippe Saturninus Toloſanus ex omni retrò traditione, quæ etiam in Martyrologio Baronij retinetur, & auctoritate Gregorij Turonenſis confirmatur, in Galliam ſub Decio venit. Lucianus verò Bellouacenſis, & Marcellus *in vetuſtiſſimis manuſcriptis*, quæ ex Bibliotheca Corbeiana & Sancti Germani Pratenſis edidit Milletus, ad Imperium Diocletiani pertinent. Quare Dionyſius Saturnini, Luciani, & Marcelli ſocius non poteſt eſſe Areopagita. Vide caput octauum, num. III. & IV. vide etiam caput ſextum de ſocietate Dionyſij cum aliis.

Digitized by Google

Vigeſimus tertius teſtis eſt Sueſſionenſis Synodus, quæ anno DCCCLXVI. habita eſt, in priuilegio, quod Sollemniacenſi monaſterio concedit: verba ſunt, *Talia ergo dum ſibi, ſuiſque fratribus concedenda humiliter poſtularet, innotuit regiæ dignitati noſtræque Synodo reſidenti, qualiter vir venerabilis, atque beatiſſimus Elegius Viromandenſis Eccleſiæ Epiſcopus amore ſupernæ hæreditatis accenſus cœnobium ipſum in Limouicino rure, quod Sollemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei ac veneratione beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Martyrum Dionyſij, & ſociorum Criſpini atque Criſpiniani, necnon & Pancratij, ſeu & Confeſſorum Martini, Hilarij, Medardi, Remigij & Germani ſuo opere ædificare ſategit.* Ecce tibi Dionyſius, Criſpinus & Criſpinianus, qui & hîc, & in Fuſciani & Victorici hiſtoria ſocij dicuntur.

Vigeſimus quartus Ado Viennenſis in Martyrologio. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur, vt Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis, teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monimenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græci affirmant.* Sic quoſdam recentiores Græcos arguit, qui minùs periti à maiorum traditione, vt forſan Gallis gratificarentur, deſci-

Digitized by Google

uerant. Pauciora habet in libello de feſtiuitatibus Apoſtolorum & aliorum, qui Apoſtolis vicini fuerunt. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus, primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus.*

Sed pergamus. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandem Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum eo ſanctus presbyter Eleutherius, & Ruſticus diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.*

Vigeſimus quintus teſtis eſt Eccleſia Sancti Marij Badonenſis in Diœceſi Siſtaricenſi, cuius fuit Martyrologium MS. quod modò eſt in Bibliotheca Mazarina, & vbi ſic habetur: Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Deo, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus & ſub Adriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur, vt teſtatur Ariſtides in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.*

Digitized by Google

Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi. Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandem Pariſiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus à Præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum eo ſanctus presbyter Eleutherius & Ruſticus diaconus gladio animaduerſi martyrium compleuerunt.*

Vigeſimus ſextus teſtis eſt Metaphraſtes in vita S. Dionyſij: *Quendam ex iis*, inquit, *qui cum eo verſabantur, inclytum Lucianum, qui etiam presbyteri dignitate erat ornatus, miſit ad ciuitatem Inſulæ Beluacenſis prædicaturum pietatem.* Hæc ille quoque ex corruptis Methodij vel quorundam Gallorum commentariis falſus ſcripſit, & veterem traditionem interuertit. Sed cùm Lucianus ex iis manuſcriptis, quæ produxit Milletus, & ex aliis, quæ nos etiam produximus, ad Diocletiani ſeu Maximiani tempora referatur; Dionyſius Luciani collega nec eſt, nec eſſe poteſt Areopagita; ſic incerta ad certorum regulam dirigi neceſſe eſt. Non moror recentiores, qui Luciani vitam refinxerunt, & eum Areopagitæ diſcipulum contra octingentorum annorum traditionem fecerunt.

Ex nono & decimo ſæculo.

VI. Vigeſimus ſeptimus teſtis eſt Notkerus cognomento Balbulus in Martyrologio. Quinto Non.

Octob. *Natiuitas Sancti Dionyſii Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo ad fidem deductus, etiam primus Athenarum Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, & grauiſſimorum tormentorum genera martyrio coronatus eſt.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium paſſio Dionyſii Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano cauſa prædicationis in Gallias directus, Pariſiorum ciuitatem deuenit, vbi per aliquot annos miraculis fidem confirmantibus, cùm ad viam veritatis populos conuertere ſatageret, à Præfecto comprehenſus, cum Ruſtico & Eleutherio martyrio coronatus eſt.* Plures antea diſcriminis inter vtrumque Dionyſium notas animaduertimus, quas hoc in Martyrologio vnuſquiſque adhibere facilè poteſt.

Vigeſimus octauus Folcardus monachus Sancti Bertini in vita Sancti Audomari cap. VI. *Igitur*, inquit, *plebs Taruanenſis, licèt ante eius* (Audomari) *aduentum à beatiſſimi Martyris Dionyſii ſociis Fuſciano & Victorico verbum Dei accepiſſet eo tempore, quo egregius Chriſti martyr Quintinus apud Ambianenſes prædicabat.* At cùm Fuſcianus, Victoricus, & Quintinus ſub Maximiano martyres occubuerint, Dionyſius illorum ſocius Areopagita non fuit.

Vigeſimus nonus teſtis eſt Fulbertus Carnotenſis in hymno de S. Piato: *Tornacum verſus Piatus ſe direxit inclytus, cùm Pariſius iret Beatus Dionyſius.* infrà. *At Cæſar Maximianus vt Piati hauſit famam virulentis auribus, comprehendi iuſſit eum ad necandum protinus.* Hæc ille vir cum primis eruditus & Lutetiæ proximus, & ibi dum Cancel-

Digitized by Google

larius Roberti Regis fuit, diu multúmque commoratus, qui his de cauſis veras Pariſienſis Eccleſiæ traditiones ignorare non potuit. Neque verò ſolus Fulbertus, ſed etiam Eccleſia Carnotenſis Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita diſtinxit. Etenim in ſuis Calendariis ſuum vnicuique officium dedicauit. Lege Calendarium Miſſalis manuſcripti anno M. CCCCIX. quod in Pariſienſis Eccleſiæ ſacrario aſſeruatur. Quinto Nonas Octobris: *Areopagita.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum.* Calendarium Manualis Carnotenſis editi anno M. CCCCXC. vbi ſic habetur: Quinto Non. Octob. *Dionyſii Epiſcopi.* VII. Idus Octob. *Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum.* Calendarium idem rurſus editum anno M. DCIV. vbi ſic habetur: V. Nonas Octobris: *Dionyſii Epiſcopi & Martyris tres lectiones.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum.* quære tandem alia manuſcripta Calendaria, vnde hæc quæ adferimus, in lucem prodierunt.

Triceſimus teſtis eſt Letaldus monachus in prologo vitæ S. Iuliani Cenomanenſis: *Quod opus reuerendum potiùs, quàm iucundum dixerim, quia cum magna reuerentia grauitate dicenda & ſcribenda ſunt, quæ in conſpectu veritatis recitari debent, ne vnde Deus placari creditur, inde amplius ad iracundiam prouocetur, nihil enim ei placet, niſi quod verum eſt. Sunt autem nonnulli, qui dum attollere Sanctorum facta appetunt, in lucem veritatis offendunt: quaſi Sanctorum gloria mendacio erigi valeat, qui ſi mendacij ſectatores fuiſſent, ad ſanctitatis culmen nequaquam aſcendere potuiſſent. Dicenda ergo*

ſunt cum veritate, quæ veritas ipſa geſſit, quia ſi aliquis Patrum aliquod dicitur feciſſe miraculum, non illud homo, ſed Deus operatur. & poſt alia. *De tempore quidem, quo magnus ille* (Iulianus) *floruerit, ex lib. Gregorij Turonenſis per coniecturam ſumpſi, qui hiſtoriarum ſuarum libro* 1. *ſub Decio & Grato Conſulibus à Sixto Romanæ ſedis Apoſtolico plurimos Epiſcopos ordinatos aſſeruit, & in Gallias ad prædicandum verbum Dei directos. Porrò cùm Beatus Dionyſius à S. Gregorio ex eorum numero fuiſſe dicatur, & in geſtis glorioſi Patris Iuliani cum eodem Sancto Dionyſio prædicaturus veniſſe narretur; non dubium æſtimo, quin ſub Decio, Valeriano, Gratóque Conſulibus, & Sixto Romanæ ſedis antiſtite fuiſſe monſtretur.*

Duo hîc ſtudioſè pius ſcriptor exequitur: primò quidem antiquam de Dionyſio noſtro traditionem retinet; deinde Chriſtiana pietate inuehitur in eos, qui geſta Sanctorum adulterinis narrationibus corrumpunt, & falſis temporum notis conſignant. Quod ſtudij genus cùm laude dignum ſit, in eum Milletus temerè ſtomachatur in epilogo Reſponſionis.

Ex poſterioribus infra decimum ſæculis.

VII. Cvm alia multa ſunt; tum maximè tria, quæ non ſolùm in poſterioribus, ſed etiam in prioribus decimo ſæculis perpetuam de duobus Dionyſiis Eccleſiarum traditionem commonſtrant: vnum eſt publica in Eccleſiis Martyrologiorum lectio; alterum, celebris ad inuocandum Deum & eius Sanctos Litaniarum vſus & recitatio. Tertium, Calendaria plurium Offi-

ciorum Eccleſiaſticorum. Martyrologia priùs referamus.

Eccleſia Pariſienſis in veteri Martyrologio, quod ante annum MCCCCXLVIII. ſcriptum eſt, & in alio quod eodem anno exaratum quotidie legitur, hæc habet de vtroque Dionyſio. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Ecce tibi Dionyſius noſter comes Sancti Piatonis, qui ſub Maximiano martyr ad cælos euolauit. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſii Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis, in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Hic ille eſt Areopagita, cuius Ariſtides in apologia Chriſtianorum meminiſſe debuit.

Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequiens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Fuit qui ante annos non multos clam Eccleſia Pariſienſi, cùm hanc Dionyſiorum diſtinctionem moleſtè ferret, ex ſeptimo Idus hæc verba deleuit (*Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi*) & hæc alia inferiùs deſcripta in illo-

Digitized by Google

rum locum ſuffecit, (*Lutetia Pariſiorum natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Areopagita*) tum Lectorem notula quadam monuit, vt reliquum ad contextum rediret. Sed quoniam vir incallidus non expunxit, quæ Calendis Octobris de Dionyſio noſtro Piatonis comite, & quæ quinto Nonas de Areopagita dicuntur: hinc ignorantiæ ſuæ teſtimonium, inde idoneam adhuc diſcriminis inter vtrumque Dionyſium notam reliquit.

Inducta linea ſeu litura, cuius modò mentionem feci, vetabat quidem, ne quod ea notatum erat, inter horas canonicas diceretur, ſed non vetabat, ne omnino legeretur. At poſtquam anno M. DCXLII. factum illud obſeruaui, fuit idem vel alius, qui quod legebatur, factitia quadam aqua ſic deleuit, ſic obliterauit, vt nihil legi poſſit ampliùs. In loco vacuo vnicum malæ fidei ſupereſt veſtigium.

Eccleſia Sancti Germani Autiſiodorenſis, & Sancti Sepulchri in vrbe Pariſienſi, & Monaſterium Sancti Martini de Campis, Sancti Germani Pratenſis, Sancti Victoris, Monialium Sancti Antonij ad vrbem Pariſienſem, hæc legunt in Martyrologiis ſuis. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Digitized by Google

Monaſterium Sancti Dionyſij in Francia hæc habet in Martyrologio, quod olim publicè legebat, & quod Guido Abbas illius Monaſterij commentariis illuſtrauit tempore Philippi Pulcri. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*,&c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà. Hoc Martyrologium membratim inſertum eſt Sanctilogio Guidonis, quod in Bibliotheca Sancti Victoris aſſeruatur. Sed Guido gloſſas addidit textus corruptrices. Laudamus tamen Guidonem, quia nobis eſt capſarius & cuſtos antiqui Martyrologij.

Eccleſia Rotomagenſis, & Monaſterium Sancti Martini Pontiſarenſis, Sancti Taurini Ebroicenſis, & Beatæ Mariæ de Lira in Diœceſi Ebroicenſi, hæc habent in Martyrologiis ſuis. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij Diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Eccleſia Senonenſis, Auguſtodunenſis, Anicienſis, Andegauenſis, & Sancti Martini Turonenſis hæc habent in Martyrologiis ſuis. Calen-

Digitized by Google

dis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherÿ diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Eccleſia Sueſſionenſis, & Monaſterium Sancti Criſpini Maioris hæc habent in Martyrologiis ſuis. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Rúſtici presbyteri, & Eleutherÿ diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Porro Sueſſionenſis Eccleſia feſtum habet plurium Sanctorum, quorum reliquias Niuello Sueſſionum Epiſcopus Conſtantinopoli ſuſcepit anno M. CCV. & inter has reliquias è veteri Proceſſionali eiuſdem Eccleſiæ numeratur *caput Dionyſii Areopagitæ*. Qui autem caput illud dederunt, & qui ſuſceperunt, mortuum in Oriente Areopagitam credidêre. Vide caput XI. Diſcuſsionis.

Eccleſia Ambianenſis hæc habet in Martyrologio. Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis presbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primu*

Digitized by Google

apud Athenas Epiſcopus eſt ordinatus, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Monaſterium Sancti Ioannis Ambianenſis Ordinis Præmonſtratenſis hæc habet in Martyrologio. Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis presbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem conuerſus, tandem primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij presbyteri, & Ruſtici diaconi: Qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Monaſterium Pontiniacenſe in Diœceſi Autiſſiodorenſi, Monaſterium Beatæ Mariæ de Valle in Diœceſi Pariſienſi, Monaſterium Beatæ Mariæ de Marcilliaco in Diœceſi Auguſtodunenſi, & alia Ordinis Ciſtercienſis monaſteria hæc habent in Martyrologiis ſuis. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis presbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Epiſcopi & martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum, Dionyſij Epiſcopi,*

Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus, &c. vt ſuprà.

Præ ceteris Ciſtercienſis Ordinis Martyrologiis ſpeciatim notandum eſt illud, quod in monaſterio Beatæ Mariæ de Monchiaco Petroſo ad quintum ab vrbe Compendio milliarium vidi. Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis,* &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octob. *Natalis S. Dionyſii Areopagitæ & martyris, qui poſt clariſſimam fidei confeſſionem, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides, vir fide ſapientiáque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus,* &c. vt ſuprà.

Vniuerſus Ordo Fratrum Prædicatorum hæc habet in Martyrologio, quod includit Breuiarium eorundem anno M. CCLIV. deſcriptum, & Lutetiæ in Conuentus Sancti Iacobi Bibliotheca aſſeruatum. Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis,* &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Epiſcopi & Martyris,* &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum, Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus,* &c. vt ſuprà.

Monaſterium Beatæ Mariæ de Victoria, & Mo-

Monaſterium Beatæ Mariæ de Caroliloco in pago Siluanectenſi. Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, ſuiſque ſociis, ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſij Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Martyrologia Beatæ Mariæ Laudunenſis, Monaſterij Sancti Ioannis Laudunenſis, & Sancti Ioannis in Burgo Laudunenſi. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: qui beatus Epiſcopus*, &c. vt ſuprà.

Martyrologium Monaſterij Sancti Martini Laudunenſis. Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis presbyteri, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo, ſuiſque ſociis, ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum*: Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionyſii Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem Beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem Chriſti conuerſus primus eius ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus, qui poſt clariſſimam confeſſionem, & grauiſſima tormentorum genera martyrio coronatus eſt*. Septimo Idus Octobris: *Pariſius natale Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi, qui à Beato Clemente Pa-*

pa in Gallias prædicandi gratia directi apud præfatam vrbem à Præfecto Feſcennino ob commiſſi ſibi operis inſtantiam gladio animaduerſi ſunt.

Hîc notandum eſt, exſcriptorum vitio tribuendum eſſe, quòd in quibuſdam Martyrologiis ad ſeptimum Idus nomen Clementis Papæ irrepſerit: ſed vt tollatur tanquam aduentitium, duo faciunt: vnum eſt vindicatus Vſuardi textus, qui Clementis Papæ nomen non habet; alterum, inita Dionyſij cum Piatone ſocietas: vt enim Piato, quem Maximianus necari iuſſit, ſic & Dionyſius Piatonis collega, non potuerunt ambo à Clemente mitti.

Hæc pauca de multis cùm editis, tum manuſcriptis Martyrologiis, quæ ſimilia ex aliis Galliarum Eccleſiis produci poſſunt; ſed ea nunc ad demonſtrandam traditionis perpetuitatem ſufficiunt.

Reliquum eſt modò, vt videamus, an Martyrologium illud, quod Bellinus Patauij edidit ad vſum Romanæ Eccleſiæ, cum noſtris Gallicanis conueniat. Hæc igitur habet: Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri, & Martyris, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis,* &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natale Beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris* &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi. Qui beatus Epiſcopus,* &c. vt ſuprà.

De huius verò Martyrologij editione & vſu hæc tradit Scardæonius libro II. Antiquitatum Patauij claſſe VII. *Bellino non modica laudi fuit*

editio & correctio Martyrologij, quod olim pro ſua raritate in Choris tantùm & Conuentibus publicè legeretur, nunc huius opera factum, vt ab omnibus legatur. Hæc duorum Dionyſiorum diſtinctio vſque ad Gregorium XIII. durauit, ſub quo Galeſinius ex duobus vnum conflauit: de ceteris Eccleſiæ Romanæ officiis vide cap. XIV. Diſcuſſionis.

Ceterùm vt Vſuardus ex præcedentium Patrum Martyrologiis & ſcriptis mutuatus eſt, quæ de vtroque Dionyſio ſcripſit, ſic & complures Occidentis Eccleſiæ Vſuardi Martyrologium fecerunt ſuum, & vtriuſque Dionyſij diſtinctionem publico vſu aſſertionéque confirmarunt. Ex quo fit, vt diſtinctio vtriuſque Dionyſij cum approbatione orbis ferè totius octo ſæcula integra ſteterit, nemine per antiquiorem traditionem contrà mutiente, quia nulla ratio vel auctoritas emergebat, quæ cum omni retrò memoria pugnaret. Cui rei per imprudentiam aſſentitur Milletus, vbi quæſitam ex Vſuardo rationem conatur eludere in Reſponſione ad caput III. Diſſertationis paragrapho I. *Vnius*, inquit, *aſſertur Vſuardi textus ferè in omnibus Eccleſiis lectitari ſolitus, quod Molanus in ipſa fronte Martyrologij Vſuardi à ſe editi, ſic teſtatur: Martyrologium Vſuardi, quo Romana Eccleſia, ac permulta alia vtuntur.* Vide caput VI. Diſſicuſſionis.

Quod autem pertinet ad Litanias, quæ antiquiſſimum in Eccleſia precationum genus eſt, in iis Dionyſius noſter martyribus non præponitur, qui ante Aurelium Imperatorem paſſi ſunt, & inter eos ferè ſemper collocatur, qui ſub

Digitized by Google

Maximiano & Diocletiano Chriſti fidem ſuo ſanguine conſecrarunt. E multis Litaniis paucas ad ſpecimen exhibeamus.

Eccleſia Lugdunenſis poſt Laurentium, Vincentium, & Mauricium collocat Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Rotomagenſis, Baiocenſis, Abrincenſis, Ebroicenſis, Sagienſis, Lexouienſis, & Conſtantienſis poſt Laurentium, Vincentium & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Turonenſis, Redonenſis, Andegauenſis, Nannetenſis, Maclouienſis, & Venetenſis poſt Laurentium, Vincentium, Mauricium, & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Autiſſiodorenſis, Niuernenſis, & Trecenſis poſt Sixtum, Laurentium & alios martyres collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Sueſſionenſis, Nouiomenſis, *Silua*nectenſis, Bellouacenſis, & Ambianenſis poſt Laurentium, Cyprianum & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Bituricenſis, Claromontenſis, Mimatenſis, Anicienſis, & Lemouicenſis poſt Sixtum, Laurentium & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Aquenſis, quæ caput eſt ſecundæ Narbonenſis, poſt Laurentium, Cyprianum & alios collocat Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Atrebatenſis poſt Laurentium, Fabianum, Sebaſtianum & alios collocat Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Pariſienſis, Carnotenſis & Aurelianenſis poſt Laurentium, Vincentium & alios

collocant Dionyſium cum ſociis.

Hîc ſiſto gradum in Pariſienſi Eccleſia, quæ ceteris, ſi aliter Dionyſium collocant, legem in rebus ſuis iure præſcribit. Ergo Litaniæ illæ quarum modò meminimus, quandiu per Galliarum Eccleſias decantabuntur, tandiu remanebunt argumenta traditionis inuictæ, qua Dionyſium Pariſienſem ſub Maximiano paſſum conſtabit. In his autem argumentorum generibus meminiſſe lector ſemper debet: Quæ non proſunt ſingula, multa iuuant. Vide caput XVII. Diſcuſſionis.

Nunc ad Calendaria veniendum eſt.

Calendarium antiqui Breuiarij ad vſum cuiuſdam è ſecunda Belgica Eccleſiæ, quod in memorati Prædicatorum Conuentus Bibliotheca hodiéque ſeruatur, duos diſtinctos Dionyſios, diſtinctáque Officia ſic conſignat. Quinto Nonas Octobris: *Dionyſij Martyris memoria.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſij Martyris, ſociorúmque eius Martyrum duplex.*

Calendarium Antiphonalis cuiuſdam Ambianenſis, quod aliàs vidimus Lutetiæ in veteri Bibliotheca Collegij Choletæorum, duos pariter Dionyſios diſtinguit. Quinto Nonas Octobris: *Dionyſii Areopagitæ fit.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſii Martyris, ſociorúmque eius.* Prioris Dionyſij memoria nigro, poſterioris rubro charactere ſignatur.

Calendarium Foroiulienſis Eccleſiæ. Quinto Nonas Octobris: *Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi & Martyris.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum.*

Digitized by Google

Calendarium Aquenſis Eccleſiæ. Quinto Nonas Octobris : *Dionyſij Epiſcopi & Martyris.* Septimo Idus Octobris : *Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum.*

Calendarium Petragoricenſis Eccleſiæ. Quinto Nonas Octobris : *Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi, tres lectiones.* Septimo Idus Octobris : *Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici, & Eleutherij, duplex.*

Hæc omnia Calendaria manu exarata ſunt, & tempus artis typographicæ antecedunt.

Calendarium Romani Breuiarij Venetiis editi anno M. CCCC. XXCII. Quinto Nonas Octobris : *Dionyſij Epiſcopi & Martyris.* Septimo Idus Octobris : *Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri, & Eleutherij diaconi, Martyrum.*

Calendarium Manualis Briocenſis Eccleſiæ, quod ante annos centum editum eſt. Quinto Nonas Octobris : *Sancti Dionyſii Epiſcopi, & Martyris tres lectiones.* Septimo Idus : *Sanctorum Dionysij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij Martyrum.*

Calendarium Ordinarij Narbonenſis Eccleſiæ, quod Toloſæ typis mandatum eſt anno M. DXLV. duos quoque Dionyſios ſecernit. Quinto Nonas Octobris : *Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi & Martyris tres lectiones.* Septimo Idus Octobris : *Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum, nouem lectiones.*

Calendarium Eccleſiæ Venetenſis in Armorica, quod excuſum eſt anno M. DXCVI. duos cum aliis Dionyſios repræſentat. Quinto Nonas Octobris : *Dionyſij Epiſcopi & Martyris commemoratio.* Septimo Idus Octobris : *Dionyſij, ſo-*

Digitized by Google

eiorúmque eius Martyrum ſemiduplex.

Adiungo vetus Maſſilienſis Eccleſiæ Breuiarium, in quo ſic habetur: Quinto Nonas Octobris. Lectio II. *Natalis Sancti Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Hadriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur.*

Lectio III. *Vt Ariſtides Athenienſis vir fide ſapientiáque mirabilis teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.*

Deinde: Septimo Idus Octobris: Lectio I. *Sanctus igitur Dionyſius, qui tradente Beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore verbi diuini ſemina, gentibus parturienda ſuſceperat, quo ampliùs gentilitatis feruere cognouit errorem, illic intrepidus & calore fidei flammatus acceſſit, & ad Pariſium Domino ducente peruenit.*

Ex his autem tria colliguntur: inprimis alius eſt Dionyſius Areopagita, alius Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus; hoc diſcrimen vltro ſeſe obiicit: deinde luculenter confirmatur inconſequens philoſophandi ratio, qua Milletus & Menardus concludunt miſſum à Clemente Dionyſium fuiſſe Areopagitam. Tum lectiones, quæ in feſto B. Dionyſij Areopagitæ habentur, ex Adonis Martyrologio deſumuntur. Quæ verò in feſto B. Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi recitantur, ex eius actis, quæ circa tempus Caroli Ma-

Digitized by Google

gni concinnata & fabulis aſperſa ſunt. Hîc non repeto, quæ in Iudicio de Hadriani Valeſij Diſceptatione in hæc acta animaduerti obſeruatione xx. Ceterum Breuiarij huius excerpta miſit ad me Baltaſar Viaſius vir genere nobilis, ſed virtute adhuc & eruditione nobilior, qui & ab anno M. DCXV. quo generalibus regni Comitiis interfuit, intereſt poſteritati ſuæ & gloriæ ſuperuiuit.

Sententiæ de duobus Dionyſiis conditiones veræ ac legitimæ traditionis conueniunt.

VIII. Quæ tria potiſſimùm conſueuerunt ad veræ traditionis aſſertionem deſiderari, illa certè in noſtra de vtroque Dionyſio ſententia perfectè reperiuntur. Primum eſt, vt de eo, quod in traditione poſitum contenditur, diuerſis & temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui in teſtes producantur. Alterum, vt ſcriptores illi, niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conueniant in teſtimonio, quod de re tradita perhibent. Tertium, vt iidem ſcriptores ad primam rei geſtæ originem, quæ caput veritatis eſt, continuâ ſerie reducantur. At nulla ex his tribus veræ traditionis conditionibus nobis deeſt: Non prima quidem, cùm & celebrium ſcriptorum auctoritates, & diuerſarum Eccleſiarum Martyrologia, Litaniæ & Calendaria teſtentur, permultos fuiſſe exploratæ fidei viros, qui vtriuſque Dionyſij, Pariſienſis & Athenienſis, diſcrimen memoriæ prodiderint. Non ſecunda, cùm illi ſcriptores non

Digitized by Google

ſenſu tantùm, ſed iiſdem aliquando ferè verbis vtrumque Dionyſium deſignent Pariſienſem, & Athenienſem: hunc ſine ſociis, illum cum ſociis: hunc diuerſis afflictum tormentorum generibus, ſed inexploratis; illum certo cruciatum ſupplicio, capitis ſcilicet obtruncatione: hunc paſſum Athenis, illum Pariſiis, qui & inſuper Piatonis ſocius Areopagita eſſe non potuit. Non denique tertia, cùm quæ de vtriuſque Dionyſij diſtinctione teſtimonia laudauimus, non ſiſtant in Adone, vel in Vſuardo, vel in Beda, vel tandem in veteri Romano Martyrologio, ſed & inoffenſo pede vadant ad Gregorium Turonenſem, & ad vetuſtiorem Gregorio hiſtoriæ Saturnini Martyris auctorem, qui Dionyſij Pariſienſis martyrio æqualis, aut ſuppar ex fideli æqualium recordatione ſcripſit, eundem Dionyſium ſub Decio in Galliam veniſſe, ac poſtea diuerſis pro Chriſto affectum pœnis capite cæſum fuiſſe. Quæ omnia multum ponderis accipiunt à Gregorio, qui vicinus cùm eſſet Pariſiorum, & in hac vrbe frequenter verſaretur, Eccleſiæ Pariſienſis fidem de ſuo Dionyſio ac traditionem ignorare non potuit.

Contrariæ opinioni deſunt veræ ac legitimæ traditionis conditiones.

IX. Cùm vnius rei veritas vna ſit, nemo dubitat, quin, ſi veræ traditionis conditiones noſtræ ſententiæ conueniant, oppoſitæ deſint, vti locupletioris doctrinæ cauſa demonſtramus.

Digitized by Google

Prima eáque præcipua deeſt, cùm nullus ante Carolum Magnum exploratæ fidei ſcriptor ſit, qui Dionyſium Areopagitam cum Pariſienſi eundem eſſe aſſeruerit. Quod ex multis conſtat, atque adeo ex ipſius aduerſarij ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis Reſponſione, in qua nullum adduxit auctorem, qui ante annos octingentos eundem eſſe tradiderit Dionyſium Pariſienſem atque Areopagitam. Neque alia in medium profert, quæ æſtimatione tantundem valeant; citat quidem Bedam, qui miſſum à Clemente Dionyſium affirmet, ſed falsò & contra Hilduinum & ſeipſum in Vindiciis, vbi queritur, Vſuardum à Beda mendum de duobus Dionyſiis contraxiſſe, tum ex hac miſſione non ſine turpi inconſequentiæ vitio legatum Areopagitam concludit. Citat etiam nonnulla Martyrologia, vbi vnicus tantùm eſt Dionyſius ad ſeptimum Idus Octobris, ſed qui nec Areopagita, nec Athenienſis, nec ab Apoſtolo Paulo conuerſus dicatur. Quinetiam muta cùm ſint Martyrologia, eloquentiſſimam illis vocem dabunt alia, quæ hoc capite protulimus affluenter. In Vindiciis verò citat geſta Dagoberti Regis, Hymnum Fortunati de Sancto Dionyſio, hiſtoriam Eugenij Archiepiſcopi Toletani & Martyris, Monaſterium Græcorum ab Stephano Papa conditum in honorem Areopagitæ, & vitam beatæ Genouefæ, quæ eſt in Codice M S. Sancti Victoris. Sed iſta omnia tam euidentis impoſturæ conuicimus in Iudicio de Areopagiticis Hilduini, vt in Vindiciarum defenſione nihil eorum aduerſarius vindicarit. Qua etiam de re antecedens caput legatur.

Digitized by Google

Secunda deeſt; cùm primi opinionis aſſertores inanibus omnino & abſurdis ſe dictis implicent: Hilduinus Areopagitica & vitam Dionyſij adeò vitiosè ſcripſit, vt non priùs legas, quàm repudies. Aduerſarius ipſe indefenſa atque inulta reliquit, quæ in illius ſcriptis redarguimus. Methodius & Metaphraſtes ſic Dionyſij miſſionem cum Luciani Bellouacenſis, & Saturnini Toloſani miſſione confundunt, vt nobis potiùs, quàm aduerſariis ſuffragentur, vt capite IX. num. IV. vidimus. Enimuerò Milletus pro ſua clementia tribus illis athletis grauiſſimam inurit notam, quòd Areopagitæ martyrium ſub Domitiano locarint, ſed inofficioſam cenſuram eleuant ſtudia partium, quibus mauult ab auctoribus ſuis diſſentire, quàm cum Sirmondo conuenire.

Hincmarus pro Areopagita *Græcam teſtificationem, Sanctæ Romanæ ſedis atteſtationem, & Gallicanam conteſtationem* in epiſtola ad Carolum laudat, ſed planè fruſtrà. Etenim *Græcorum teſtificatio* ad Methodium, qui Dionyſij vitam ex Hilduini commentariis magna ex parte ſcripſit: *Romanæ ſedis atteſtatio* ad Anaſtaſium Bibliothecarium, qui vitam Dionyſij à Methodio Græcè ſcriptam latinitate donauit: *Gallicana conteſtatio* ad Hilduinum & eius ſocios reducenda eſt: *Recognoui*, inquit Hincmarus, *his, quæ ibi ſcripta ſunt, ea, quæ in adoleſcentia legeram conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij Beati Dionyſij ſociorúmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad Græcorum notitiam peruenerint.* Quæ cùm ita ſint, ad vnum Hilduinum vt ad principem

erroris fontem omnia meritò reducuntur. Poſtea ſcriptores non pauci rem ab Hilduino traditam potiùs receperunt, quàm cùm aliud fortè agerent, ex certis inueniendi aſſerendíque veri legibus examinarunt. Vbi & ſedulò aduertendum eſt, partem eorum maximam duobus abhinc ſæculis vixiſſe, qui vel ex Breuiariis ſuis à prima traditione recedentibus, vel ex Hilduiniana Areopagitæ hiſtoria, vel ex corruptis Martia*lis* Lemouicenſis, Auſtremonij Aruernenſis, Saturnini Toloſani, Luciani Bellouacenſis, Reguli Siluanectenſis, & Eugenij martyris geſtis mutuati ſunt, quæcunque de aduentu Areopagitæ in Gallias ſcripſerunt.

Tertia veræ traditionis conditio non poteſt non deeſſe, cùm deſit prima, ex qua omnino pendet. Etenim cùm ante Carolum Magnum nullus ſcripſerit, Dionyſium Pariſienſem eundem eſſe cum Areopagita, fieri quî poſſet, vt teſtes aduentus Areopagitæ in Galliam ad primum vel alterum, tertium vel quartum, quintúmve ſæculum continuâ ſerie reducerentur?

Declamator Samblacatus dignus non eſt, qui hîc audiatur. In prima Palladij editione traditionis ſuæ epocham conſtituit in Stephano III. ſed, vt oſtendimus, mendacem. Romanum quippe monaſterium, quod ait ab Stephano conditum, non Stephanus, ſed Paulus Stephani ſucceſſor à fundamentis ædificauit, vt Paulus ipſe docet in epiſtola ad Ioannem Abbatem, & Anaſtaſius in eiuſdem Pauli vita. Tum qui monachi ex fundatoris inſtituto Græcæ pſalmodiæ vacarent, (vnde ſchola Græcorum dici potuit) ab

Digitized by Google

interpretibus non bonis facti ſunt Areopagiticæ opinionis fautores. Quod næniarum genus in monaſterio Sancti Dionyſij fabricatum eſt.

Deinde Declamator idem in altera Palladij editione duo fabulatur; vnum, inchoatum fuiſſe ab Stephano monaſterium, quod contrà Paulus Stephani ſucceſſor à fundamentis erexit. Sed id cum aliis eò fabulatur, vt ab Stephano recuperatæ apud Sandionyſiacum monaſterium valetudini additum vero falſum conueniat. Quo autem fine Paulus monaſterium illud extruxerit, ipſemet ſignificat in memorata epiſtola, ex cuius lectione Declamator ſupinitatis vel fraudis reuincitur.

Alterum, *Giſlenum Athenienſem Epiſcopum, qui vt iter laboréſque Areopagitæ obiret, ſucceſſorem Athenis ordinaſſe, Romam profectum eſſe, tum in Galliam iter inſtituiſſe, vt exemplo deceſſoris fidem ibi prædicaret, & flagrantiore in dies Areopagitæ cultu temporibus Dagoberti & Clodouei illius reliquias viſeret & adoraret.* Hæc ille, quæ alij multo doctiores Areopagitici rectè ignorarunt, quia nulla veritate nituntur, aut cognita tanquam aniles fabulas reiecerunt. Atque ita hanc obſeruationem contemptus aliorum fecit in Declamatore ſingularem. Verùm hic homo vt ſuo immoriatur puri ſinamus, illius in ſcribendo ἀκρίβειαν mittamus, & in exploranda ſuis legibus hiſtoricarum rerum veritate indiligentiam.

Aſſertum traditione diſcrimen confirmatur viâ negationis.

X. Hactenus affirmationis viâ per lineam Eccleſiaſticæ traditionis oſtendimus, Dionyſium Pariſienſem ab Athenienſi ſecerni; nunc viâ negationis affirmatum diſcrimen confirmemus.

Inprimis id euincitur Sulpitij Seueri teſtimonio, quod antea ſartum tectúmque habuimus. Nam ſi martyres Gallia Marco Aurelio vetuſtiores nullos vidit, & aliunde Dionyſium Pariſienſem in Gallia paſſum nemo neſcit, profectò liquet diuerſum ac poſteriorem Areopagita fuiſſe. Quod argumenti genus plurimùm à Fortunato conſtabilitur lib. VIII. poëm. cap. IV: vbi nonnullos cupidè prædicat, qui illuſtriori martyrio vel confeſſione è Gallia in cælum euolarunt, & inter martyres non Creſcentem, vel Zachariam, ſed Ferreolum Viennæ tribuit.

Ferreolum, inquit, *pariter pulchra Vienna gerit;* vide caput primum Diſcuſſionis.

Secundò. Ante Carolum Magnum Græcis omnibus ac Latinis ignota eſt Areopagitæ in Galliam migratio, ſeu vt Pariſienſem Eccleſiam fundaret, ſeu vt varias Occidentis prouincias Euangelica face luſtraret; quemadmodum loquuntur. At fuiſſet migratio illuſtriſſimi Athenienſium Epiſcopi celebrior, quàm vt eam per tot annos obruiſſet ſilentium omnium ſcriptorum. Vide cap. XII. Diſcuſſionis.

Tertiò. Sardicenſis Synodus canone primo aſſerit, nullum ad illud vſque tempus inuentum

Digitized by Google

fuiſſe Epiſcopum, qui de maiori ciuitate ad minorem tranſiiſſet. Sed Apoſtolorum ætate Athenis tranſire Lutetiam, idem eſt atque nunc dierum Lutetia Meldas immigrare. Et fortè multò minùs, cùm ad annum Chriſti CCCLX. Lutetiam Iulianus Cæſar πολίχνην, & Ammianus Marcellinus *Caſtellum Pariſiorum* appellent. Quod Methodius, Metaphraſtes & Syngelus teſtes aduerſariis omni aliquando exceptione maiores ſignificant. Nam Methodius Lutetiam vocat μικρὰν πόλιν, Metaphraſtes, κάλλει μὲν καὶ μεγέθει, καὶ πλήθει, τῶν ἐν αὐτῇ πολύ τι τῶν μεγάλων πόλεων ἀπολειπομένην. Syngelus πολίχνην. Vide caput XII. Diſcuſſionis num. V.

Quartò. Qui Pontifices aliíve ante Carolum Magnum laudarunt Areopagitam in Conciliis vel alibi, eum Athenienſem Epiſcopum & Martyrem, non Pariſienſem appellarunt. At Epiſcopum poſt ſuam migrationem, & alterius in locum migrantis inſtitutionem, non à prima, quam deſeruit, ſed à ſecunda ſede, quam occupat, appellari conſtantiſſima Eccleſiæ traditio eſt. Vide caput XIII. Diſcuſſionis.

Quintò. Ioannes Erigena non antiquos ſed recentiores illos appellat, qui aſſerunt, Dionyſium Pariſienſem eundem eſſe cum Areopagita, & aliunde irridet Hilduinum & alios, qui tunc contrarium ſcriptis commendarunt. Vide cap. VIII. Diſcuſſionis.

Sextò. Areopagitæ non meminerunt Pelagius II. epiſtola I. Adrianus II. epiſtola XXVII. ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis, & Stephanus VI. epiſtola I. vbi Epiſcopalium tranſlationum

Digitized by Google

neceſſitatem expendunt, & illam Beati Petri & aliorum exemplis confirmant. Non meminit Auxilius, qui, vt accuſatum Formoſum Papam, quòd relicto Epiſcopatu Portuenſi, ad Romani apicem nouo more conſcendiſſet, tueatur, quæcunque poteſt & nouit, Epiſcopalium tranſlationum exempla congerit in libello, quem ad Leonem Nolanum Epiſcopum ſcripſit. Non meminit Iuo Carnotenſis Epiſcopos in Decreti ſui prologo recitans, qui ab vna ſede in aliam tranſierant. At rem tanti momenti tractantes Pelagius, Adrianus, Stephanus, Auxilius & Iuo, ſi nota & vera fuiſſet Areopagitæ migratio, illius meminiſſent quàm libentiſſimè: aut dicant nobis, cur non meminiſſent, cùm præſertim inter Latinos frequentes Epiſcoporum ab vna Eccleſia in aliam tranſitus non occurrerent. Scilicet nondum ab Hilduino & aliis ficta erat Areopagitæ in Gallias migratio, vel fictam viri veritatis amantes ſuis auctoribus reliquerunt, ne ſplendidum & legitimum iuxtà ſcribendi argumentum figmentorum obſcuritate fuſcarent. Sed ſapientium ſcriptorum veſtigia premere cùm Milletus & fœderati renuant, rem profectò faciunt, cui nunquam ab æquis iudicibus adſcribetur bonum factum.

Abnutiua ſunt iſta non ſimplicia quidem, ſed vt ſic dicam, coniuncta, quæ ex variis rerum, locorum, temporum, & perſonarum circunſtantiis æquiparantur dicentium aſſeuerationi.

Hæc cùm ita ſint, duplici viâ, qua ſeſe ſuſtentat Eccleſiæ traditio, Dionyſium Pariſienſem ab Athenienſi diſtinximus, ſempérque fuiſſe diſtinctum

ctum oſtendimus, rudi quidem, ſed vera oratione. Quod nobis ſufficere docet Iſidorus Peluſiota epiſt. LXIV. lib. II. *Veritas*, inquit, *omnibus artibus & diſciplinis ornamentum adfert, quæ ſi abſit, omni ornatu & elegantia carent.*

Huic capiti Menardus vt reſpondeat, in capite XIX. Diatribæ ſuæ omittit vnum, quod omittere non debuit, & præſtat duo, quæ vir Catholicæ communionis præſtare non debuit. Chriſtus dixit, *ab operibus eorum cognoſcetis eos.*

Ego methodum tradideram, qua meo iudicio traditiones falſæ à veris diſcernerentur. Hanc ex Patribus Irenæo, Tertulliano & aliis collegeram. Ea Menardo non placet, & quia non placet, meliorem tradere debuit, qua ſi quod falſi & veri diſcrimen habet apud Chriſtianos, traditiones falſæ à veris apprimè diſtinguerentur. At methodum nullam tradidit, ne traditiones opinor veræ agnoſcerentur.

Deinde traditionem falſam vocat eam, quam modò per ſæcula & auctores digeſſi, nec aliam ei pari modo digeſtam obiicit.

Tum eas traditionis noſtræ teſtibus reſponſiones adhibet, quibus Eccleſiæ Catholicæ de fidei dogmatibus, & morum inſtitutis traditiones fere omnes conuellantur. Vnuſquiſque ſelecto Catholico dogmate vel inſtituto, periculum facere poteſt. Hoc in me recipio & ſpondeo. Quod ille paginis XVIII. exequitur ego non refero, nec vt referam, è re puto eſſe Eccleſiæ, ne pluribus in locis extet, quod nuſquam extare deberet. Fecerit hoc Menardus de induſtria, vel imprudenter, neſcio, impruden-

Cc

ter peruelim credere. Sed Tertullianum dixiſſe ſcio: *Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr lapſus à regula fuerit, ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere. Ex perſonis probamus fidem an ex fide perſonas?* Deinde ſcio Menardum nomen occultaſſe ſuum, quo licentiùs ſcriberet, & decretum apud ſuos effatum atque oraculum fudiſſe, quo Patrum de traditionibus ſacris teſtimonia repellantur. *Sed vrget* (inquit in capite IV.) *aduerſarius: Scriptor paſſionis Sancti Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur. Quid tum? An non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere: Quomodo internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in ore hominum verſatur? Quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is qui ſcribit, non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama?*

CAPVT XX.

Ad præcedentem Diſcuſſionem mantiſſa.

IN hoc capite vt cumulus accedit demonſtratio methodi, quam Hugo Menardus in hiſtoricarum quæſtionum tractatione ſeruat.

Antiquiſsimos Eccleſiaſticarum traditionum teſtes reiicit.

I. SVLPITIVS Seuerus, auctor vitæ Sancti Saturnini martyris, & Gregorius Turonenſis tres

ſunt Eccleſiaſticarum traditionum teſtes antiquiſſimi & maximè idonei, quos reiicit, vt deinceps aliàs obſcuros & ignobiles admittat. Hoc genus artificij detegunt veteres magiſtri duo, Tertullianus & Phœbadius Agennenſis Epiſcopus. Ille in libri II. contra Marcionem cap. I. *Non poterat ædificare mendacium ſine demolitione veritatis. Aliud ſubruere neceſſe habuit, vt quod vellet, extrueret, ſic ædificat, qui propria paratura caret.* Hic in libro contra Arianos: *Mendacium adſtrui, niſi deſtructa veritate, non poteſt.* Menardus non diſſimili fretus conſilio ſcribit quæ ſequuntur in capite XIX. Diatribæ ſuæ: *Diſploſa Diſcuſſoris traditione ei breuiter noſtram opponamus; non quidem diſtinguendo ſæcula, cùm lector facilè cognoſcere poſſit, quo quiſque auctor à nobis citandus tempore vixerit: primò ergo occurrit æqualis Sancti Dionyſij conſcriptio Viſbij, quam citat Hilduinus.* Sed placet audire Hilduinum, qui Ludouico Pio imperante claruit: *Qui curioſiùs ſcire,* inquit, *voluerit* (eundem eſſe Dionyſium Pariſ. cum Areopagita) *vt de multis quoſdam deſignemus ex nomine, Euſebij Cæſarienſis hiſtoriam & Ariſtarchi Græcorum Chronographi ad Oneſiphorum primerium epiſtolam, & Viſbij conſcriptionem perquirat & relegat.* En auctores numero tres, Euſebius, qui de quæſtione propoſita nihil ſcribit, Ariſtarchus & Visbius; quos nullus præter Hilduinum vidit. Hilduinus imponit Euſebio quem legere poſſumus. Quid igitur non imponet Ariſtarcho & Visbio, quos legere non poſſumus, & qui forſan nihil ſcripſerint? Præterea neſcitur, an vnquam fuerit auctor vel etiã homo nomine Visbius. Me-

Digitized by Google

nardus pergit: *Deinde acta beati Sanctini Meldarum Epiſcopi, quæ Gregorio Turonenſi antiquiora eſſe probauimus.* Nempe in capitis IX. numero I. vbi ſic habetur: *Verum eſt igitur paſſionem Dionyſij per Gallos Romanis, & per Romanos Græcis innotuiſſe. Sed quo tempore: id ex citata Hincmari epiſtola facilè conſtat, nempe Anacleti Papæ. Cùm enim Sanctus Dionyſius Areopagita ſibi necem à paganis impendere præuideret, beatos Sanctinum Meldenſium Epiſcopum, & eius ſocium Antoninum ſucceſſorémque accerſiuit, eóſque rogauit, vt tormenta ſua genúſque mortis obſeruantes poſt mortem ſuam Romam peterent, eáque Romano Pontifici ceteriſque eiuſdem vrbis fidelibus narrarent, eóſque depoſcerent, vt Athenienſium ciuibus ea nota facerent, quibus libenter paruerunt.* Ecce tibi quæ ab eminentiſſima veterum Chriſtianorum ſimplicitate ſic abhorrent, vt nihil magis abhorrere poſſit: deinde loquitur de actis S. Sanctini, quem nec vetus nec hodiernum Romanum, nec Vſuardi, nec Rabani, nec Adonis Martyrologium vindicat. Tum hæc omnia deſtruunt Hilduinus, Hincmarus, Paſchaſius, Radbertus & alij, qui Dionyſium Areopagitam ſub Domitiano paſſum eſſe ſcribunt; hoc eſt annis pluribus, antequam Anacletus Romanam Eccleſiam gubernaret. Poſtremò accedit octingentorum annorum ſilentium, quod Menardi narrationem obruit.

Antiquitatem inſulſis artibus affectat.

II. Hæc affectatio cùm ex aliis, tum ex eo

liquet præcipuè, quòd ſcribat Dionyſium martyrij candidatum magnam dediſſe operam, vt acta futuri certaminis Romam, deinde Roma Athenas mitterentur, & fidelibus omnibus commendarentur. Sed hæc eſt ſapientia affectatrix & interpolatrix veritatis, vt Tertullianus loquitur, qua Menardus edoctus ab eo cuius partes ſunt interuertendi veritatem, audet ſe interſerere antiquitati, & certam aſſerendæ traditionis rationem fraudulenter æmulatur. Quò ſanè nonnihil ſpectat illud Vincentij in Commonitorij capite XI. *Qui ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinantur, captant plerumque veteris cuiuſpiam viri ſcripta paulò inuolutiùs edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, vt illud neſcio quid quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſcribere videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam iudico, vel ex eo quòd hæreſeos venenum propinare aliis non pertimeſcunt, vel ex eo etiam, quòd ſancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſopitos iam cineres profana manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant. Sequentes omnino veſtigia auctoris ſui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam ceteris enunciauit.* Hilduinus & Hincmarus, Milleti & Menardi parentes ſunt, quos à liberis ſuis parem cum Noë conſecutos eſſe gratiam nemo non videt.

Poſteriora prioribus anteponit.

III. De tempore, quo Martialis Lemoui-

Digitized by Google

cenſium Epiſcopus venit in Galliam, opiniones ſunt duæ, vetus vna, quæ Martialis aduentum ſub Decio, recens altera, quæ ſub Nerone conſignat. Opinionem primam ex fideli recordatione tradit auctor paſſionis Sancti Saturnini, qui ducentos ſupra mille annos vixit. Hanc poſtea Gregorius in libro 1. Hiſt. confirmat, oppoſitam ſine dubio infirmaturus, ſi ea tunc emergere atque exiſtere cœpiſſet. Menardus recentem opinionem amplectitur, recentem appello, quæ poſt Caroli Magni Imperium nata eſt.

De Luciani Bellouacenſis epocha ſunt opiniones quoque duæ; vetus vna, quæ Lucianum ſub Maximiano Imp. collocat; recens altera, quæ eundem à Clemente miſſum facit, atque adeò ſub antiquioribus Maximiano Imperatoribus ponit. Audoenus Rotomagenſis primam tradit in vita Sancti Eligij, vbi ex communi & recepta, vt par eſt credere, memoria Lucianum Quintini collegam appellat. Hanc opinionem ſuſtentant veterrima Fuſciani & Victorici acta, quæ Franciſcus Boſquetus in lucem emiſit. Menardus recentem opinionem ſequitur, recentem voco, quam ille ipſemet ad tempus Caroli Calui reuocat.

In antiquarum traditionum diſcuſſione & iudicio incerta certis anteponit.

IV. E multis, quibus rerum ab origine ſua remotarum veritas peſſundatur, occurrunt incerta, dum certis anteferuntur. Hoc Menardus cùm peruideret, incerta certis anteponit. Et

Digitized by Google

primùm incertam Eutropij martyris epocham ſic exponit Gregorius in libri I. de Miraculis capite LVI. *Eutropius quoque martyr Sanctonicæ vrbis à beato Clemente Epiſcopus fertur directus in Gallias.* Menardus incertam hanc epocham anteponit ſecundis cogitationibus Gregorij, qui in libro I. Hiſt. recenſitis Chriſtianorum vexationibus martyrem in Gallia nullum ante M. Aurelij principatum ſtatuit. Neque enim Eutropium difficiliùs, quàm Iacobum fratrem Domini, Marcum, Stephanum, Clementem Romanum, Simeonem Hieroſolymitanum, Ignatium Antiochenum commemorauiſſet. Incertam Eutropij martyris epocham anteponit certæ Gallicanorum martyrum epochæ, quam Sulpitius Seuerus ſub M. Aurelio defigit. Qui & ipſe cùm eſſet vicinus Sanctonum, Eutropij martyrium tacuiſſet nunquam, aut ea profectò non tam expreſsè dixiſſet, quibus Eutropij martyrium à Domitiani vel Traiani tempore remoueretur.

Deinde Gregorius non minùs incertam ponit Saturnini martyris epocham in libri I. de Miraculis cap. XLVIII. *Saturninus verò martyr, vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus in vrbem Toloſatium eſt directus.* Menardus incertam hanc Saturnini epocham anteponit certæ eiuſdem Saturnini epochæ, quam auctor paſſionis illius ex fideli recordatione ſub Decio conſtituit. Quam Gregorius ſecundis curis ſemel atque iterum aſſerit, ſemel in libro I. Hiſt. cùm martyrem nullum ante M. Aurelij tempus memorat; iterum, cùm ibidem Sancti Saturnini paſſionem citat & ſequitur. Tum incertam illam Sa-

Digitized by Google

turnini epocham anteponit certæ martyrum epochæ, quam Seuerus ducentis fere ante Gregorium annis ſtatuit. Qui & ipſe cùm eſſet Toloſatium vicinus, Saturnini martyrium & martyrij tempus ignorare vix potuit.

Poſtremò, Gregorius incertam Vrſini Bituricenſis epocham in libri de Gloria Confeſſorum capite LXXX. prodit his verbis: *Bituriga vrbs primùm à Sancto Vrſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus in Gallias deſtinatus eſt, verbum ſalutis accepit.* Incertam hanc epocham voco, non quòd verbis incertum rumorem vt alibi ſignificantibus exprimatur, ſed quòd incerta ſit miſſionis epocha; cùm de minùs proximis æquè, ac de proximis Apoſtolorum diſcipulis, qui Vrſinum miſerint, intelligi poſſit. Menardus ergo incertam hanc miſſionis epocham præfert certæ Vrſini epochæ, quam idem Gregorius defigit in libri I. Hiſt. capite XXX. vbi ſecundas cogitationes ſic explicat: *De horum verò* (Saturnini & aliorum) *diſcipulis quidam Biturigas ciuitatem aggreſſus, ſalutare omnium Chriſtum Dominum populis nunciauit.* Quòd autem Hiſtoriarum libri poſteriores ſint libro de Gloria Confeſſorum teſtatur ipſe Gregorius, cùm in libri X. capite vltimo diſertè ſcribit: *Hos autem libros in anno viceſimo primo ordinationis noſtræ perſcripſimus.* At cùm ille anno XXI. Pontificatus obiit, dubij nihil ſupereſt, quin opus totum Hiſtoriæ Francorum poſt librum de Gloria Confeſſorum lucubrauerit, vel iam lucubratum diligentia noua recognouerit.

Ceterùm hîc duo notari maximè conuenit,

Digitized by Google

Menardum vti teſtimonio Gregorij, cui malæ fidei & negligentiæ dicam vbique ſcribit, deinde eos imitari, quos ſuis coloribus ita depingit Tertullianus in libri I. contra Marcionem capite IX. *Si ita eſt, ecquid tibi videtur iuſta ratione defendi, vt ad normam & formam & regulam certorum probentur incerta? Ceterum ſi ad hanc cauſam & ipſam adhuc incertam etiam argumenta de incertis adhibeantur, ſeries implicabitur quæſtionum, ex ipſorum quoque argumentorum æquè incertorum retractatu, periclitantium de fide per incertum, & ibitur in illas iam indeterminabiles quæſtiones, quas Apoſtolus non amat. Sin de certis & indubitatis, & abſolutis regulæ, partibus incertis & dubiis, & inexpeditis præiudicabunt: planè in quibus diuerſitas ſtatus inuenitur, fortaſſean non prouocentur incerta ad formam certorum, vt liberata à reliqua comparationis prouocatione per diuerſitatem ſtatus principalis.* Eoſdem ita delineat Facundus Hermianenſis Epiſcopus in libri IX. capite VI. *Nam quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari, ita & ſolitum eſt prudentiæ ac pietatis Catholicæ ex indubitatis atque euidentibus & firmare ambigua & latentia declarare.* Hæc eſt adumbrata ſcribendi ratio, quam Menardus obſeruat.

Milletus & Menardus Eccleſiarum penè omnium Martyrologia reiiciunt.

V. IN Milleti & Menardi operibus loca ſunt duo, quibus ſtupenda illorum in reiiciendis Ec-

Digitized by Google

cleſiarum fere omnium Martyrologiis audacia comprobatur.

Locus prior eſt in libri II. Vindiciarum Milleti capite IV. *Sed ponamus*, inquit, *Vſuardum aduerſari nobis, quid tanti denique eſt? Ex corrupto Bedæ Martyrologio, vnde pleraque alia mutuatus eſt, mendum illud* (de duobus Dionyſiis Athenienſi & Pariſienſi) *contraxit. Nulla enim ad nos niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.*

Et primùm quidem Milletus ſpontaneæ conceſſionis ſchemate vtitur, quo ſpernendi Vſuardi occaſionem quærat. Deinde, ſi ſpernendus eſt Vſuardus Pariſienſis monachus in vrbis propriæ traditione, quam ignorare vix potuit, aſſignari nihil potuit, in quo non ſpernatur æquiùs, & procul amandetur. Tum ſi ab exteris ſcriptoribus decipi potuit in iis, quæ Pariſienſis Eccleſiæ traditionem attinent, cur non dicetur in aliis, quæ ſpectant ad alias & remotiores Eccleſias, deceptus?

Præterea decretorius hic ſtilus, *nulla ad nos niſi adiectione nouorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione Martyrologia corrupta peruenerunt.* Vetus Romanum Martyrologium, Rabani, Adonis, Notkeri, & omnium tandem Eccleſiarum Martyrologia configit.

Poſtremò notanda eſt infitialis propoſitio, qua Martyrologium quodcunque etiam Romanum hodiernum comprehenditur.

Hoc Milleti effatum auctori ſuo cùm identidem exprobraremus, illud Menardus Milleti

defenſor, exceptione hac confirmat in capite I. Diatribæ: *Sed hæc*, inquit, *Milleti verba duntaxat de veteribus Martyrologiis intelligenda ſunt, non de Romano auctoritate Gregorij XIII. compoſito.* Diſtinctio hæc de veteribus Martyrologiis & de Romano hodierno auctoritate Gregorij XIII. compoſito auctoris ſui ignorantiam in dialecticis prodit. Negatiua propoſitio vt vetus ita & hodiernum Eccleſiæ Romanæ Martyrologium afficit & complectitur. Verùm exceptionem illam in capite XIV. ſic temperat: *Milletus citauit Martyrologium Romanum prout nunc eſt emendatum, à quo error de ſancta Synoride abeſt.* Quaſi Gregorij bulla, quam Milletus iactat & obiicit, Martyrologium iſtud poſt hanc emendationem muniri iam tum primùm cœpiſſet.

Præterea Menardus adhuc contemnit Romanum Martyrologium prout nunc emendatum eſt. Siquidem illi in Saturnino præfert Rabani Martyrologium, etiamſi vetus ſit Martyrologium, quod ad nos non peruenit, *niſi vel adiectione nouorum Sanctorum vel imitatione Græcorum corruptum.* De Saturnino ſic habet Romanum Martyrologium: *Toloſæ Sancti Saturnini Epiſcopi, qui temporibus Decij in Capitolio eiuſdem vrbis tentus,* &c. Sic verò habet Rabani Martyrologium in capite IV. Diatribæ: *Ipſe verò Saturninus martyr, vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis* (Clemente) *ordinatus in vrbem Toloſatium eſt directus.*

Sic ergo Milletus atrociter accipit veterrima quæque Martyrologia, quæ ab initio Chriſtianæ religionis fieri conſueuerunt, & in diuerſos

Digitized by Google

poſtea & hominum & Eccleſiarum codices tranſierunt. Sic Menardus in recenti Romano Martyrologio, cui reuera fucum facit, verſatilis ingenij acumen oſtendit.

Poſterior locus eſt in capite VIII. Diatribæ, vbi Menardus me ſic conuenit: *Diſcuſſor obſcura incertæ auctoritatis Martyrologia producit.* Atque ita non de vno, vel altero, ſed de omnibus Eccleſiarũ & cœnobiorum Martyrologiis per auerſionem pronuntiat, & calculis damnat æqualibus, quidquid à monumentis ſuis poſſident Eccleſiæ pretioſius, auguſtius, ſanctius. Aliud autem eſt vnius vel alterius Eccleſiæ Martyrologium, cùm ex mutua multorum codicum contentione, tum ex antiquioribus ſincerioribúſque libris emendari, quod Baronij & magnorum virorum exemplo fieri poteſt; aliud omnia Eccleſiarum Martyrologia traducere, quaſi *obſcura & incertæ auctoritatis inſtrumenta* forent, aut affirmare *nulla ad nos niſi adiectione nouorum Sanctorum vel imitatione Græcorum corrupta perueniſſe*, quod Milletus & Menardus conceptis verbis ſcribere ſunt auſi.

Menardus præſcribit modum reiiciendi acta Sanctorum penè omnium.

VI. Res ſic ſe habet in capite IV. Diatribæ, vbi cùm acta paſſionis beati Saturnini reiicit, acta Sanctorum fere omnium reiiciendi modum præſcribit: verba ſunt: *Sed vrget aduerſarius: ſcriptor paſſionis Sancti Saturnini dixit, fideli recordatione retinetur. Quid tum? an non homini ſuas merces venditanti pronum fuit hoc dicere? Quomo-*

Digitized by Google

do internoſci poteſt, an fidelis ſit hæc recordatio, quæ rumore vulgi ſpargitur, & tantùm in ore hominum verſatur? quodnam fidele veritatis habere teſtimonium poteſt is, qui ſcribit, non ex veteribus membranis, aut ex antiquis ſcriptoribus, ſed ex hominum ſermonibus & currente fama? Vel nulla vel certè pauca ſunt Confeſſorum vel Martyrum acta, quæ Menardus oratione hac non repudiet. Cetera prætermitto incommoda, eáque extrema, quæ perſequor in capite IV. num. VII.

Expoſitam monachorum audaciam triplex imprudentia conſequitur.

VII. SIQVIS expoſitam num. V. & VI. monachorum audaciam, & eorum diſputandi modum, paullò expendat diligentiùs, in eo imprudentiæ genera tria comperiet. In primo & ſecundo genere contra ſe pugnant. Siquidem Martyrologiis & ſanctorum Patrum actis vtendi facultatem ſibi adimunt, niſi malâ fide ſcribere & diſputare velint. Quod tum demum fiet, ſi Martyrologia & vitas Sanctorum ad libidinem & arbitrium nunc reiiciant, nunc admittant. Reiiciant, dum placitis officient, admittant, dum ſeruient. Reiiciant, dum aduerſariorum cauſæ opitulabuntur; admittant, dum incommodabunt. Hæc eſt iniqua diſputandi ratio, quam ſi teneant, nulli ſunt, quia peruerſi diſputatores habebuntur ab omnibus; ſi non teneant, capti, quia diſputationem nullam inſtituent, & duplicem imprudentiam ſuo ſilentio publicabunt. Sic in monachorum noſtrorum

bibliothecis Eccleſiarum Martyrologia & Vitæ Sanctorum omnium non aſſeruabuntur deinceps, vel vt commentarij inutiles aſſeruabuntur.

Tertium imprudentiæ genus eſt, cùm ſectariis quibuſlibet communes locos, id eſt arma ſuppeditent, quibus illi pugnent aduerſus Eccleſiam,& irrideant certa quædam argumenta,quibus vel noſtra religio vel illius dogmata credibilia redduntur. Facinus hoc non exaggero, quod eleuari poſſe cuperem. Temeritatem fratrum noto, ne, ſi tacerem conſentire viderer. Tunc illa nocet modeſtia, quæ in conſcientiam duceretur.

FINIS.

Digitized by Google

IOANNIS
LAVNOII
PARIS. THEOLOGI
OPVSCVLA QVATVOR.

I. Vita B. Dionyſij Areopagitæ primi Athenienſium Epiſcopi & Martyris, ex optimæ fidei ſcriptoribus collecta.

II. De libris illi inſcriptis Iudicium.

III. B. Dionyſij Pariſiorum Apoſtoli & Martyris vita & miracula ex optimæ fidei ſcriptoribus collecta.

IV. De antiquis Baſilicis Pariſienſibus Diſquiſitio.

Digitized by Google

AD IOANNEM VERIVSIVM PARISIENSEM THEOLOGVM.

POSTVLASTI *à me ſæpius*, VIR ERVDITISSIME, *vt quæ opuſcula de vitis Dionyſij cùm Athenienſis, tum Pariſienſis Epiſcopi aliàs edideram, & quorum nulla pridem ſuppetunt exemplaria, rurſus edi curarem. Curaui, vt nunc demum facerem quod deſideraueras : non quòd crederem fore, vt in iis aliquid diſceres noui ; abſit. Cùm enim noſtra legis, ſcio te fere tantùm recordari eorum, quæ antè legeras, & diligenter obſeruaras. Hoc ſecurus ab omni errore dico, quia ſtudiorum tuorum rationes & iamdudum*

mihi notæ ſunt, & apprimè. Quo die Scholaſtico actui primo tuo, vt mos eſt Facultatis noſtræ, præfui, eodem & interfui exiſtimationi, quæ vt optima, ita & ſumma de te ab omnibus in poſterum accipiebatur. Et reuera neſcio, vtrum aliquis alius vnquam, in flore iuuentutis cùm eſſet, tot literis politioribus Latinis & Græcis iuxtà inſtructus ad Theologiam acceſſerit, & poſt emenſa Theologiæ ſpatia vetuſtos vtriuſque linguæ auctores Eccleſiaſticos, Concilia, ſcriptores etiam externos peruolutauerit circumſpectiùs, vel fructuoſiùs. His duobus opuſculis adiungo alia duo, de libris Dionyſio Areopagitæ inſcriptis Iudicium, & de priſtinis Pariſienſibus Baſilicis Diſquiſitionem. In priori opuſculo arenam multorum lucta nobilem ingredior, vbi vix timenda mihi eſt lubrica decurſio. Præiuerunt nuper Athletæ clariſſimi & fortiſſimi duo, Iſaacius Habertus Vabrenſis Epiſcopus, & Ioannes Morinus Oratorij presbyter ὁ μαχαείτης. Ego nunc armis iiſdem pugno, nunc diuerſis, ſed quæ ſcopum eundem feriant. Hæc arma non diuello à ſe inuicem, quia ſic inter ſe cohærent aliquando, vt diuelli facilè nequeant. Satis eſt, ſi præmoneam, mea non eſſe tela omnia, quæ in metam intendo. Literariæ reipublicæ non parum refert idem ſuſcipi à pluribus indagandæ & aſſerendæ veritatis conſilium: quod alioqui lau-

dari debet in omnibus, etiamſi non omnes perueniant, quò perueniendum eſt. Qui non perueniunt, nonnunquam efficiunt, vt aliȷ́ perueniant, ſiue dum pergunt vlteriùs, quò illis pergere non licuit, ſiue dum recedunt à ſemita, quæ obſcura eſt, latebroſa, & plena periculorum; & ſe tunc recipiunt in eam, quæ aperta, ſimplex & directa eſt. Qui huic conſilio calumnias interponunt, iniuriam faciunt veritati, quam indagant. Homines ſint duo, qui communem amicum in itinere deerrantem quærant, ſi quærendo ſeſe mutuis proſcindant conuitiis, nonne id facient, quo nihil videri poßit abſurdius & intempeſtiuius? Qui amicum inueniet, vicem illius, qui non inuenerit, dolere poterit, non accuſare. Infelici ſua ſibi pluſquam ſufficit infelicitas, tantùm abeſt, vt vexanda ſit ampliùs. In poſteriori opuſculo quaſi in breui quadam tabella baſilicas perſpicies, quæ primùm Galli Romanis ſubditi, deinde Franci ab illis liberi maiores tui extruxerunt Dionyſio Apoſtolo ſuo, & Sanctis aliis, in quibus præpotens rerum arbiter Deus mirabilem ſe præbuit, & crudeliſsimos Filiȷ́ ſui & Seruatoris noſtri inimicos & hoſtes per triumphum duxit. Neque verò ea tantùm baſilica, quæ Dionyſio; ſed & aliæ, quæ Sanctis aliis, etiam Cruci erectæ fuerunt, illi cumulum honoris adferunt & glo-

riæ. Sunt enim erectæ, quia Dionyſius fundum, in quo erigerentur, Chriſto acquiſiuerat & ſuo ſanguine dedicarat. Hic eſt proprius cernendæ apud Chriſtianos hæreditatis modus. Sic Dionyſij noſtri fundus, prædium, poſſeſsio eſt, in qua fideles Petro & Paulo, Geruaſio & Prothaſio, Vincentio, Iuliano, Cruci baſilicas ædificarunt. Crux quidem Dionyſio parauerat martyrium, quo conſecraretur, ſed Dionyſius cruci parauit locum, vbi baſilicam haberet, & ab ipſis regibus adoraretur. Hinc vſuuenit, vt quocunque te vertas, in Dionyſio & crucem & crucis amorem nanciſcare. In hoc opuſculo cùm veterum monumenta mihi deſunt, nihil certi pronuntio. De rebus adeò antiquis ſine alicuius antiquioris teſtimonio pronuntiare non licet. Si quæ occurrunt recentiorum figmenta, detraho, non addo. Mendacij tutelâ veritas non indiget, nec indigebit vnquam. Hæc mendacio deſtruitur, non aſtruitur. Ceterùm vt de inſcriptis Dionyſio Athenienſi libris Iudicium ad Dionyſij Athenienſis vitam, ſic & de priſcis Pariſienſibus baſilicis Diſquiſitio ad Dionyſij Pariſienſis vitam appendix poteſt non immeritò vocari. De re hac tota tu pro eo, quo vales plurimùm ingenij acumine ac præſtantia cenſebis. Cùm placere mihi deſinent, quæ notabis, tunc placebit ratio, cur notaueris. Hoc ipſum in duplici lucro

Digitized by Google

ponam. Inuentum tuum gratis aſſequar, & meum, quia non erat probabile, feliciter amittam. Dedoceri falſum aliquid perinde eſt, ac verum doceri, quod ab omnibus maximi æſtimatur. Vtrumque par eſt genus commodi, ſi ſuis ponderibus libretur. Hæc eſt, opinor, cauſa, cur in omnem euentum vtilius eſt ei, qui veritatem ſeriò quærit & amat, amicis laudatoribus, quàm inimicis reprehenſoribus carere. Hi quod curuum iudicant, corrigunt; illi diſſimulant, atque vt rectum ſæpenumero commendant. Tunc ſiquid reperitur in reprehenſione paullo inciuile ac duriuſculum, opportunitate reprehenſionis emollitur & compenſatur. Hoc autem ſi qua ſupereſt in me vetuſtioris magiſterij conditio, perſuaſum tibi eſſe etiam atque etiam velim.

Digitized by Google

IN VITAM BEATI Dionyſij Areopagitæ

PRÆFATIO.

QVOD hîc præfaturi ſumus, id potiſſimùm exigit peruerſa nonnullorum religio, qui in duorum Dionyſiorum aſſertione Sanctorum cultum minui clamitant, cùm ſi vera ſit aſſertio, vt probauimus, contrà vt augeatur Sanctorum numerus, ſic & veneratio debeat augeri. Sed profectò inconſiderantiâ, vel potiùs factione offendunt Eccleſiam, cuius auctoritate ſeſe tueri ſimulant, & alios in inuidiam rapere nefariis ſcriptis nituntur. Hoc præ ceteris machinatus eſt Toloſæ Samblacatus in libello, quem ille quidem Palladium Galliæ, eruditi verò & cordati homines ſeditioſam Declamationem inſcribunt. Sed quæ, vt rudes coloratâ oratione fallant, adferunt, cùm in Concilia reiici peræquè poſſint, Conciliorum prudentiam confingunt, ſi perpetuò iuſſum ab illis meminerimus, vt Deum &

Sanctos eius in ſpiritu & veritate colamus, vt ſacri Eccleſiarum codices emendentur, iis omnino reſectis, quæ labentium ſæculorum vices corruperant, vel quæ imprudens pietas & ignorantia in illos codices immiſerat. Quid referam Concilium Africanum? quid Trullanum? quid Francofordienſe? quid Senonenſe? quid poſtremò Tridentinum? ex cuius auctoritate ſacri Eccleſiarum libri quotidie reformantur, & ex illis ea tolluntur, quæ, ſi conſenſus imperitæ plebis expectaretur, nunquam tollerentur. Illorum ergo Conciliorum decreta legant homines clamoſi, noténtque priùs agendum eſſe de aſſerenda Sanctorum hiſtoria, quàm de cultu, qui hiſtoricæ veritati ſuperſtruendus eſt. Hoc autem cùm partium ſtudio ſoluti fecerint, propter honorem Eccleſiæ mentiri deſinant, piis Diſſertationibus, quæ pro veritate duorum Dionyſiorum ſuſcipiuntur, huius vel illius Sancti cultum frigeſcere vel deteri maieſtatem. Replicent Annales Eccleſiæ, quà Baronius multis & veris diſſeruit, Iacobum Zebedæi non eſſe Hiſpaniarum Apoſtolum. Qui nec ideo timuit, debitam huic Sancto in Italia, in Gallia, in Hiſpania, & alibi venerationem

Digitized by Google

minutum iri, vbi fundata ſunt dudum ab optimis hominibus Xenodochia, quæ peregrinantes in Eccleſiam Compoſtellanam ſuſciperent, aleréntque. Scilicet his omnibus, quæ non parui æſtimanda ſunt, ampliora iura veritatis eſſe vir pius æquè ac prudens animaduerſum habuit. Sed præſertim inſpiciant correctum ſub Vrbano VIII. Breuiarium, vbi ex officio B. Brunonis ea ſublata comperient, quæ ducentis quinquaginta circiter abhinc annis populorum hiſtorias, Meditationum libros, Nouitiorum Inſtitutiones, Clauſtrorum vitreos cancellos, & parietes terribili ſpecie occuparunt. Quæ pro veris habita alios, vt inquiunt, ad vitam rectè componendam excitarunt, alios à perditâ vitâ meliorem ad frugem reuocarunt, alios in cœnobia feliciter pertraxerunt. Hæc tamen omnia, quæ nihil habent cum duobus Dionyſiis commercij, & permagna videntur commoda, non effecerunt, vt Romani cenſores in nocturnis huius Sancti Vigiliis relinquerent, quod à veritate alienum crediderunt. Quorſum igitur hæc? vt vno verbo intelligant Samblacatus & alij, Deo nihil placere, niſi quod verum eſt; illum quidem velle in Sanctis

ſuis laudari ſed verè, & Sanctos ipſos falſa præconia deteſtari, quòd laus veritatis expers, laus Chriſtiana non ſit, ſed gentilis adulatio. Quæ omnia inter ceteros egregiè docet Cardinalis Damianus, vbi paſſim de Sanctorum geſtis, quæ ſcribit vel corrigit, aduerſus fabulatores ſic præfatur: *Nonnulli*, inquit, *ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad deferenda laudis eius inſignia, falſitatis argumenta componant, qui nimirum ſi egregij prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non ſentirent. Ait enim Corinthiis*: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt fides veſtra, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit. *Secundùm hæc ergo Apoſtolica verba falſus teſtis Dei meritò dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare mentitur, & aduerſus Deum proculdubio perhibet teſtimonium, quiſquis in eius laude, peruerſa molitur arte commentum.* Hæc turbulenti homines niſi concoquere poſſint, deuorent neceſſe eſt, aut certè patiantur, ſe à Damiano pro falſis Dei & Sanctorum teſtibus haberi, dum pro vnius Dionyſij aſſertione Hilduini figmenta recipiunt. Ipſi viderint.

Digitized by Google

I.

VITA B. DIONYSII Areopagitæ primi Athenienſium Epiſcopi & Martyris.

AGGREDIOR non vitam, ſed vitæ breuiculum ſcribere. Nam de Dionyſio Areopagita veteres cùm pauca tradiderint, multa nunc obſeruatè dici non poſſunt, niſi neglectis hiſtoriæ legibus. Quoniam verò inſtitui certa proponere, ſimpliciter proponam, quæ mihi inter legendum auctores Calchedonenſi Concilio ſuperiores occurrerunt.

Sanctus Lucas familiam ducit in Actibus Apoſtolorum, vbi ſic loquitur in capite XVII. *Quidam verò,* inquit, *viri ei* (Paulo) *adhærentes crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Ex hoc loco conſtat Dionyſium fuiſſe à Beato Paulo ad Chriſti fidem conuerſum, vbi egregiam Athenis in Areopago concionem habuit, cuius ex obuia cuiuſdam aræ inſcriptione ſumma fuit, vt Athenienſes poſthac Deum religiosè adorarent cognitum, quem hactenus ſuperſtitiosè adorauerant incognitum. Quam Pauli concionem, & Dionyſij ad Chriſtum conuerſionem in annum Chriſti LII. incidiſſe Eccleſiaſtici tradunt Annales.

Digitized by Google

Secundus, Dionyſius Corinthiorum antiſtes apud Euſebium duobus Hiſtoriæ locis. & primùm quidem lib. III. c. IV. *Adde his Areopagitam illum Dionyſium nomine, quem in Actis Apoſtolorum poſt Pauli concionem in Areopago apud Athenienſes habitam, ad fidem conuerſum fuiſſe Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit, quémque primum Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopum deſignatum alius quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum paſtor narrat.* Deinde lib. IV. cap. XXII. vbi Euſebius rationarium epiſtolarum conficit, quas ille Corinthius ad diuerſas Eccleſias miſit: *Altera*, inquit, *ad Athenienſes miſſa, quæ illos ad veram fidem & ad vitam ex Euangelij præſcripto piè degendam excitet, quâ ſpretâ & contemptâ eos vehementer reprehendit, quòd à verbo Dei penitus ferè ab eo tempore deſciſcere cœpiſſent, quo Publius, qui illis præfuit, martyrium ob perſecutionum tempeſtates tum quidem ingruentes fortè perpeſſus eſt. De Quadrato etiam, qui illorum Eccleſiæ poſt Publium martyrem defunctum, creabatur Epiſcopus, in eadem epiſtola mentionem facit, atteſtatus, quòd eius labore & induſtria tum ad Eccleſiam reducti eſſent, tum ardorem fidei propè in iſtis reſtinctum denuò recuperaſſent. Declarat præterea Dionyſium Areopagitam à Paulo Apoſtolo ad fidem conuerſum (ſic enim Acta Apoſtolorum referunt) primum Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopatum adminiſtraſſe.* Ecce tibi ſcriptor Areopagitæ ſuppar, ac proinde teſtis idoneus, cui acceptam referat Euſebius mentionem antiſtitij, quo Athenis noſter Areopagita defunctus eſt.

Tertius, Ariſtides Athenienſis Philoſophus apud Vſuardum in Martyrologio ad quintum

Digitized by Google

Nonas Octobris: *Natale Beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt; vt teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiâque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* Idem Ariſtides apud Ordericum Vitalem lib. II. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: *Dionyſius*, inquit, *Areopagita cum Damari vxore ſua credens baptizatus eſt. Hic poſtmodum, vt Ariſtides Athenienſis aſſerit, Epiſcopus ab eodem Apoſtolo* (Paulo) *Athenienſibus ordinatus eſt, & poſt varia virtutum inſignia inſigni martyrio coronatus eſt.* En alius ſcriptor Areopagitæ quoque ſuppar, & præterea Athenienſis Philoſophus, qui & Epiſcopatui, quem ille Athenis geſſit, fidem præſtat, & martyrio, quod ibidem pro ſuſcepta fide perpeſſus eſt tertio die Octobris.

Quartus, auctor Martyrologij Conſtantinopolitani, quod habuit Hilduinus in Areopagiticis num. x. *In quo*, inquit, *diem natalitij eius* (Areopagitæ) *deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, reperimus annotatum. Quod Martyrologium, vt antiquitas eius demonſtrat, ex eo tempore conſtare poſſe non incongruè remur, quo Conſtantino iubente martyria Sanctorum Domini de toto orbe collecta, & Cæſaream ſunt conuecta.* Hæc Hilduinus, ſiqua fides illi detur, conueniunt tamen cum Menologio Sirleti: Quinto Nonas Octobris: *Certamen Sancti Patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.* Hîc præter Athenienſem Epiſcopatum, certus habetur dies, quo apud veteres Græcos Areopagita colebatur.

Digitized by Google

Quintus, Beatus Cæſarius Gregorij Nazianzeni frater in Dialogi II. Interrogatione CXII. *In Thracia Martem ab execratione cognominatum, ex qua nobis tanquam ex immorigero Eſaü Dionyſius Areopagita ortus eſt, qui fuit diuinorum Apoſtolorum diſcipulus,* &c. En Dionyſij patria, quæ Hilduino incognita fuit.

Sextus, Beatus Ambroſius lib. VI. Commentariorum in Acta cap. IX. *Qui tractat, debet audientium conſiderare perſonas, ne priùs irrideatur, quàm audiatur. Quando enim Athenienſes crederent, quia Verbum caro factum eſt, & de Spiritu Sancto concepit, qui irridebant, quia reſurrectionem audierant mortuorum: Tamen & Dionyſius Areopagites credidit, & alij crediderunt in virum, vt in Deum crederent.*

Septimus, Beatus Chryſoſtomus lib. IV. de Sacerdotio cap. VII. *Rurſus Areopagita ille ſuperſtitioſiſſima ciuitatis illius ciuis nonne vnà cum vxore, auditâ tantùm Pauli concione illum ſecutus eſt?* Idem Homilia XXXIX. in Acta Apoſtolorum: *Sed hæc erant admodum obſcura, attamen perſuaſit Dionyſio Areopagitæ & aliis quibuſdam.* Areopagitam Athenarum ciuem nominat, non quòd ex hac vrbe traxiſſet originem, ſed quòd in ea iampridem manſiſſet, cùm Paulus Apoſtolus Athenas venit. Non origine, ſed habitatione Dionyſius ciuis Athenienſis erat, atque ita Chryſoſtomus facilè conſentit cum Cæſario, qui Dionyſium in Thracia natum aſſerit, & ſic aſſerit, vt eum ciuem origine Athenienſem non fuiſſe ſatis clarè ſignificet.

Octauus, Beatus Auguſtinus in tractatu de

Digitized by Google

Epicureis & Stoicis cap. 1. vbi poſtquam de Pauli apud Athenienſes profectione locutus eſt, ſubdit: *Nec defuerunt, qui crediderunt, atque in iis nominatur quidam Dionyſius Areopagites.*

Et verò licèt quæ ex Cæſario, Ambroſio, Chryſoſtomo, & Auguſtino nunc retulimus, expreſſiora non ſint Actis Apoſtolicis, tantorum tamen Patrum auctoritas fecit, vt illa non omitteremus. Quinetiam quid veteres de Areopagita dixerint, ex libris ipſorum cognoſcere pio lectori iucundiſſimum eſt. Ego, quod verum mihi viſum eſt, id proponere ſatis habui.

Dionyſius igitur Areopagita Thrax, & poſtea ciuis Athenarum vt Pauli concionem audiit, desertâ numinum multitudine vnius ſeſe cultui addixit, & ſuſcepto baptiſmate in Chriſti familiam allectus eſt. Hinc ab eodem Paulo Athenienſium Antiſtes creatus, qui poſtea Chriſtianam religionem impensè fouit, & in illius propagatione curas integras admouit. tum ad extremum, editâ perilluſtri confeſſione fidei, & toleratis grauium tormentorum ſuppliciis martyr occubuit, & Athenas ſuo ſanguine conſecrauit. hæc eſt ſumma, breuis quidem, ſed omnino vera vitæ, quam inter Athenienſes Chriſtianè vixit Dionyſius Areopagita.

Cui ſucceſſit Publius, de quo Vſuardus x. Calend. Februarij: *Natalis beati Publij Epiſcopi, qui ſecundus poſt Dionyſium Areopagitam Athenienſium Eccleſiam rexit nobiliter, & præclarus virtutibus ac doctrina præfulgens ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur.*

Ado Viennenſis credit Publium eum eſſe,

cuius beatus Lucas meminit in vltimo capite Actorum. Sic ad x. Calend. Februarij loquitur in libello de Feſtiuitatibus Apoſtolorum: *Natalis ſancti Publij Athenarum Epiſcopi, qui princeps inſulæ Melite vel Militene, cùm nauigantem beatum Apoſtolum Paulum Romam ſub cuſtodia detentum per triduum hoſpitio receptum humanè tractaſſet, vt beatus Lucas refert, patrem ipſius Publij contigit febribus & dyſenteria iacere. Ad quem cùm intraſſet B. Apoſtolus, & impoſuiſſet illi manus, & oraſſet, ſanauit eum. Quem Publium adhærentem ſibi B. Apoſtolus poſtea ordinatum Epiſcopum ad prædicandum direxit. qui poſtmodum Athenienſium Eccleſiam nobiliter rexit, & præclarus virtutibus, & doctrina præfulgens ob Chriſti martyrium glorioſè coronatur. Nam primus Dionyſius, inde Publius Athenis præfuit.*

Nonnullæ in præcedentia Obſeruationes.

QVÆ obſeruaturi ſumus, ab elogiis Areopagitæ ſeparare malui, quàm immiſcere. Hæc enim ad vitam Areopagitæ propriè non attinent, ſed ad commenta quibus vita illius inſperſa eſt; deinde ad modum, quo nocturnæ illius vigiliæ, ex Tridentini Concilij præſcripto inſtaurarentur.

Digitized by Google

Observatio I.

Ex monumentis quæ Calchedonenſem Synodum præcedunt, certiùs, quàm ex monumentis, quæ ſubſequuntur, Dionyſij Areopagitæ vita conficitur.

NEMINI hac in parte ereptam ſcribendi libertatem & materiam volumus, immo pergratum nobis faciet, qui alia veterum de iſto Dionyſio ſuggeret elogia & annotata, quæ ad præſcriptam antè ætatem pertineant. His quippe multò certiùs, quàm aliis inferioris æui teſtimoniis hiſtoriæ conſulitur, quæ eſt teſtis temporum, lux veritatis, & nuntia vetuſtatis. Profectò ſatius eſt & Chriſtianæ religionis moribus & inſtitutis conuenientius pauca, quæ certa, quàm multa, quæ incerta ſint, adnotare: cuiuſmodi ſunt ea quæ Hilduinus, & ex eo ceteri recenſent ſine traditione maiorum. Huc ſpectat B. Auguſtinus in libri de Vera Religione capite LV. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt. Melior eſt vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Hinc Eccleſia in Conciliis ſubinde ſtatuit, vt emendentur ſacrorum Rituum codices, & Breuiariorum lectiones ad hiſtoriæ veritatem ex antiquorum probatorúmque auctorum ſcriptis reformentur.

OBSER-

Observatio II.

Methodius, Metaphraſtes, & Syngelus in conſcribenda Areopagitæ vita negligentiſsimi fuerunt.

PRæ ceteris, quæ Methodij, Metàphraſtis, & Syngeli in conſcribenda Areopagitæ vita negligentiam oſtendunt, ſanè illud eminet, quo veterem hiſtoriam ſine commentariis veterum poſt octingentos annos ediderunt. Neque enim, vt par erat, meminêre Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi, vel Euſebij, vel Chryſoſtomi, vel maximè Ariſtidis, cuius pro Chriſtianis apologia magno tunc in honore apud Athenienſes habebatur, vt ſcribit Ado in Martyrologio ad quintum Nonas Octobris: *Hoc opus*, inquit, *apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Ergo minùs peritos oportet eos eſſe Græcos, qui illuſtriſſimum Ariſtidis apologeticum non legerunt, nec aſſertam in eo Dionyſij Chriſtianam conuerſationem, martyrium, & martyrij locum Athenas vindicarunt, ſed ad ſpuria quædam Hilduini & ſociorum geſta mentem & calamum leuiuſculè conuerterunt. Vide caput IX. Diſcuſſionis.

Interim Hieronymus Ariſtidis ita meminit in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum: *Ariſtides Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen noſtri dogmatis rationem continens eodem tempore, quo &*

Quadratus Adriano Principi dedit, id eſt, Apologeticum pro Chriſtianis, quod vſque hodie perſeuerans apud Philologos ingenij eius indicium eſt.

Observatio III.

Syngelus de Dionyſij dignitate nonnulla ſcribit ſine maiorum traditione.

CVm Cæſarius hinc Dionyſium origine Thracem, & Chryſoſtomus Athenarum ciuem τὸν τῆς πόλεως appellet, & inde maiorum de illo traditionem meliùs nouerint, quàm qui poſt annos à Chryſoſtomo quadringentos ſcripſerunt; cauſæ nihil fuit, cur Michaël Syngelus Areopagitam διασημότατον προηγέτην, καὶ τῶν ἐν ἀρείῳ πάγῳ δικαστῶν προύχοντα καὶ πρόκριτον appellaret. Quod de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris ſcriptoris teſtimonio profertur, contemnitur, vt Baronius ſapienter animaduertit.

Observatio IV.

Dionyſius Areopagita martyrium Athenis fecit.

SIqvis citatum ab Hilduino Conſtantinopolitanum Martyrologium, & Sirleti Menologium curioſiùs expendat, non ibit, opinor, inficias, quin ex communi librorum eiuſmodi charactere iudicet primùm, Areopagitæ natalem in Athenienſi ciuitate notari, cuius cùm eſſet Epiſcopus, martyr exceſſit; deinde Areopagitam Chriſtianum certaſſe in eadem vrbe cer-

Digitized by Google

tamen, vbi primus fidelium ab Apoſtolo dux conſtitutus fuerat; denique non alterius vrbis præter Athenas Epiſcopum egiſſe, cùm nulli ſint veteres Græcorum faſti, in quibus natalis antiſtitum ab vna ſede in aliam quoquo modo migrantium à prima tantùm ſede notetur. Vbi quæſo natalis Sancti Procli Epiſcopi Cyziceni? vbi Euſtathij Berœenſis Epiſcopi? vbi Meletij Sebaſtiæ Cilicum Epiſcopi? quorum primus Cyzico Conſtantinopolim, ſecundus Berœâ, & tertius Sebaſtiâ Antiochiam tranſierunt.

Observatio V.

Methodius grauiter errauit in notando die martyrij, ſeu obitus Areopagitæ.

Cvm ex Græcorum Menologio, & ex Latinorum Martyrologiis Areopagitæ martyrium adſcribatur tertio diei Octobris, vt in pluribus aliis, ſic & in hoc errare oportet Methodium, qui paſſum ſeptimo Calendas Octobris Dionyſium ſcripſit: ἔπαθον, inquit, οὗν οἱ μακάριοι μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, Διονύσιος, Ρούστικος, καὶ Ελευθέριος ἑβδόμῃ καλανδῶν Οκτωβρίου ἐπὶ Δομιτιανοῦ βασιλέως.

Observatio VI.

Dionyſium Areopagitam imperante Domitiano migraſſe, vt antiquior, ita & verior eſt opinio.

Svb quo Imperatore Dionyſius è medio abierit, non vna eſt omnium opinio. Quidam

ſub Traiano, nonnulli ſub Adriano, alij ſub Domitiano mortuum tradiderunt. Poſtremam opinionem; cùm multorum ſit vtriuſque Imperij ſcriptorum, & inſuper antiquiorum, Sirmondus in ſe recepit, & octauo Diſſertationis capite firmiſſimis rationum momentis confirmauit, quæ quoad ſteterint (diu autem ſtabunt) φιλαληθέων aſſenſum merebuntur. Aliud eſt Dionyſianæ mortis tempus plenis inuidiæ ratiunculis aſſerere, & dicendo triumphare; quod ſtudiosè exequitur Milletus cum ſuis: aliud ſolidis argumentis & ſine fallaci petitione principij quærere, & inuentum prudenter aſſeuerare; quod ille vir extrà quàm eruditus præſtat in Diſſertatione.

Quòd autem hæc tertia opinio veterrima ſit omnium, ex ſcholiis Sancti Maximi primùm colligimus, qui vt commodè laudatum ab Areopagita Ignatium probet, hunc ante Domitianum mortem oppetiiſſe tradit: Ἰγνάτιος ᾗ πρὸ Δομιτιανοῦ μαρτυρεῖ, ὥστε πρεσβύτερος Διονυσίου. Deinde illud ſimiliter habemus ex vetuſto ſcriptore, qui apud Photium in Myriobiblo quærit, *cur epiſtolam Ignatij liber diuinorum nominum citat? Dionyſius*, inquit, *Apoſtolorum temporibus floruit. Ignatius verò Traiano imperante martyrij certamen habuit, & paulò ante obitum epiſtolam illam, quam hic liber citat, conſcripſit.* Hos veteres ſecuti ſunt è Latinis Hilduinus, Hincmarus, Radbertus Corbeienſis, & illi omnes, qui poſtea in laudem Dionyſij Pariſienſis Hymnos & Proſas compoſuerunt. E Græcis Methodius, Metaphraſtes, Synaxaria, & Anthologium ſeu Græcorum Bre-

uiarium, quod qui Romæ viuunt, ſingulis diebus recitant. Hugo Flauiniacenſis Abbas monachorum Ordinis ſui opinionem ita concludit in Chronico, quod nuper editum eſt à Philippo Labbæo: *Conſummato igitur per martyrij palmam Beato Dionyſio anno ab Incarnatione Domini* XCVII. *à paſſione autem* LXIV. *ætatis verò eius anno* XC. *imperij Domitiani Cæſaris ineunte* XVI. &c.

Quæ omnia cùm ita ſeſe habeant, ſententia vt vetuſtate & Scriptorum multitudine, ita & veritate antecellit. Vtinam in ceteris nihil occurreret difficilius, aut inuolutius! Tunc enim in vnam eandémque opiniónem nullo negotio conſpiraremus, & nos retentam ab omnibus primam ac legitimam traditionem laudaremus. Sic latiſſimum aduerſarios inter & nos diſcrimen intercedit. Aduerſarij quippe reiiciunt illa, quorum auctores non fuerunt Hilduinus, Hincmarus & Radbertus, Methodius & Metaphraſtes: nos verò recipimus, quia hoc ferme vnum & verum à maioribus acceperunt. Aduerſarij vindicant ea, quæ illi rebus ad originem recenſis alieniſſima ſcripſerunt: nos reſpuimus, quia vnicum veritatis ſtudium delectat. Præterea vide caput XVI. Diſcuſſionis.

OBSERVATIO VII.

Indicantur ea, ex quibus nocturnæ Beati Dionyſij Athenienſis vigiliæ rectè componantur.

CETERVM qui Dionyſij huius mortem ſub Traiano vel Adriano ponunt, id faciunt

perſuaſi, Dionyſium eſſe verum auctorem librorum, qui illi tribuuntur. Nam in diuinorum nominum libro citatur ſcripta ad Romanos epiſtola Ignatij, qui martyrio conſumptus eſt anno x. Traiani & cix. Chriſti. Quare ſi non eſt vera illorum perſuaſio, nihil habent, cur antiquiſſimam de Dionyſianæ mortis epocha traditionem deſeruerint. Hoc monendum fuit intereadum oſtendam γνήσια non eſſe Dionyſij Areopagitæ opera.

Quæ Latinorum Eccleſiæ peculiari cultu Areopagitam venerantur, hîc ex antiquis Patribus habere poſſunt, vnde nocturnas vigilias componant, & ſeſe ad piam Concilij Tridentini mentem accommodent, quod, vt emendarentur Breuiaria, & priſtinæ veritatis nitori reſtituerentur, ſanctiſſimè iuſſit, perſuaſum, veritatem noſtro mendacio non egere, nec *Eccleſiam*, vt ait Facundus, *indigam eſſe falſitatis.* Deinde quæ ex Græcis Patribus num. 1. citata ſunt, Breuiarium Græcorum multò congruentiùs occuparent, quàm deſumptæ quædam ex Methodio vel Metaphraſte narrationes, quibus & Synaxaria & Menæa ſua non ita pridem interpolarunt. Hæc tamen omnia dicta ſint ſaluo illorum iudicio, quibus ex Tridentini Concilij auctoritate incumbit Eccleſiaſticorum librorum correctioni prouidere.

Digitized by Google

II.
DE LIBRIS
DIONYSIO AREOPAGITÆ
inſcriptis
IVDICIVM.

IN ea quam contexui, Dionyſij Areopagitæ vita, mentionem nullam feci librorum, qui ei paſſim inſcribuntur. Nempe rationes multæ ſunt, quibus ego adducor vt credam libros iſtos ψευδεπιγράφους eſſe. Aliæ in ipſo librorum contextu & ſcriptione inhærent, aliæ extrinſecus aſſumuntur.

Quæ ſunt prioris generis, ita ſe habent:

1. In libri de diuinis nominibus capite IV. ſcribitur: *Atque viſum eſt quibuſdam ex noſtris, qui de diuinis rebus diſſeruerunt, amoris, quàm charitatis nomen eſſe etiam diuinius, ſcribit autem & diuinus Ignatius, meus amor Cruci affixus eſt.* At cùm Areopagita ſub Domitiano paſſus ſit, is laudare non potuit verba epiſtolæ, quam ad Romanos anno decimo Traiani dedit Ignatius. Huic autem argumento, vt olim ſatisfaceret Maximus monachus, qui fortè Catholicorum primus libros Areopagitæ ſcriptis aſſeruit, Igna-

Digitized by Google

tium ante Domitianum obiiſſe reſpondit, atque ita Ignatium ab Areopagita citari potuiſſe & reipſa citatum eſſe. Ἰγνάτιος, inquit Maximus in Scholiis, περὶ Δομιτιανοῦ μαρτυρεῖ ὥστε πρεσβύτερος Διονυσίου. Profectò debuit apud omnes Areopagitæ mortis epocha haberi exploratiſſima, quæ vt retineretur à Maximo, Maximum in Eccleſiaſtica Hiſtoria coëgit tam grauiter errare. Hoc etiam atque etiam animo verſare velim eos, qui Areopagitæ martyrium in Adriani tempus reiiciunt, nec reiiciunt ob aliud, quàm vt contradicant ei de Areopagitæ martyrio ſententiæ, quæ ante annos mille propter ſui conſtantiam à Maximo conuelli non potuit. Sed Maximus & Maximi contradictores vt vnum idémque ſtatuerent, tam hi in Areopagitæ martyrij tempore, quàm ille in Ignatij ætate peccarunt, quia contra primam, & veram de annis vtriuſque traditionem pugnarunt.

Quod autem Maximus addiderit, Areopagitæ operibus ab aliquo inſertum fuiſſe Ignatij teſtimonium, id ineluctabilis argumenti difficultate victus fecit, non adiutus veteri quopiam exemplari, quod Ignatij teſtimonio careret. Deinde non ſatis fuiſſet libro de diuinis nominibus hæc inſerere: *ſcribit autem & diuinus Ignatius, Amor meus Cruci affixus eſt*, vt argumentum eleuaretur, ſed & alia iſta quæ præcedunt: *Atqui viſum eſt quibuſdam ex noſtris, qui de diuinis rebus diſſeruerunt, amoris, quàm caritatis nomen etiam eſſe diuinius.* Quo autem pacto hæc omnia inſerta & ἐπίσακτα probabit Maximus, aut quiuis alius, qui Maximo ſuppe-

tias accurret? Quòd ſi non probet, nec inſerta iudicet, eos inueniat neceſſe eſt, qui ante Areopagitam ſcripſerint, *amoris, quàm charitatis nomen eſſe diuinius.*

Argumenti huius vis tota ſic breuiter explicatur; Retinenda eſt epiſtolæ Ignatij citatio, quia probari non poteſt inſititia, niſi petatur principium; deinde retinenda vetus ac prima traditio de tempore, quo Dionyſius Martyr occubuit; pòſt reiicienda recens opinio de tempore, quo Dionyſius obiit, ſiue quia veteri & primæ traditioni repugnat, ſiue quia nulla ratione, ſed tantùm opportunitate & principij petitione nititur; tum Areopagitæ liber diuinorum nominum abiudicandus eſt.

11. Publici & ſolemnis baptiſmi deſcriptio, quæ in libri de Hierarchia Eccleſiaſtica capite 11. habetur, Areopagitæ tempori non conuenit. Explicantur ritus non ij tantùm, qui ad Sacramenti adminiſtrationem, & præcipuas neceſſitates Eccleſiæ, ſed etiam ij, qui ad ornatum & decorem pertinent, vt legenti conſtat. Tunc Chriſtiani miris modis vexabantur, latebant in cryptis, nec antiſtites audebant coràm prodire, tantùm abeſt, vt baptizarent cum apparatu tanto, cum tot & tantis ritibus & cæremoniis, quot & quantas liber ille repræſentat. Quinetiam ad quartum aut quintum Eccleſiæ ſæculum baptiſmus non deſcribitur celebrior. Quæ Gregorius Papa in libro Sacramentorum de ſolemni Baptiſmo tradit, ſi cum libro Hierarchiæ Eccleſiaſticæ componantur, neque multò illuſtriora, neque multò celebriora reperientur,

Quare extra perſecutiones Eccleſiæ vixit, qui librum illum exarauit.

111. Conſiderare placet ordinem, quem auctor in ſuffitu altaris, in Eccleſiæ miniſtrorum diſpoſitione, in Catechumenis, energumenis & pœnitentibus ſic exequitur capite III. *Pontifex quidem peracto precum ſacro ad Dei altare cùm ab eo incendendi odores initium fecit, ſacrum obiit locum. Reuerſus autem ad diuinam aram ſacros pſalmos canere incipit, canúntque cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines, deinceps à miniſtris ſanctorum librorum lectio ordine citatur, & recitata extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & vnà cum iis Energumeni, atque ij, quos ſuperioris vitæ pœnitet. Manent autem ij, qui diuinarum rerum & aſpectu digni ſunt & communione.* & poſteà in Theoria: *Catechumenos autem & Energumenos, quique in pœnitentia ſunt ſancta Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram pſalmorum modulationem, diuinámque ſacrarum ſcripturarum recitationem. Ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda non eos conuocat, ſed perfectos integrorum oculos.* Hæc autem omnia ad Neronis vel Domitiani tempus quid pertinent? In quo fideles vix prodibant in publicum, niſi vt infinita deuorarent ſupplicia? tantùm abeſt, vt illorum Baſilicæ cum tanto altarium ornatu, cum tali miniſtrorum pompa, cum eiuſmodi Catechumenorum, Energumenorum, & pœnitentium diſpoſitione & diſcrimine permitterentur. Sunt enimuero iſta dilatatæ per annos complures religionis indicia, quæ dare non potuit Areopagites. Sunt iſta conceſſæ fidelium cœtibus pacis

Digitized by Google

beneficia, quæ non ſenſerunt Apoſtoli, quæ non viderunt Apoſtolorum diſcipuli,& ſub illis Chriſtiani, quorum vel ipſum nomen crimini vertebatur. Ecquid ſimile reperitur apud Athenagoram, apud Irenæum, apud Iuſtinum, apud Tertullianum, coætaneos reliquos, qui pro Chriſtianis apologias Principibus obtulerunt? In ſumma periodus hæc: *Catechumenos autem & Energumenos, quique in pœnitentia ſunt, ſancta Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram pſalmorum modulationem diuinámque ſacrarum Scripturarum recitationem*, inſtitutiones Eccleſiæ ab Areopagitæ ſæculo remotiſſimas prodit, & illi librum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ detrahit.

IV. Areopagitæ ſæculo inaudita eſt monachorum diuerſitas, inauditum monaſticæ conſecrationis myſterium: quæ duo in eiuſdem lib. capite VI. traduntur: *Summus*, inquit, *eorum omnium, qui initiantur, & perficiuntur, ordo eſt ſanctorum monachorum.* Auctores quarti vel quinti ſæculi vix ita loquuntur. & quibuſdam interpoſitis: *Hinc diuini præceptores noſtri ſanctis eos nominibus appellari voluerunt, alij Therapeutarum, alij monachorum à puro Dei famulatu & cultu indiuiduáque ac ſingulari vitâ.* Præceptores Areopagitæ fuerunt Paulus & reliqui Apoſtoli: ſed vbinam de monachis loquuntur quomodo Hierarchiæ auctor loquitur? vbinam monachos ita diſtinguunt, vt alios Therapeutas faciant, alios tantùm monachos, qui totos ſeſe diuino cultui & famulatui dediderint? Itaque præceptores illi qui de variis monachorum generibus ſcripſerunt, poſt Apoſtolorum & Areopagitæ tempus

vixere, & illi hac loquendi formula Hierarchiæ librum abiudicant. Iterum poſt alia: *Itaque perficiendi eis munus ſancta lex conceſſit, dignatáque eos inuocatione, quæ vim conſecrandi habet, non pontificia quidem (ea enim eſt tantùm penes Sacerdotum ordines) ſed ſacerdotali, quæ à ſanctis ſacerdotibus, ſecundo à Pontificio munere loco adhibetur myſterium monaſticæ conſecrationis. Sacerdos quidem ſtat ante diuinum altare, precationem, quæ monachos attingit, recitans ac pronuntians. Is autem qui conſecratur & initiatur, ſtat poſt ſacerdotem, nec vtrumque genu flectit, nec alterum, nec caput habet ſuppoſitum à traditis Euangeliis, ſed tantùm præſto eſt ſacerdoti, qui myſticam precationem pro ipſo recitat. Sacerdos verò ea perfecta, cùm ad eum qui initiatur venit, illum rogat primùm num remittat nuntium, non ſolùm diuiduis diſtinctiſque vitis, verumetiam imaginationibus, deinde perfectiſſimam ei vitam exponit, hoc pro teſtimonio dicens, eum mediam vitam ſuperare, ac tranſilire oportere. Quæ vbi omnia is qui initiatur, continenter profeſſus eſt ſe eſſe facturum, ſacerdos ſigno Crucis eum conſignatum tondet, appellans tres perſonas diuinæ beatitudinis, omnique veſte detracta eum alia induit, & cum aliis ſanctis viris, qui adſunt, cùm eum ſalutauit, participem fecit diuinorum myſteriorum.* Hæc omnia paullo latiùs deſcripſi, ne fabuloſum putetur quod animaduertere conſtitui. Hæc igitur omnia ſi vnà ſumantur, aut nullam penitus, aut poſteriorem Conſtantino ætatem appellant, in qua monachi non quidem nati ſunt, ſed plures in claſſes diuidi, & ſolemni ritu qualis hoc in loco depingitur, à ſacerdotibus conſecrari cœperunt. Ad prioris vitæ

auſteritatem acceſſit conſecratio, quâ inſtitutum eiuſmodi redderetur auguſtius. Deinde de monachorum initiatione non plura reperiuntur apud eos, qui de eadem quinto vel ſexto Eccleſiæ ſæculo commentarios ediderunt. At ſub Domitiani, quàm ſub Marciani vel Mauritij principatu non paucioribus cæremoniis conſecratos eſſe monachos quis credet vnquam? Ad extremum, qui parem cum ſuperiori monachorum diuiſionem & multitudinem ante Conſtantinum inuenerit, hactenus inuentus eſt nemo. In ſumma præter cetera vrgeo verba hæc: *Diuini preceptores noſtri ſanctis eos nominibu appellare voluerunt, alij Therapeutarum, alij monachorum*, quæ qui tribuunt Areopagitæ Pauli diſcipulo, mendacium inſigne tribuunt, quod ne tribuatur, res ipſa tribuenda eſt alteri, qui longo poſt illum tempore in Eccleſia floruit.

v. In libro diuinorum nominum, & in libro Hierarchiæ Cæleſtis & Eccleſiaſticæ loca ſunt multa, in quibus vel indicantur variæ Tractatorum Eccleſiaſticorum ſententiæ, vel accepta à maioribus traditio laudatur.

Primùm in libri diuinorum nominum capite IV. *Atqui viſum eſt quibuſdam ex noſtris, qui de diuinis nominibus diſſeruerunt, amoris quàm charitatis nomen eſſe diuinius*. quis quæſo ante tempus Areopagitæ Diſſertationes de diuinis nominibus lucubrauit?

Deinde in libri Cæleſtis Hierarchiæ cap. XIII. *Nonnulli in ea ſententia ſunt, vt dicant conuenienter iis, quæ iam antè de omnium ſpirituum communione conſtituta ſunt.* & poſt alia: *Alius autem*

non admodum abſurdam & alienam defenſionem rationémque de hac quæſtione mihi protulit. Quis Areopagitâ vetuſtior, vel æqualis, vel ætate ſuppar quæſtionem illam de Angelis mouerat? qui inter Apoſtolos & primos Eccleſiæ fideles de hac materia diſputauerat, quam videlicet ob cauſam à Seraphim purgatus diceretur Eſaias? Erátne tunc iis de rebus tractandi locus & otium?

Tum in libri Hierarchiæ Eccleſiaſticæ capite v. *De diuina autem ſorte quæ diuinitus Matthiæ obtigit, alij alia dixerunt, non rectè mea quidem ſententia. Ego verò meam etiam ſententiam exponam.* Hîc ante tempus Areopagitæ multi multa de ſorte Matthiæ dixerunt, ſed quæ vt perperam dicta reiicit. quinam verò ſunt illi, qui tunc de varia ſortis illius interpretatione contenderunt inter ſe, niſi Apoſtoli: quorum diſcipulus erat Areopagita? Igitur ab illis cùm Matthiæ ſortem verſarent, in diuerſas itum eſt ſententias, quæ, ſi Deus velit, Areopagitæ non placent. Vnde fit, vt interpretationem aliam ſubiiciat, quæ Apoſtolorum iudiciis præferatur. Incommoda hæc exhauriant neceſſe eſt, qui Areopagitæ librum hunc aſſerunt: de varia ſortis Matthiæ expoſitione tractatus ætatem Areopagitâ longè poſteriorem importat.

Denique in eiuſdem libri capite v i i. *Quod autem nos à diuinis præceptoribus noſtris de precatione, qua antiſtes vt dixi, in eo qui mortuus eſt, vtitur, traditum accepimus, neceſſariò exponendum eſt.* & poſt alia: *Precationes autem, quæ in myſteriis adhibentur, nefas eſt ſcripto interpretari, ſed quemadmodum à maioribus noſtris traditum accepimus,*

Digitized by Google

cùm eas doctrina, quæ foras exire non debet, hauſeris. Commata hæc, quæ deriuatam à maioribus traditionem ſignificant, nonne quoque ſignificant auctorem, qui multo poſt Apoſtolos & eorum diſcipulos claruit? nonne librum abiudicant Areopagitæ, qui cùm eſſet Apoſtolorum diſcipulus ſic loqui non potuiſſet? Iterum poſt alia:

De Baptiſmo puerorum: Pontificia ſapientia tua debet amanter reſpondere ad ea, quæ obiiciunt. Hoc etiam ex ſancto inſtituto addens non noſtra ſcientia diuina omnia circumſcribi, multáque eorum, quæ à nobis ignorantur, cauſas habere Deo digniſſimas. Quas nos quidem ignoremus, cognitas autem habeant nobis ſuperiores ordines. & poſt pauca: *Tametſi quoque hoc de hac re dicimus, quod diuini noſtri præceptores, ab antiqua traditione myſticè edocti* πρὸς τ' ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως *ad nos vſque produxerunt. Aiunt id quod etiam verum eſt, pueros ſi in ſancto inſtituto ac lege inſtituantur, ad ſanctam animi conſtitutionem peruenturos eſſe*, &c. Qui poſt Apoſtolorum ſæculum vixit, loqui ſic potuit: ſed qui cum Apoſtolis vixit, loqui ſic non potuit. Profectò diu ab illis multúmque abfuit, qui ſe ſacrum mortuorum officium à maioribus accepiſſe ſcribit, qui pompæ funebris apparatum deformat, qui cur Catechumeni mortuorum ſepulturæ intereſſe non poſſint, exequitur, qui an mortuis preces viuorum proſint, diſputat, qui cur oleo perfundatur tam qui tingitur, quàm qui ſepelitur, exponit. In ſumma qui baptiſmum puerorum tractat perinde ac ſi nunquam in Eccleſia dubitatum eſſet, num baptiſmus ſtatim

conferretur pueris, non exſpectata grandiori ætate. At dubitatum eſſe docent Tertullianus in libri de Baptiſmo capite XVIII. & Cyprianus in epiſt. LIX. ad Fidum Epiſcopum. Hi diſſentiunt inter ſe, ille exſpectandum eſſe ſcribit, hic docet neceſſe non eſſe vt exſpectetur, & ſententiam ſuam fuiſſe in Concilio approbatam teſtatur. Huius ergo de Hierarchia libri auctor eo floruit tempore, quo ſancita in Cypriani Concilio diſciplina totam ſic occupabat Eccleſiam, vt qui ambigeret, nullus inueniretur. Quod & ille apertè profitetur ſcribens, ea, quæ de baptiſmo puerorum tradit, ſeſe ab iis accepiſſe præceptoribus, qui & ea ipſa ab antiqua traditione acceperant.

Sunt, qui vt amentatum telum hoc declinent, præceptores illos interpretantur Apoſtolos, & pro *antiqua* primam Chriſti traditionem intelligunt: ſed quibus quæſo ſcriptis oſtendent Chriſtum docuiſſe Apoſtolos de puerorum baptiſmo, de illorum abrenunciatione, de ſponſoribus, de ſponſorum muneribus, déque aliis cæremoniis, quæ tamen omnia ſibi à præceptoribus ſuis tradita noſter auctor affirmat.

Deinde, quibus rationum momentis probabunt, has Chriſti & Apoſtolorum traditiones fugiſſe Tertullianum, qui baptiſmi & aliorum Sacramentorum traditiones & ritus tam diligenter, & tam cupidè commemorat in libro de Corona?

Præterea cur Fido Cyprianus Chriſti & Apoſtolorum inſtitutionem non obiicit? hæc enim de baptiſmo puerorum controuerſia longè faciliùs

Digitized by Google

ciliùs dirimitur expoſita Chriſti traditione,quàm allatis quibuſdam Scripturæ locis, vbi de baptiſmo puerorum nihil ſpeciatim legitur. Cyprianus quippe laudat caput IX. Lucæ, *Filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare.* Item caput IV. libri IV. Regum, vbi *Eliſaus ſuper infantem Sunamitis viduæ filium,qui mortuus iacebat, ita ſe Deum deprecans ſuperſtrauit, vt capiti caput, faciei facies applicaretur, & ſuperfuſi Eliſæi membra ſingulis paruuli membris, & pedes pedibus iungerentur.* Item cap. II. epiſt. ad Galatas: *Deus perſonam hominis non accipit.* Item verba B. Petri in Actuum cap. x. *Sed mihi oſtendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem.* Quin autem teſtimonia hæc Scripturæ iuuent Cypriani conſilium non inficior, ſed nemo inficiabitur, Cyprianum rem confeciſſe omnino, idque breuiter, ſi memoratam vt volunt ab Areopagita traditionem Chriſti & Apoſtolorum edidiſſet. His autem ſe incommodis exponunt, qui relatam periodum de ſenſu obuio deflectunt. Hæc pauca de multis.

Nunc veniendum eſt ad rationes, quæ extrinſecus aſſumuntur.

I. Annus Chriſti agebatur quingenteſimus trigeſimus ſecundus, cùm à Catholicis pro Calchedonenſi Synodo cum Seuerianis Conſtantinopoli inſtituta eſt collatio. In ea Seueriani,qui & Acephali dicuntur, libros Areopagitæ admittunt, Catholici repudiant: verba ſunt hæc: *Contradicentes* (Seueriani) *dixerunt, ſecundùm vtraque* (ſcilicet damnandos eſſe Catholicos non ſolùm propter peregrinam vocem, qua vtuntur,

ſed etiam quia peregrina vox illa noxia eſt) *Beato enim Cyrillo, & beato Athanaſio Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopis, Felici etiam & Iulio Romanæ Eccleſiæ, Gregorio quinetiam mirabilium factori, & Dionyſio Areopagitæ vnam naturam Dei Verbi decernentibus poſt vnitionem. Hos omnes tranſgreſſi illi* (Calchedonenſes Patres) *poſt vnitionem præſumpſerunt duas naturas prædicare.* Poſtea Epiſcopus ex parte Catholicorum ſic reſpondet in iis, quæ ad Areopagitam pertinent: *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſij Areopagitæ dicitis, vnde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim eius erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid enim de beato Cyrillo dico, quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de Conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet aduerſus Arij diuerſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, vnde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint neſcio.*

Ex his ergo, ſi rectè capimus, apparet, hæreticos eſſe & Calchedonenſis Concilij aduerſarios, qui primi libros Areopagitæ in auctoritatem receperunt, & contrà Catholicos eſſe & Calchedonenſis Concilij defenſores, qui primi libros Areopagitæ vt ſpurios reiecerunt, iiſque adeò rationibus, quas in librorum cenſura Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, & peritiſſimi quique Scriptores ſemper vſurparunt.

Deinde in Areopagita, vt in aliis Patribus, Seueriani contradicere Catholicis non ſunt auſi, vel probare germana eſſe Areopagitæ ſcripta, quæ proferebant, vel reponere, quod mo-

dò à quibuſdam reponitur, inficiales eſſe coniecturas omnes, quibus Catholici non curarunt obiectis Areopagitæ ſcriptis de benigna interpretatione accommodare, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd Seueriani Catholicis videantur aſſentiri, qui non eſſent aſſenſi, ſi potuiſſent oſtendere Areopagitæ ſcripta eſſe, quæ Areopagitæ tribuebant.

Sic anni ſunt à Chriſto ampliùs quingenti, de quorum ſilentio Catholici contra libros Areopagitæ præſcribunt, & præſcriptioni huic conſentiunt hæretici, qui libros obiecerant.

Hæc autem cùm ita ſint, qui modò Areopagitæ ſcripta vt germana vindicant, id faciunt, quod Seuerianos poſt Catholicorum reſponſionem facere puduit, vſque adeò res viſa eſt notiſſima. Qui verò Areopagitæ ſcripta, vt ſubdititia reiiciunt, id quoque faciunt, quod veteres Epiſcopi bene Catholici facere non erubuerunt: Quapropter deſinent alij, opinor, ea pro aſſerendis Areopagitæ libris argumenta texere, quæ ex huius vel illius ſectæ titulo parent inuidiam, niſi paullum inconſideratè velint talionis legem experiri: ſi quis enim Catholicus Areopagitæ libros vt ſpurios abiiciat, id continuò exprobres à ſectariis hodiernis fieri; tunc ille tibi ſtatim reponet, hos libros tanquam genuinos à veteribus hæreticis admitti, ſed à Catholicis extemplo contra hæreticos illos diſputantibus reiici. Sic ſemper vtendum eſt rationibus quæ veritatem aſſerant, nec concilient inuidiam. Nam veritas non eget patrocinio dicacitatis.

Ex hac autem ratione manifeſtum redditur,

Digitized by Google

Liberatum grauiter errare, cùm in Breuiarij capite x. ita ſcribit: *Cyrillus quatuor libros ſcripſit, tres aduerſus Theodorum & Diodorum, quaſi Neſtoriani dogmatis auctores, & alium de Incarnatione librum: In quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta teſtimonia, Felicis Papæ Romani, Dionyſij Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi, & Gregorij mirabilis* Θαυματουργοῦ *cognominati.* Liberatus vt apparet ex incerto rumore hæc iecit in ſuos commentarios. Cyrillus librum nullum edidit, in quo Dionyſium Areopagitam laudaret, immò quia Cyrillus laudauit nuſquam, Catholici in iſta collatione libros Areopagitæ vt ſpurios abiiciunt. Deinde niſi mendoſus ſit locus, & *Areopagitæ* nomen aduentitium, error eſt intolerabilis, cùm Dionyſium Areopagitam Corinthiorum Epiſcopum facit, ſiue Dionyſium hunc ex Athenienſi in Corinthiorum Eccleſiam migraſſe putet, ſiue eum confundat cum Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, qui ad annum Chriſti CLXXV. claruit, & de quo ſic Hieronymus in Catalogo: *Dionyſius Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopus tantæ eloquentiæ & induſtriæ fuit, vt non ſolùm ſuæ ciuitatis & prouinciæ populos, ſed & aliarum vrbium & prouinciarum Epiſcopos epiſtolis erudiret.*

11. Magnus orator Romanus ab Hieronymo quæſiuerat, cur libris Eccleſiaſticis admiſceret literas Ethnicorum & veluti ſacra profanis inficeret. Hieronymus ſcribit ad Magnum, oſtenditque quatenus id liceat, & quorum exemplo faciat. Inter auctores, quos magno in numero recenſet, Areopagitam non ponit, etiamſi

ponendi occaſionem habuerit, cùm ex argumento, quod eſt præ manibus, tum ex eo, quod Athenienſium ſcriptorum ita meminerit: *Curram per ſingulos. Quadratus Apoſtolorum diſcipulus & Athenienſis Pontifex Eccleſiæ nonne Adriano Principi Eleuſinæ ſacra inuiſenti librum pro noſtra religione tradidit, & tantæ admirationi omnibus fuit, vt perſecutionem grauiſſimam illius excellens ſedarit ingenium. Ariſtides Philoſophus vir eloquentiſſimus eidem Principi Apologeticum pro Chriſtianis obtulit, contextum Philoſophorum ſententiis.* Si quos Areopagitæ libros nunc habemus, tunc extitiſſent, eóſque compoſuiſſet Dionyſius primus Athenienſium Pontifex, nonne Hieronymus eos propoſuiſſet, quòd auctor Platonis modum philoſophandi imitetur? Nonne vt Patres alij, ita & Dionyſius Hieronymi cauſam adiuuiſſet, cùm poſtea ſubiicit: *Qui omnes* (Græci ſcriptores) *in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos refarciunt libros, vt neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam Scripturarum?*

Præterea Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Quadratum Athenienſem Epiſcopum, & Ariſtidem Philoſophum Athenienſem collocat, & quid vterque ſcripſerit, diligenter animaduertit. Cur igitur occaſione data præteriret Dionyſium ſi quid ille ſcripſiſſet? Cur Hieronymus minus nouiſſet Dionyſij, quàm Quadrati & Ariſtidis libros, qui ad nos neutiquam peruenerunt? Abſurdum eſt dicere Hieronymum nouiſſe libros, quos non recenſuiſſet,

Digitized by Google

cùm recenſendi argumentum tractaret, id eſt, librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis conficeret. Abſurdum quoque eſt dicere, Hieronymum ſtatuiſſe auctores recenſere, quos Euſebius recenſuerat, & eos prætermittere, quos ille prætermiſerat. Quaſi verò Hieronymus id conſilij vnquàm inierit, vel auctores non recenſuerit multò plures, quàm Euſebius!

Ad extremum, Sophronius, qui Hieronymi librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis Græcè traduxit, ei nonnullos inſeruit, quos Hieronymus non inſeruerat, ſed Dionyſium Areopagitam non inſeruit. Sic tunc nec in Occidente, nec in Oriente, nec apud Græcos, nec apud Latinos rumor vllus fuit Dionyſium hunc libros aliquos edidiſſe.

III. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus apud Euſebium ſemel atque iterum meminit Dionyſij, quem beatus Paulus Athenienſem Epiſcopum inſtituerat, Cæſarius Gregorij Nazianzeni frater, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, de Dionyſio Areopagita loquuntur, & quamuis eum ſcripta reliquiſſe poſteris, ex opportunitate data ſignificare potuerint, ſignificarunt tamen nuſquam. Hos autem omnes nimiùm affectati ſilentij, vel κρύψεως, vel inuidiæ quis accerſeret?

IV. Gregorius Magnus in Homilia XXXIV. non eſt auſus hos libros Dionyſio Areopagitæ aſſerere, idque teſtatur vtens voce, *fertur: Qui in ſe donorum gratiam minimè recognoſcit, gemat. Qui verò in ſe minora cognoſcit, aliis maiora non inuideat, quia & ſuperna illa diſtinctiones beato-*

Digitized by Google

rum Spirituum, ita ſunt condita, vt alia aliis ſint prælata: Fertur verò Dionyſius Areopagita antiquus videlicet & venerabilis Pater dicere, quòd ex minorum Angelorum agminibus fo: as ad explendum miniſterium, vel viſibiliter, vel inuiſibiliter mittuntur. Ex hoc autem ſcribendi modo conſtat perſpicuè cum hæſitatione loqui Gregorium, nec imitari morem ſacræ Scripturæ, quæ in rebus certis ad mentem aliorum ſe accommodans, ambiguis verbis non raro vtitur, dicendo *fortè*, *fortaſſis*, *vtrum*, & ſimilia. Huc accedit quòd Gregorius in hac homilia cæleſtem Angelorum Hierarchiam aliter diſponat quàm Dionyſius Areopagita diſpoſuerit. quod & omnes Theologi obſeruant. Hoc autem prorſus oſtendit, Gregorium Dionyſij ſcripta ſe tanquam ſubdititia vel ſaltem incerta reputare ſecum; alioqui nobis ediſſerant, Gregorio quid cauſæ fuerit, cur à ſcriptis & auctoritate illius Doctoris receſſerit, quem raptus in tertium cælum Paulus erudiit?

v. Cùm ſcriptio, tum maximè ſcribendi methodus Areopagitæ ſæculo parum conuenit. Etenim qui hoc tempore ſcribunt, in tribus potiſſimè ſcriptorum generibus elaborandis inſudant, Alij pro Chriſtianis apologias componunt, quibus religionis nouæ ſinceritatem interpretentur, vel profitentium innocentiam probent, vel Principum animos à vexationibus abducant; Alij ſcribunt epiſtolas, quibus Chriſtianos in accepta fide corroborent, vel Eccleſiarum præpoſitos ſalutaribus documentis inſtruant, vel Chriſtianæ doctrinæ vtilitatem & terrenarum

rerum contemptum doceant, vel ad ſubeunda pro Chriſto tormenta inducant, vel quæ iam ipſi pertulerint, ſine fuco exponant. Alij denique commentarios edunt, quibus Chriſtianam fidem propugnent, & ei contrarias, quæ tunc oriebantur, hæreſes refellant. Hæc eſt conditio, hic genius ſæculi, in quo vixit Dionyſius Areopagita, hæc occupatio Scriptorum, qui ſuis operibus naſcentis Eccleſiæ pondera ſuſtentarunt. At contrà ſe res habet in libris, qui Areopagitæ tribuuntur. Horum enim librorum auctor de rebus Eccleſiæ perinde ſcribit, atque ſcriberet, qui in ſumma Chriſtianorum omnium pace, & dilatata per vniuerſum orbem religione, & fauentibus Principibus animum ad ſcribendum appuliſſet. Hinc nulla fit mentio Principum, qui Chriſtianos affligant, nulla texitur periodus, quæ inuidiam, calumniam, & inuſitata ſupplicia deprecetur, nulli leguntur martyres, qui ſuo ſanguine Eccleſiam fœcundent, nulla laceſſitæ religionis, quæ defendatur, apparent veſtigia. De fidelibus, qui inter cruciatus in profeſſione fidei confirmentur vel deficiant, de hæreſi, quæ palam confutetur, altum ſilentium. Sed quod mireris, nulla iniicitur mentio Athenienſium, quibus in fide nutriendis præpoſitus fuit Areopagita. Hæc autem omnia quo magis ac magis conſidero, eo magis ac magis adducor vt credam Dionyſium non edidiſſe libros, qui ſub illius nomine vulgati ſunt.

VI. Quam tractandi methodum adhibent nonnulli, vt libros Areopagiticos tueantur, ea debet impedire, nequis prudens & attentus ho-

mo illis aſſentiatur. Communes parant locos, qui omni materiæ ac proinde nulli conueniunt, qui verum & falſum iuxtà defendunt, qui libros Areopagitæ vindicant, tametſi diſputandi gratia ſubdititios fingas. In me recipio, his locis communibus vt veram retineri poſſe Ioannæ Papiſſæ hiſtoriam, quæ tamen fabuloſiſſima eſt. Hi autem communes loci videri poſſunt cùm apud alios, tum maximè apud Martinum Delrium in libello, quem Vindicias Areopagiticas vocauit. Quis certam eſſe veritatem crederet, quæ talibus indigeret præſidiis? ſua ſibi conſtat quærendæ & aſſerendæ veritatis ratio, ſua quoque ſibi conſtat operiendæ & retinendæ falſitatis ratio. Qui vtramque confundat Andabatarum morem imitatur, & partium ſtudiis ſeruit, non veritati, quæ cum falſitate nihil habet commercij.

Poſt Gregorij tempus recepta librorum Areopagiticorum auctoritas noſtro de illis iudicio non incommodat.

POST Gregorij Magni tempus ſors Areopagiticis operibus alium campum dedit, in quo liberè excurrerunt. Hæc opera Lateranenſe Concilium quod Martinus I. habuit, & ſexta Synodus in teſtimonium adduxerunt, innumeri Scriptores laudarunt: quod minimè diſſimulandum fuit. Verùm quidquid id eſt, nec iudicio noſtro, nec aſſertæ per illud veritati nocet.

In Lateranenſi Concilio & in ſexta Synodo libri Dionyſio inſcripti laudantur, ſed nullâ inquiſitione factâ vtrum ſint illius, laudantur. Aliud verò eſt priùs in auctorem libri ex quo

teſtimonium petitur, inquirere, & poſt inquiſitionem ex illo teſtimonium petere: Aliud auctorem libri ex quo teſtimonium petitur, ſine tali inquiſitione citare, & teſtimonium ex eo petere; quod in vtroque Concilio factum eſt, & ſine vlla præiudicij ſpecie factum eſt. Id Fronto Ducæus nos in ſimili cauſa docuit. Eius verba ſunt è notis ad Ioannis Chryſoſtomi tom. VI. *Neque verò mirum quoſdam ex illis* (Sermonibus) *in antiquis etiam Synodis ſub nomine Chryſoſtomi citari, cùm iam in vſu eſſet in Eccleſiis; neque ſoleant Concilia, dum teſtimonia proferunt, in auctores inquirere, aut alias quæſtiones excutere ab ea diuerſas, quam præ manibus habent, ſed quæ paſſim offeruntur, vſurpare, & quacunque ratione receptos ſcriptores hæreticorum commentis opponere, quemadmodum & Apoſtoli & reliqui Patres apocryphos libros, vt Hermæ, Paſtoris, & Euangelium Hebræorum ac Nazaræorum citarunt: licèt iam ab illorum temporibus mos ille inoleuiſſet, vt Patribus ſuppoſititios fœtus attribuerent, quemadmodum & ipſis Apoſtolis περιόδοις Pauli & Teclæ, & Acta Petri, & Apocalypſim adſcripſerunt.* & poſt alia. In Tractatum de ſancto Thoma. *Licèt autem vt genuinum eum* (Sermonem) *auctoris noſtri* (Chryſoſtomi) *fœtum propter ſtili diſparitatem non agnoſcamus, tamen eum commendat auctoritas Synodi Lateranenſis ſub Martino I. coactæ circa annum* DCL. *contra Monothelitas.* & allato loco ſubiungit: *Profertur idem locus in ſexta Synodo vniuerſali Conſtantinopoli ſub Agathone habita contra eoſdem Monothelitas.* Hæc ille vir & magna doctrina & acri iudicio præditus, quæ in

rem noſtram facilè tranſducuntur. Eadem eſt vtrobique ratio. Vt enim ſermonum quorundam ſub nomine Chryſoſtomi citatio in Lateranenſi Concilio, & in ſexta Synodo non efficit vt verè ſint Chryſoſtomi: ſic & in eodem Concilio & in eadem Synodo librorum ſub Areopagitæ nomine citatio non efficit, vt illi libri ſint proprij Areopagitæ fœtus. Præterea quæ de more Eccleſiæ & Conciliorum Ducæus animaduertit, Eccleſiam & Concilia ab errore liberant, quanquam auctoris citatio ad puram facti conditionem pertineat, quemadmodum & condemnatio Honorij Papæ, quæ in ſexta Synodo & facta eſt, & in conſequentibus Synodis confirmata. Neminem latet quid dicant illi, qui Honorium Monothelitam non fuiſſe, atque adeò malè condemnatum contendunt. Ne ſint hæc omnia, Iudas Apoſtolus in epiſtola vſus eſt teſtimonio libri Henoch, qui certè apocryphus habetur. quidni pariter Concilia vti potuerint teſtimoniis librorum, qui Areopagitæ falsò tribuerentur?

Hæc aptari facilè poſſunt auctoribus ſingulis, qui libros Areopagitæ in ſcriptis ſuis allegarunt. Quibus in cumulum accedet Baronius ad annum DCIV. *At in his, inquit, quæ rerum geſtarum veritatem ſpectant, quàm frequenter accidit falli etiam prudentiſſimos, non in antiquis tantummodò, ſed & in his, quæ facta eſſe dicuntur in eodem loco, quo ipſi ſunt, & quo viuunt tempore, ob idque nihil eſt, vt quantauis ſiue ſanctitatis, ſiue doctrinæ cuiuſlibet prærogatiua viri, quod non factum eſt vnquam, vt factum aſſerentis, ipſi veritati*

Digitized by Google

poſſit praiudicium inferre ; cùm in his , quæ ſunt facti, non dogmatis, potuerit quiſque ſanctiſſimus atque doctiſſimus fidei orthodoxæ profeſſor atque defenſor aliquando falli. Nunc rogo te , eminentia alicuius viri efficere poteſt , vt quod mendacium eſt veritas ſit , & quod perinde ac verum ab eo falſum aſſertum eſt , recipiatur ab omnibus. Huc quoque ſpectat cùm ad annum Chriſti c i x. ſcribit : *Iura veritatis ſunt ampliora omni antiquitate , quæ nulla plurimorum ſæculorum valeant præſcriptione lædi , nec innumera teſtium multitudine obrui atque labefactari.*

Ceterum qui Dionyſio Areopagitæ libros ſubiecit, eum ante Conſtantinopolitanam collationem, quæ anno D. X X X I I. Seuerianos inter & Catholicos habita eſt, vixiſſe certò conſtat, ſed quanto ante collationem illam tempore , non ita conſtat. vt ego dicam breuiter quod ſentio, à tempore Epheſinæ Synodi primæ vixiſſe mihi videtur. Hanc epocham obiiciunt nonnullæ ex iis rationibus, quas expoſui.

Digitized by Google

III.

BEATI

DIONYSII

PARISIORVM

APOSTOLI

ET MARTYRIS

VITA ET MIRACVLA

Ex optimæ fidei Scriptoribus collecta.

Digitized by Google

Beatus Auguſtinus lib. contra Epiſtolam Manichæi cap. IV.

Vt ergo hanc omittam ſapientiam, quam in Eccleſia illa Catholica non creditis, multa ſunt alia, quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas MIRACVLIS *inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.*

Idem libro de vtilitate credendi capite XVII.

Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam MIRACVLORVM *maieſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?*

Digitized by Google

IN BEATI DIONYSII Pariſiorum Apoſtoli geſta & miracula

PRÆFATIO.

QVÆ Hilduinus Dionyſij Pariſiorum Apoſtoli, & Martyris geſta & miracula prætermiſit, dum illius hiſtoriam conſcriberet, hîc in vnum colligimus, & quam glorioſo & illuſtri ſepulcro lucem eripuit, ex veriſſimis monimentis reſtituimus. Cur autem & ab Hilduino, & recentioribus aſſeclis neglectum adeò pium laborem aggrediamur, in cauſſa potiſſimum fuêre tria, quæ inter miraculorum fructus & vtilitates numerari conſuêrunt. Vnum eſt, quòd ad publicam pietatem pertineat, vt omnes ſciant, quæ Deus miracula per eum patrarit, qui primus Lutetiæ fidem Chriſti nuntiatum venit, & eam poſtea ſuo ſanguine conſecrauit. Alterum, quòd Sanctorum miracula religionem in animis communiter excitent, & Deum

credere, Deum adorare ſuadeant, inducántque. Et reuera vix vllus à pietate tam alienus eſt, qui, vbi rem, euentúmque nouum, à natura & ratione diſtantem videt, non ſtatim moueatur intimis præcordiis, non ictu quodam admirationis percelli ſe fateatur, numen aliquod in eo non agnoſcat, ad venerationem non componatur, & ad fidem gratiâ Dei intus operante non præparetur. Tertium, quòd Sanctorum miracula non apertam modò veræ religioni viam ſternant, ſed & veram à falſa certiſſimè diſtinguant. Primum beatus docet Auguſtinus contra epiſtolam Manichæi, ſecundum verò in libro de vtilitate credendi. Quare cùm diuinâ quâdam benignitate, & prouidentiâ factum ſit, vt olim ad Sanctorum ſepulcra & reliquias miracula patrarentur, aliis in fide firmandis hominibus, aliis formandis, Chriſtianus nemo dubitet, quin maximæ apud nos vtilitatis ſit, & ſolatij, tum quæ ad Dionyſij Pariſienſis ſepulcrum edita ſunt quondam miracula, recenſere, tum recenſita piis oculis frequenter vſurpare.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Dionyſij Pariſienſis in Galliam aduentus & martyrium.

QVATVOR ſunt antiqui ſcriptores, quibus acceptum referimus Dionyſij in Galliam aduentum & martyrium: primus Sancti Saturnini geſtorum auctor, & ſecundus Gregorius Turonenſis, qui lib. I. Hiſt. Francorum cap. XXVIII. illud vtrumque paucis quidem, ſed multa continentibus verbis ſic exequuntur: *Huius* (Decij) *tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt; ſicut hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus*, SICVT FIDELI RECORDATIONE RETINETVR, *primum ac ſummum Toloſana ciuitas habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt Turonicis Gatianus Epiſcopus; Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus*, PARISIACIS DIONYSIVS EPISCOPVS, *Aruernis Stremonius Epiſcopus; Lemouicinis Martialis deſtinatus eſt Epiſcopus. De his verò* BEATVS DIONYSIVS PARISIORVM EPISCOPVS DIVERSIS PRO CHRISTI NOMINE AFFECTVS

Digitized by Google

POENIS, PRÆSENTEM VITAM GLADIO IMMINENTE FINIVIT.

Tertius Fortunatus lib. I. Poëmatum cap. XI. vbi de eodem Dionyſio ita canit:

Qui feruente fide Chriſti ſolidatus amore,
Vertice ſuppoſito colla ſecunda dedit.
Membrorum contemptor erat, cupiendo coronam,
Vile putans quicquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio ſe miſit olympo,
Vnde mori voluit, vota ſalutis habet.

Idem lib. VIII. cap. IV. de Virginitate, ſeu, vt aliis placet, de gaudiis & ſpe vitæ æternæ:

Ipſe Pariſiaca properat Dionyſius æde,
Auguſtoduno Symphoriane venis.

Quartus denique Vſuardus monachus Sancti Germani Pariſienſis in Martyrologio, & primùm quidem Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri: qui cum* BEATO DIONYSIO EPISCOPO, *eiuſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Deinde ſeptimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum* DIONYSII EPISCOPI, *Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi; Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus ad præfatam vrbem deuenit; vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus, martyrium compleuit.*

Ex duobus primis auctoribus colliguntur aper-

tè quatuor; conſignatus ſub Decio Dionyſij in Galliam aduentus, Pariſiorum Apoſtolatus, martyrium, capitis ſcilicet obtruncatio, & Lutetia ipſummet oppidum, vbi Chriſti fidem ſuo ſanguine dedicauit.

Fortunatus carmine deſcribit martyrium, quod Dionyſius in ipſamet vrbe perpeſſus eſt.

Vſuardus cùm Piatonem Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi comitem facit, Dionyſij aduentum in Galliam ad Diocletiani & Maximiani tempus deprimit. Sic in ponenda quidem Dionyſij epocha diſſentit ab auctore vitæ Sancti Saturnini, & Turonenſi Gregorio; ſed cum illis in eo conſentit, vt perſpicuè ſignificet, Dionyſium hunc Areopagitam non fuiſſe. Quapropter ex Vſuardo argumentum inuictum ſumitur, Pariſiis tunc nullam extitiſſe de illius in hanc vrbem aduentu traditionem: ſi qua enim extitiſſet, nunquam fuiſſet ſecutus Fuſciani & Victorici acta, in quibus Piato Dionyſij noſtri comes efficitur. Hæc relata ſunt cap. VI. & à Milleti & Menardi impreſſionibus defenſa. Vſuardus caruit vita Sancti Saturnini, nec aduertit ad Gregorij Hiſtoriam, in qua Dionyſij aduentus ſub Decio collocatur: nec inde moueri poteſt per vllum auctorem, qui ſcriptore vitæ S. Saturnini ſit antiquior, æqualis, vel tempore proximus.

Digitized by Google

BEATI DIONYSII miracula.

CAPVT II.

Referuntur tria Dionyſij miracula.

GREGORIVS Turonenſis lib. I. cap. LXXII. de Miraculis, miracula duo memoriæ prodidit, quæ Lutetiæ in Baſilica Sancti Dionyſij ad illius ſepulcrum edita ſunt. Gregorij narrationem conſideremus. *Dionyſius verò Epiſcopus Pariſiorum* VRBI *datus eſt Martyr, tempore quo Sigibertus Rex cum exercitu ad vrbem illam venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad Baſilicam antedicti Martyris properat, non orationis deuotione, ſed tantùm vt aliquid fraudaret ab æde: ſcilicet vbi reſerata oſtia, ac vacuum templum à cuſtodibus reperiſſet, pallam holoſericam, auròque exornatam, & gemmis, quæ ſanctum tegebat* SEPVLCRVM, *temerario auſu diripuit, ſecúmque ſuſtulit. Veniens autem ad caſtra, fuit ei neceſſitas nauigandi. Cúmque puer eius, quem tunc creditum habebat, ſuſpenſis ad collum ducentis aureis, nauem cum eodem aſcendiſſet, ſubitò à nullo tractus, de naui decidit, oppreſſúſque aquis numquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in ſe cernens, per pueri amiſſionem & auri, velociter litori, de quo digreſſus fuerat, remeauit, pallámque* SEPVLCRI *ſumma velocitate reſtituit. Et licèt hoc fecerit, tamen diem,*

Digitized by Google

in quo hæc admiſerat, recurrente anni circulo non attigit.

Alius autem ſuper SEPVLCRVM *ſanctum calcare non metuens, dum columbam auream lanceâ quærit elidere, elapsíſque pedibus ab vtraque parte, quia* TVRRITVS *erat* TVMVLVS, *compreſſis teſticulis, lanceâ in latere defixâ, exanimis eſt inuentus. Id non fortuitò contigiſſe, ſed iudicio Dei geſtum, nullus ambigat.*

E duobus miraculis primum contigit anno circiter D. LXXVIII. quo Sigebertus fatis conceſſit; alterum verò ſpectatâ narrationis ſerie, & narratoris affectu non procul ab eodem tempore contigiſſe videtur. Hæc porro miracula aut vidit Gregorius, qui anno D. LXVI. factus eſt diaconus, & anno D. LXXIV. creatus Turonenſium Epiſcopus, aut ab iis, qui viderunt, per certam relationem accepit.

Tertium miraculum ſeu quoddam miraculi genus recenſet lib. X. Hiſtoriæ cap. XXIX. vbi beati Aredij mortem deſcribit: *Sexta quoque eius ægrotationis die mulier, quæ ab immundo ſpiritu ſæpius vexata, à Sancto emundari non poterat, ligatis per ſe à tergo manibus clamare cœpit ac dicere, Currite ciues, exilite ciues, exite obuiam Martyribus Confeſſoribúſque, qui ad exequium beati Aredij conueniunt: Ecce adeſt Iulianus à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialiſque ab vrbe propria. Adeſt Saturninus à Toloſa,* DIONYSIVS AB VRBE PARISIACA, *& nonnulli alij, quos vos vt Confeſſores & Dei Martyres adoratis.*

Hæc ad Gregorij tempus pertinent, ac pro-

Digitized by Google

índe certa; in quibus cùm ab vrbe Pariſiaca Dionyſius ad Aredij exequias progreditur, eum in hac vrbe non in pago ſepulcrum, vnde progrediatur, habuiſſe intelligimus.

CAPVT III.

Ad illuſtre Dionyſij ſepulcrum ſacramenta præſtantur, & reis Dei ſcelerum vltoris timor incutitur.

AD Sanctorum loca miſſos quondam fuiſſe, vt ſeſe purgarent, qui vel rei eſſent, vel maximam criminis alicuius ſuſpicionem ſuſtinerent, veterum monimenta ſatis ſupérque docent. Atque, vt de aliis nunc ſileam, id de noſtri Dionyſij ſepulcro teſtatum reliquerunt Gregorius Turonenſis, & Fredegarius: Gregorius quidem lib. v. Hiſt. cap. XXXIII. *Apud Pariſius*, inquit, *autem mulier quædam ruit in crimen, adſerentibus multis, quaſi quòd relicto viro cum alio miſceretur. Igitur parentes illius acceſſerunt ad patrem dicentes: Aut idoneam redde filiam tuam, aut certè moriatur, ne ſtuprum, aut generi noſtro notam infligat. Noui, inquit pater, ego filiam meam bene idoneam, nec eſt verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen conſurgat vlteriùs, innocentem eam faciam ſacramento. Et illi; Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper* TVMVLVM *hoc* B. DIONYSII *Martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito, ad Baſilicam Martyris ſancti conueniunt,*

eleuatiſque pater manibus ſuper altarium iurauit, filiam non eſſe culpabilem. E contrario verò periuraſſe eum alij à parte viri pronunciant. His ergo altercantibus, euaginatis gladiis in ſe inuicem proruunt, atque ante ipſum altarium ſe trucidant. Erant autem maiores natu, & primi apud Chilpericum Regem. Sauciantur multi gladiis, reſpergitur ſancta humano cruore Baſilica, oſtia iaculis fodiuntur, & enſibus, atque vſque ad ipſum SEPVLCRVM *tela iniqua deſæuiunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec iſta omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi verò properantes ad præſentiam Principis, non recipiuntur in gratiam, ſed ad Epiſcopum loci illius remitti eos iuſſum eſt: vt ſi de hoc facinore culpabiles non inuenirentur, ſociarentur communioni. Tunc ab Epiſcopo Ragnemodo, qui Pariſiacæ Eccleſiæ præerat, componentes quæ malè geſſerant, in communionem Eccleſiaſticam ſunt recepti.*

Quæ duo ad rem noſtram faciunt, ex his verbis facilè colliguntur, fuiſſe nimirum ipſa in vrbe dicatam Dionyſio Martyri Baſilicam, & in hac Baſilicâ Dionyſij Martyris ſepulcrum, ad quod rei purgari ſolerent.

Fredegarius verò capite LIV. Chronici. *Anno* XLIII. *regni Chlotarij, Vuarnacharius Maior domus moritur. Filius eius Godinus animum leuitate imbutus, nouercam ſuam Bertanem eo anno accepit vxorem. Vnde Chlotarius Rex aduerſus eum nimio furore permotus, iubet Arneberto Duci, qui Godini germanam vxorem habebat, eum cum exercitu interficere. Godinus cernens ſuæ vitæ habere periculum, terga vertens cum vxore ad Dagobertum Regem*

perrexit in Auſter, & in Eccleſia ſancti Apri regio timore perterritus fecit confugium. Dagobertus per Legatos pro eius vita ſæpius Chlotario Regi deprecabatur. Tandem à Chlotario promittitur Godino vita conceſſa, tantùm vt Bertanem, quam contra Canonum inſtituta vxorem acceperat, relinqueret. Qui cùm ipſam reliquiſſet, reuerſus eſt in Regnum Burgundiæ. Bertane continuò ad Chlotarium perrexit dicens: Si Godinus conſpectus Chlotarij præſentaretur, ipſum Regem vellet interficere. Godinus iuſſu Chlotarij per præcipua LOCA *Sanctorum domni Medardi Sueſſionis, & domni* DIONYSII PARISIVS, *eâ præuentione ſacramenta daturus adducitur, vt ſemper Chlotario deberet eſſe fidelis, vt congruè locus eſſet repertus, quo pacto ſeparatus à ſuis interficeretur.*

Quæ hoc in loco narrat Fredegarius, contigerunt anno XLIII. Chlotarij II. qui biennio pòſt è viuis excedens, heredem regni filium Dagobertum reliquit. Hîc mihi curæ non eſt nuperus ſcriptor, qui cùm inter certa & incerta, inter hiſtorias, & ægrotantium hominum ſomnia diſcrimen nullum poneret, duos ex Fredegario Dionyſios inuexit, quorum vnus in vrbe cum ſuo ſepulcro publicitus coleretur, alter verò in pago Pariſienſi duabus ab vrbe leucis incognitus propemodum, & inhonoratus iaceret, cui poſtea Dagobertus debitum honorem ſanciuit. Porrò verò cùm Dionyſium in vrbe ſepultum concedat eum eſſe, quem Gregorius Turonenſis, & antiquior Gregorio paſſionis Sancti Saturnini ſcriptor ſub Decio collocant, abundè nobis ſufficit, nec eſt ampliùs, quòd nunc de

Digitized by Google

alterius, & antiquioris Dionyſij, omni tunc retro memoriâ incogniti ſepulcro laboremus.

Gregorio iungendus eſt æqualis Fortunatus, quem non latuit Dionyſij noſtri ſepulcrum. Ita commeminit in Proſopopœia ad carmen de vita Sancti Martini libro IV. propè extremo:

——— Veniam tibi poſce libelle
Contentus tantùm Turonum pete mœnia ſupplex,
Qua Martinus habet veneranda ſepulcra ſacerdos.
Cuius honos tumuli faciat ſua rura tueri.
Inde PARISIACAM *placidè properatis ad* ARCEM,
Quam modò Germanus regit, & Dionyſius olim,
Si pede progrederis, venerato ſepulcra Remedi,
Atque pij fratris complectere templa Medardi.

Fortunato arx Pariſiaca eadem eſt, quæ Baſilica Sancti Dionyſij, vbi ſepulcrum illius ſignis & virtutibus illuſtrabatur.

CAPVT IV.

Quartum Beati Dionyſij miraculum recenſetur.

QVOD ordine quartum Beati Dionyſij miraculum vocamus, dabit nobis Audoënus Rotomagenſium Antiſtes in vita Sancti Eligij lib. I. cap. XXII. *Denique quodam tempore, cùm anniuerſaria* PARISIVS *S. Dionyſij martyris celebraretur paſſio, dum vigilia à Clero caneretur in choro, egreſſus Eligius è templo ad atrium ſe conferebat, viditque eminus virum cunctis mem-*

ſed in gratiam monaſterij ſui non obſeruarunt. Illud nobis ſuppeditat Flodoardus Presbyter Remenſis Hiſtoriæ lib. I. cap. XXIV. ſub finem. *Deſidiâ verò, vel raritate Scriptorum, plurima ſilentio conſtat neglecta mirorum. Nos tamen vnum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inſerendum. Quadam denique Sabbatorum die, iam veſperâ Dominici diei accedente, quadam paupercula, nomine Giſlaidis, ex familia Sancti Dionyſij villa Cortis ſuperioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipſius inhæſit dextræ, vt diuelli poſſet à nemine: Tandem mola manubrium ex vtraque parte manus abſcindere cogitur, indicium nolens ſecum deferre miſerabilis operæ. At ſalutis ſuæ ſolicita, quoniam* B. DIONYSII *tunc Remis ob infeſtationem paganorum ſeruabantur* MEMBRA, *veloci greſſu ad eiuſdem* SANCTI MARTYRIS *Domini ſui contendit accedere* PIGNERA. *Perueniens igitur, cum magno timore ac reuerentia ſolo prolapſa, liberationem deprecatur à tanta confuſionis miſeria. Id cùm die peregiſſet ac nocte, remedium inde non deſperans accipere, apparuit in ſomnis ei quidam clericali habitu, veſte indutus candidâ, facie iocundâ, capillo admodum albo, vultu pauliſper macilento, dicens illi:* Surge hinc, & vade ad Sanctum Theodericum, quia ſecundâ feriâ, quæ eſt poſt cras, ipſius erit feſtiuitas celebranda, & vide, ne in domo eius appareas vacua: ſed accipe ceram, prout tibi ad præſens ſuppetit facultas, & ſic ad Eccleſiam illius perge, & illius, quod imploras obtinebis interuentione. *Illa mox euigilans, hac de viſione ſtupefacta, orat ex voluntate Dei ſibi confirmari viſa, & cum gaudio*

Digitized by Google

feſtinat peragere iuſſa. Venit igitur ad Eccleſiam Sancti venerandæ ſolennitatis die, B. ſcilicet Theoderici, tres ſeptimanas habens, ex quo id diſcriminis acciderat illi. Tunc ſe ante ſepulcrum illius cum lacrymis ſternens, pro ſalute ſua preces effundit. Ibique totâ nocte perſeuerans in oratione veniam de piaculis ſuis humiliter ac fidenter expoſcit. Dúmque adhuc ante tumbam iaceret beati Confeſſoris Chriſti, diuina iubente gratia, per interceſſionem Sancti cœpit manus ipſius feminæ paulatim à ligno diſiungi, & abſque læſione cuiuſlibet doloris aperiri. Sicque dein tota manus expanditur, & lignum dicto citiùs in pauimento prolabitur, ac ſi manui nunquam adhæſiſſe videretur. Multi verò qui aderant, hoc ſupernæ pietatis cernentes miraculum, glorificauerunt mirabilem in Sanctis ſuis Deum.

Hæc Flodoardus, in quibus nunc animaduertimus duo: Vnum eſt, hoc miraculum æquè Dionyſio Martyri, ac Theoderico Confeſſori tribuendum eſſe, vt ex hiſtoriæ verbis apparet. Alterum, hoc miraculum non procul ab anno DCCCC. XL. contigiſſe, quo aut circiter hiſtoriæ finem impoſuit. *Nos vnum*, inquit, *quod nuper comperimus actum*, (MIRACVLVM) *decreuimus inſerendum.* Itaque de huius miraculi veritate nihil prorſus eſt, quòd quis dubitare meritò poſſit.

POENIS, PRÆSENTEM VITAM GLADIO IMMINENTE FINIVIT.

Tertius Fortunatus lib. I. Poëmatum cap. XI. vbi de eodem Dionyſio ita canit:

Qui feruente fide Chriſti ſolidatus amore,
Vertice ſuppoſito colla ſecunda dedit.
Membrorum contemptor erat, cupiendo coronam,
Vile putans quicquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio ſe miſit olympo,
Vnde mori voluit, vota ſalutis habet.

Idem lib. VIII. cap. IV. de Virginitate, ſeu, vt aliis placet, de gaudiis & ſpe vitæ æternæ:

Ipſe Pariſiaca properat Dionyſius æde,
Auguſtoduno Symphoriane venis.

Quartus denique Vſuardus monachus Sancti Germani Pariſienſis in Martyrologio, & primùm quidem Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri: qui cum* BEATO DIONYSIO EPISCOPO, *eiuſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Deinde ſeptimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum* DIONYSII EPISCOPI, *Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi; Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus ad præfatam vrbem deuenit; vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus, martyrium compleuit.*

Ex duobus primis auctoribus colliguntur aper-

Digitized by Google

tè quatuor; conſignatus ſub Decio Dionyſij in Galliam aduentus, Pariſiorum Apoſtolatus, martyrium, capitis ſcilicet obtruncatio, & Lutetia ipſummet oppidum, vbi Chriſti fidem ſuo ſanguine dedicauit.

Fortunatus carmine deſcribit martyrium, quod Dionyſius in ipſamet vrbe perpeſſus eſt.

Vſuardus cùm Piatonem Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi comitem facit, Dionyſij aduentum in Galliam ad Diocletiani & Maximiani tempus deprimit. Sic in ponenda quidem Dionyſij epocha diſſentit ab auctore vitæ Sancti Saturnini, & Turonenſi Gregorio; ſed cum illis in eo conſentit, vt perſpicuè ſignificet, Dionyſium hunc Areopagitam non fuiſſe. Quapropter ex Vſuardo argumentum inuictum ſumitur, Pariſiis tunc nullam extitiſſe de illius in hanc vrbem aduentu traditionem: ſi qua enim extitiſſet, nunquam fuiſſet ſecutus Fuſciani & Victorici acta, in quibus Piato Dionyſij noſtri comes efficitur. Hæc relata ſunt cap. VI. & à Milleti & Menardi impreſſionibus defenſa. Vſuardus caruit vita Sancti Saturnini, nec aduertit ad Gregorij Hiſtoriam, in qua Dionyſij aduentus ſub Decio collocatur: nec inde moueri poteſt per vllum auctorem, qui ſcriptore vitæ S. Saturnini ſit antiquior, æqualis, vel tempore proximus.

Digitized by Google

BEATI DIONYSII miracula.

CAPVT II.

Referuntur tria Dionyſij miracula.

GREGORIVS Turonenſis lib. I. cap. LXXII. de Miraculis, miracula duo memoriæ prodidit, quæ Lutetiæ in Baſilica Sancti Dionyſij ad illius ſepulcrum edita ſunt. Gregorij narrationem conſideremus. *Dionyſius verò Epiſcopus Pariſiorum* VRBI *datus eſt Martyr, tempore quo Sigibertus Rex cum exercitu ad vrbem illam venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad Baſilicam antedicti Martyris properat, non orationis deuotione, ſed tantùm vt aliquid fraudaret ab æde: ſcilicet vbi reſerata oſtia, ac vacuum templum à cuſtodibus reperiſſet, pallam holoſericam, auróque exornatam, & gemmis, quæ ſanctum tegebat* SEPVLCRVM, *temerario auſu diripuit, ſecúmque ſuſtulit. Veniens autem ad caſtra, fuit ei neceſſitas nauigandi. Cúmque puer eius, quem tunc creditum habebat, ſuſpenſis ad collum ducentis aureis, nauem cum eodem aſcendiſſet, ſubitò à nullo tractus, de naui decidit, oppreſſúſque aquis numquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in ſe cernens, per pueri amiſſionem & auri, velociter litori, de quo digreſſus fuerat, remeauit, pallámque* SEPVLCRI *ſumma velocitate reſtituit. Et licèt hoc fecerit, tamen diem,*

Digitized by Google

in quo hæc admiſerat, recurrente anni circulo non attigit.

Alius autem ſuper SEPVLCRVM *ſanctum calcare non metuens, dum columbam auream lanceâ quærit elidere, elapsiſque pedibus ab vtraque parte, quia* TVRRITVS *erat* TVMVLVS, *compreſſis teſticulis, lanceâ in latere defixâ, exanimis eſt inuentus. Id non fortuitò contigiſſe, ſed iudicio Dei geſtum, nullus ambigat.*

E duobus miraculis primum contigit anno circiter D. LXXVIII. quo Sigebertus fatis conceſſit; alterum verò ſpectatâ narrationis ſerie, & narratoris affectu non procul ab eodem tempore contigiſſe videtur. Hæc porro miracula aut vidit Gregorius, qui anno D. LXVI. factus eſt diaconus, & anno D. LXXIV. creatus Turonenſium Epiſcopus, aut ab iis, qui viderunt, per certam relationem accepit.

Tertium miraculum ſeu quoddam miraculi genus recenſet lib. X. Hiſtoriæ cap. XXIX. vbi beati Aredij mortem deſcribit: *Sexta quoque eius ægrotationis die mulier, quæ ab immundo ſpiritu ſæpius vexata, à Sancto emundari non poterat, ligatis per ſe à tergo manibus clamare cœpit ac dicere, Currite ciues, exilite ciues, exite obuiam Martyribus Confeſſoribúſque, qui ad exequium beati Aredij conueniunt: Ecce adeſt Iulianus à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialiſque ab vrbe propria. Adeſt Saturninus à Toloſa,* DIONYSIVS AB VRBE PARISIACA, *& nonnulli alij, quos vos vt Confeſſores & Dei Martyres adoratis.*

Hæc ad Gregorij tempus pertinent, ac pro-

Digitized by Google

inde certa; in quibus cùm ab vrbe Pariſiaca Dionyſius ad Aredij exequias progreditur, eum in hac vrbe non in pago ſepulcrum, vnde progrediatur, habuiſſe intelligimus.

CAPVT III.

Ad illuſtre Dionyſij ſepulcrum ſacramenta præſtantur, & reis Dei ſcelerum vltoris timor incutitur.

AD Sanctorum loca miſſos quondam fuiſſe, vt ſeſe purgarent, qui vel rei eſſent, vel maximam criminis alicuius ſuſpicionem ſuſtinerent, veterum monimenta ſatis ſupérque docent. Atque, vt de aliis nunc ſileam, id de noſtri Dionyſij ſepulcro teſtatum reliquerunt Gregorius Turonenſis, & Fredegarius: Gregorius quidem lib. v. Hiſt. cap. XXXIII. *Apud Pariſius*, inquit, *autem mulier quædam ruit in crimen, adſerentibus multis, quaſi quòd relicto viro cum alio miſceretur. Igitur parentes illius acceſſerunt ad patrem dicentes: Aut idoneam redde filiam tuam, aut certè moriatur, ne ſtuprum, aut generi noſtro notam infligat. Noui, inquit pater, ego filiam meam bene idoneam, nec eſt verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen conſurgat vlteriùs, innocentem eam faciam ſacramento. Et illi; Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper* TVMVLVM *hoc* B. DIONYSII *Martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito, ad Baſilicam Martyris ſancti conueniunt,*

Digitized by Google

eleuatiſque pater manibus ſuper altarium iurauit, filiam non eſſe culpabilem. E contrario verò periuraſſe eum alij à parte viri pronunciant. His ergo altercantibus, euaginatis gladiis in ſe inuicem proruunt, atque ante ipſum altarium ſe trucidant. Erant autem maiores natu, & primi apud Chilpericum Regem. Sauciantur multi gladiis, reſpergitur ſancta humano cruore Baſilica, oſtia iaculis fodiuntur, & enſibus, atque vſque ad ipſum SEPVLCRVM *tela iniqua deſæuiunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec iſta omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi verò properantes ad præſentiam Principis, non recipiuntur in gratiam, ſed ad Epiſcopum loci illius remitti eos iuſſum eſt: vt ſi de hoc facinore culpabiles non inuenirentur, ſociarentur communioni. Tunc ab Epiſcopo Ragnemodo, qui Pariſiaca Eccleſia praerat, componentes quæ malè geſſerant, in communionem Eccleſiaſticam ſunt recepti.*

Quæ duo ad rem noſtram faciunt, ex his verbis facilè colliguntur, fuiſſe nimirum ipſa in vrbe dicatam Dionyſio Martyri Baſilicam, & in hac Baſilicâ Dionyſij Martyris ſepulcrum, ad quod rei purgari ſolerent.

Fredegarius verò capite LIV. Chronici. *Anno* XLIII. *regni Chlotarij, Vuarnacharius Maior domus moritur. Filius eius Godinus animum leuitate imbutus, nouercam ſuam Bertanem eo anno accepit vxorem. Vnde Chlotarius Rex aduerſus eum nimio furore permotus, iubet Arneberto Duci, qui Godini germanam vxorem habebat, eum cum exercitu interficere. Godinus cernens ſua vita habere periculum, terga vertens cum vxore ad Dagobertum Regem*

perrexit in Auſter, & in Eccleſia ſancti Apri regio timore perterritus fecit confugium. Dagobertus per Legatos pro eius vita ſæpius Chlotario Regi deprecabatur. Tandem à Chlotario promittitur Godino vita conceſſa, tantùm vt Bertanem, quam contra Canonum inſtituta vxorem acceperat, relinqueret. Qui cùm ipſam reliquiſſet, reuerſus eſt in Regnum Burgundiæ. Bertane continuò ad Chlotarium perrexit dicens: Si Godinus conſpectui Chlotarij præſentaretur, ipſum Regem vellet interficere. Godinus iuſſu Chlotarij per præcipua LOCA *Sanctorum domni Medardi Sueſſionis, & domni* DIONYSII PARISIVS, *eâ præuentione ſacramenta daturus adducitur, vt ſemper Chlotario deberet eſſe fidelis, vt congruè locus eſſet repertus, quo pacto ſeparatus à ſuis interficeretur.*

Quæ hoc in loco narrat Fredegarius, contigerunt anno XLIII. Chlotarij II. qui biennio pòſt è viuis excedens, heredem regni filium Dagobertum reliquit. Hîc mihi curæ non eſt nuperus ſcriptor, qui cùm inter certa & incerta, inter hiſtorias, & ægrotantium hominum ſomnia diſcrimen nullum poneret, duos ex Fredegario Dionyſios inuexit, quorum vnus in vrbe cum ſuo ſepulcro publicitus coleretur, alter verò in pago Pariſienſi duabus ab vrbe leucis incognitus propemodum, & inhonoratus iaceret, cui poſtea Dagobertus debitum honorem ſanciuit. Porrò verò cùm Dionyſium in vrbe ſepultum concedat eum eſſe, quem Gregorius Turonenſis, & antiquior Gregorio paſſionis Sancti Saturnini ſcriptor ſub Decio collocant, abundè nobis ſufficit, nec eſt ampliùs, quòd nunc de

alterius, & antiquioris Dionyſij, omni tunc retro memoriâ incogniti ſepulcro laboremus.

Gregorio iungendus eſt æqualis Fortunatus, quem non latuit Dionyſij noſtri ſepulcrum. Ita commeminit in Proſopopœia ad carmen de vita Sancti Martini libro IV. propè extremo:

—— *Veniam tibi poſce libelle*
Contentus tantùm Turonum pete mœnia ſupplex,
Qua Martinus habet veneranda ſepulcra ſacerdos.
Cuius honos tumuli faciat ſua rura tueri.
Inde PARISIACAM *placidè properatis ad* ARCEM,
Quam modò Germanus regit, & Dionyſius olim,
Si pede progrederis, venerato ſepulcra Remedi,
Atque pij fratris complectere templa Medardi.

Fortunato arx Pariſiaca eadem eſt, quæ Baſilica Sancti Dionyſij, vbi ſepulcrum illius ſignis & virtutibus illuſtrabatur.

CAPVT IV.

Quartum Beati Dionyſij miraculum recenſetur.

QVOD ordine quartum Beati Dionyſij miraculum vocamus, dabit nobis Audoënus Rotomagenſium Antiſtes in vita Sancti Eligij lib. I. cap. XXII. *Denique quodam tempore, cùm anniuerſaria* PARISIVS *S. Dionyſij martyris celebraretur paſſio, dum vigilia à Clero caneretur in choro, egreſſus Eligius è templo ad atrium ſe conferebat, viditque eminus virum cunctis mem-*

bris contractum, contra SANCTI SEPVLCRVM *iacere in pauimento; à Deo inſpiratus acceſſit ad hominem, blandéque eum compellans cœpit ab eo inquirere, & tempora claudicationis, & cauſam ægritudinis ſimul ex eo ſciſcitans, num ſpem haberet in Chriſto, crederétque ſe quandoque ſanandum, itémque poſt mortem reſurrecturum, & vel præmia, vel pœnas pro meritorum qualitate recepturum. Cúmque illa ſecutus verba, cuncta hæc credere ſe fateretur: rurſus Eligius: Si ergo hæc, inquit, vt aſtruis, credis, quid ita inaniter hîc iaces? Roga potiùs* HVNC SANCTVM, *vt intercedens apud Dominum reddat te protinus ſanum: Dicente autem illo, ſe eâ causâ ibi excubare: Eligius eum intuens: Credis, inquit, poſſe* HVNC SANCTVM *iſtud tibi apud Deum obtinere: illo reſpondente ſe ſic credere: rurſus ad eum Eligius: ſi ſic credis, ait, promitte te iam deinceps Deo ſeruiturum, & vide, ne vacillet fides tua, & abſque mora ſanabit te Dominus, illo per omnia fidem dante. Fixit Eligius genua in terra, & prolixè orauit, deinde oculos pariter & palmas ad cælum attollens, Dominum Ieſum fide plenus promiſſionis fideliter admonuit, quâ dixit, Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Itémque: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Cúmque pleno pectore, ac fide deuotionis depoſceret conuerſus ad ægrum, apprehensâ eius dexterâ ait: Si indubitanter credis, ſicut promittis, in nomine Domini Ieſu Chriſti ſurge, & ſta ſuper pedes tuos; atque hæc dicens attraxit eum ad ſe fortiter, & illico nexibus artuum reſolutis, eleuatus æger ſtetit, móxque con-*

Digitized by Google

ſolidati ſunt pedes eius, & membra, & ſanatus eſt ipſâ horâ. Comminans autem ei Eligius & conteſtans præcepit, vt ſi nollet rurſus talia pati, nullum aliud de reddita ipſi ſanitate verbum ediceret, niſi quòd Dominus Ieſus per SANCTVM DIONYSIVM *eum ſanaſſet.*

Hactenus vir Sanctus, in quo certam ad hiſtoriæ fidem tria ſpectanda ſunt: Vnum, quòd Audoënus, & Dagoberti Regis Auricularius, & B. Eligij familiaris fuerit, vti ex multis, tum maximè ex lib. II. vitæ Eligij c. II. videre licet: *Conuenientes,* inquit, *ſimul in ciuitate Rotomagenſi* XIV. *die menſis tertij anno* III. *Clodouei iuuenculi adhuc Regis, die Dominica ante Litanias, conſecrati ſumus gratis ab Epiſcopis pariter Epiſcopi, ego Rotomago, ille Nouiomo.* Quare Audoënus non alia profectò, quàm indubitata, immo & fortaſſis viſa, vel ab Eligio accepta retulit in commentarios. Alterum, quòd non ante annum DC. LXV. quo Eligius abiit in cælum, Audoënus Eligij vitam & res geſtas literis commendarit. Tertium, quòd is vt minimùm fuerit Audoënus Dagoberti Cancellarius, qui nouerit inter pagum & oppidum, inter ſuburbium & vrbem Pariſienſem diſcernere.

CAPVT V.

Quintum B. Dionyſij miraculum refertur.

QVOD modò narraturi ſumus miraculum, videre quidem non potuit Hilduinus, ſed recentiores Hilduini diſcipuli videre potuerunt,

ſed in gratiam monaſterij ſui non obſeruarunt. Illud nobis ſuppeditat Flodoardus Presbyter Remenſis Hiſtoriæ lib. I. cap. XXIV. ſub finem. *Deſidiâ verò, vel raritate Scriptorum, plurima ſilentio conſtat neglecta mirorum. Nos tamen vnum, quod nuper comperimus actum, decreuimus inſerendum. Quadam denique Sabbatorum die, iam veſperâ Dominici diei accedente, quadam paupercula, nomine Giſlaidis, ex familia Sancti Dionyſij villæ Cortis ſuperioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipſius inhaſit dextræ, vt diuelli poſſet à nemine: Tandem molæ manubrium ex vtraque parte manus abſcindere cogitur, indicium nolens ſecum deferre miſerabilis operæ. At ſalutis ſuæ ſolicita, quoniam* B. DIONYSII *tunc Remis ob infeſtationem paganorum ſeruabantur* MEMBRA, *veloci greſſu ad eiuſdem* SANCTI MARTYRIS *Domini ſui contendit accedere* PIGNERA. *Perueniens igitur, cum magno timore ac reuerentia ſolo prolapſa, liberationem deprecatur à tanta confuſionis miſeria. Id cùm die peregiſſet ac nocte, remedium inde non deſperans accipere, apparuit in ſomnis ei quidam clericali habitu, veſte indutus candidâ, facie iocundâ, capillo admodum albo, vultu pauliſper macilento, dicens illi:* Surge hinc, & vade ad Sanctum Theodericum, quia ſecundâ feriâ, quæ eſt poſt cras, ipſius erit feſtiuitas celebranda, & vide, ne in domo eius appareas vacua: ſed accipe ceram, prout tibi ad præſens ſuppetit facultas, & ſic ad Eccleſiam illius perge, & illius, quod imploras obtinebis interuentione. *Illa mox euigilans, hac de viſione ſtupefacta, orat ex voluntate Dei ſibi confirmari viſa, & cum gaudio*

feſtinat peragere iuſſa. Venit igitur ad Eccleſiam Sancti veneranda ſolennitatis die, B. ſcilicet Theoderici, tres ſeptimanas habens, ex quo id diſcriminis acciderat illi. Tunc ſe ante ſepulcrum illius cum lacrymis ſternens, pro ſalute ſua preces effundit. Ibique totâ nocte perſeuerans in oratione veniam de piaculis ſuis humiliter ac fidenter expoſcit. Dúmque adhuc ante tumbam iaceret beati Confeſſoris Chriſti, diuina iubente gratia, per interceſſionem Sancti cœpit manus ipſius femina paulatim à ligno diſiungi, & abſque læſione cuiuſlibet doloris aperiri. Sicque dein tota manus expanditur, & lignum dicto citiùs in pauimento prolabitur, ac ſi manui nunquam adhaſiſſe videretur. Multi verò qui aderant, hoc ſuperna pietatis cernentes miraculum, glorificauerunt mirabilem in Sanctis ſuis Deum.

Hæc Flodoardus, in quibus nunc animaduertimus duo: Vnum eſt, hoc miraculum æquè Dionyſio Martyri, ac Theoderico Confeſſori tribuendum eſſe, vt ex hiſtoriæ verbis apparet. Alterum, hoc miraculum non procul ab anno DCCCC. XL. contigiſſe, quo aut circiter hiſtoriæ finem impoſuit. *Nos vnum*, inquit, *quod nuper comperimus actum*, (MIRACVLVM) *decreuimus inſerendum.* Itaque de huius miraculi veritate nihil prorſus eſt, quòd quis dubitare meritò poſſit.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Nonnulla in præcedentem Beati Dionyſij hiſtoriam Obſeruationes.

QVÆ exhibuimus Beati Dionyſij geſta & miracula, licèt certiſſima ſint, & ab ſinceris auctoribus memoriæ prodita, nonnullas tamen ſubiungimus obſeruationes, quibus illa partim illuſtrantur, partim firmantur, partim ab apocryphis, & incertis obſcurorum hominum monimentis defenduntur.

OBSERVATIO I.

Pauca, ſed certa de Dionyſio Pariſienſi traduntur.

NON multa quidem de Dionyſij vita, martyrio, martyriíque circunſtantiis tradidimus, quia vt veteres de primis fere omnibus Eccleſiarum ædificatoribus, ita & de Dionyſio Pariſienſi pauca tradiderunt. Scimus nonnullas mortis illius appendices ab Hilduino narrari, ſed eas illis permittimus, quibus ſine antiquiori & probatiori teſte placent. Nam ſatius eſſe remur, & Eccleſiæ regulis congruentius, pauca, eáque certa, quàm multa ſed incerta piæ memoriæ vindicare. Et reuera Vſuardus & Ado illuſtres Gallicani Martyrologi de re quapiam non abſimili ſcribunt: quòd *magis eligat ſobrie-*

Digitized by Google

tas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere. Quanquam in incertorum recenſione nihil eſſet, cur Milleti rhetoris noſtri ſtilum vererer, cui contra artis ſuæ profeſſionem iſtud Ariſtophanicum non probatur:

Τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ.
Τὴν παλαίαν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ
Παντί που χρὴ, μὴ δάκῃ ῥήτωρ, ἀθρεῖν.

Observatio II.

Narrantur Dionyſij miracula, quæ Hilduinus, Milletus, & Dubletius prætermiſerunt.

CERTVM eſt, Dionyſij miracula, quæ recenſuimus, ab Hilduino, dum illius hiſtoriam ſcripſit, & à Milleto, dum Sandionyſiaci Theſauri librum Gallicè vulgauit, & à Dubletio, dum monaſterij ſui antiquitates edidit, prætermiſſa fuiſſe. Sed vtrum Hilduinus, Dubletius & Milletus tres Sancti Dionyſij monachi negligentiâ vel induſtriâ prætermiſerint, ſolus Deus nouit, & ij, quibus duo poſtremi adhuc inter viuos religiosè degentes volent aperire. Negligentiam interpretabitur, qui ex illorum libris, quanta ſit in ſcribendo peritia & ſedulitas, deprehendet: induſtriam verò nec fortaſſis vanè ſuſpicabitur, qui hinc ἐυκαιρδῆ monachorum credulitatem, inde locum, vbi Dionyſij ſepulcrum olim extabat, diligentiùs attendet.

Observatio III.

Notatur vererum miraculorum vtilitas.

Dvbivm nullum eſt, quin verâ miraculorum, quæ populum diu latuerunt, cognitione pietas in Beatum Dionyſium augeatur, communes fidelium orationes erigantur, animentúrque: immo verò & pietas longè magis augeatur,& orationes erigantur, aut animentur vehementiùs, quàm rebus aliis, tametſi ad ſpeciem ſplendidioribus, & ad ſenſum vel cogitationem auguſtioribus, quæ fingerentur. Scilicet ineſt quædam vis veritati diuinitùs inſita, quæ cùm in omnibus, tum in ſacris hominum animos ſic peruadit, ſic percellit, vt mirabiles in iis nec ad breue tempus duraturos affectus, & effectus producat. Quod, vbi acutiſſimus Patrum Auguſtinus inſpiceret, dicere veritus non eſt, de vera religione ſcribens, *meliorem eſſe veram ſtipulam, quàm lucem inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formatam.*

Observatio IV.

Eadem vtilitas inculcatur.

Si quæ miracula Gregorius retulit, in ſacris ad populum de Dionyſio concionibus expenderentur, ſi tam illuſtris ſepulcri gloria extolleretur, ſi vindicata etiam in optimatibus violati ſepulcri iniuria prædicaretur, ſua certè Dionyſio

nyſio laus veriſſima conſtaret, templis, & Sanctorum tumulis reuerentia ſanciretur, Eccleſiarum, & ſacrorum ſupellectilium prædatoribus timor incuteretur. Quinetiam ex eo longè magis, quàm ex Hilduini & ſequacium figmentis, hominum animi, voluntatéſque in Dionyſij cultum accenderentur. Quod cùm ex multis, tum ex Auguſtino exiſtimari licet, qui appoſitam huic operi regulam libro iam laudato præſcribit. *Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris; melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt.* Repeto quidem iſtud alibi dictum, nec repetendum eſſet, niſi homines inepti, vel peruersè religioſi diſſimulaſſent. Sed tandiu Stentorea etiam voce repetendum eſt, quoad fabulatores tandem aliquando intellexerint, inde, ex veris nimirum, legitimam in Dionyſium pietatem non minui, vnde ſolùm contrà debeat, aut poſſit inter homines verè Chriſtianos augeri.

Observatio V.

Præſcribitur modus corrigendarum lectionum, quæ in Breuiario dicuntur de Dionyſio.

Ex verâ miraculorum Dionyſij hiſtoriâ multò honorificentiùs conficerentur Lectiones, quæ in Officiis Eccleſiarum cantari debent ad ſeptimum Idus Octobris, quàm ex Hilduini Areopagiticis. Etenim ſi Hilduinum ſpectemus, quis illum ante Gregorium Turonenſem, & Audoënum Rotomagenſem poneret? Si verò Areo-

Digitized by Google

pagitica expendamus, vt alibi expendimus, quis etiam ſanæ mentis illa cum iis, quæ cap. I. & II. III. & IV. retulimus, compararet? Enimuerò demus Hilduini Areopagitica non eſſe apertè fabuloſa, ſed ea, quæ in Areopagiticis narrantur, adhuc incomperta, & à grauibus inſuper viris, poſt maturam diſcuſſionem aliquo in pretio habita, quis tamen illa exploratiſſimæ miraculorum Dionyſij hiſtoriæ præferret?

Huic pio, & ad mentem Concilij Trid. accommodato operi commodè adiungeretur illa Lectio, quæ ante annos centum in Breuiario Romano habebatur. Vide caput XIV. Diſcuſſionis. Hæc obſeruatio facta ſit ſaluo meliori illorum iudicio, quos Eccleſia corrigendis ſacrorum rituum libris præeſſe voluit.

OBSERVATIO VI.

Memorata apud Gregorium, & alios veteres Dionyſij Baſilica erat in ipſa vrbe.

GREGORIVS baſilicam fuiſſe in ipſa Pariſienſi vrbe Dionyſio Epiſcopo conſecratam ſcripſit, & à Fortunato ſic confirmatur lib. I. opuſculorum & poëmatum cap. XI.

Qui cupis egregij ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpè timeret iter.
Exiguam dederat hîc præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco:

Quo vita claudente diem, pro lege gradúque:
Venit ad hæredem hoc opus, atque locus.
Fundauitque piam dehinc Papa Leontius aulam,
Obtulit & domino ſplendida dona ſuo,
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem,
Nomine ſub cuius ſanctificata nitet.

& poſt alia:

Nec anguſta priùs ſubtraxit fana ſacerdos,
Hæc niſi perficeret, quæ modò culta placent.
Aſſiduè in priſco peragens cerimonia templo,
Donec rite ſequens conſolidaſſet opus.

Ex his verſibus tres à Fortunato memorari baſilicas diſcimus; vna eſt, quæ primùm extra vrbem frequentabatur, ſed an fuerit in ſuburbio, vt Milletus ſcribit in reſponſione ad nonum caput Diſſertationis, non ſignificat Fortunatus, immo ſignificat potiùs ab oppido remotiſſimam fuiſſe:

Longius hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.

Altera, quæ poſtmodum in vrbe ædificata, & Dionyſio conſecrata eſt ad annum circiter DXXX. quo Amelius Epiſcopus Pariſienſem regebat Eccleſiam. Vti conſequentes verſus indicant:

Exiguam dederat hîc præſul Amelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.

Tertia baſilica, eáque capacior, quàm Leontius Burdegalenſis ad annum DL. extruxit: vt iſto verſu docemur:

Fundauitque piam dehinc Papa Leontius aulam.

De hac ſeu altera intelligendus videtur Gregorius, vbi Creſcentiæ virginis ſepulcrum & virtutes exequitur, lib. de gloria Confeſſorum cap. cv.

Tumulus, inquit, *erat in vico Pariſiorum haud procul à loco, in quo Senior, vt aiunt, Eccleſia nuncupatur.*

Hæc porrò fuit ædes illa ſacra, quam milites Sigeberti Regis expilarunt, hæc Dionyſij tumulum incluſit, ad quem pugnantium in eadem æde hominum tela penetrarunt, hæc propter patratam tunc cædem diuinum perdidit Officium, vt loquitur Gregorius, & à Fortunato vt Epiſcopalis ſic decantata eſt:

Nec anguſta priùs ſubtraxit fana ſacerdos;
Hæc niſi perficeret, quæ modò culta placent.
Aſſiduè in priſco peragens cerimonia templo,
Donec ritè ſequens conſolidaſſet opus.

His opinor, accedunt alij verſus poëmatis de laude Cleri Pariſienſis:

Celſa Pariſiaci Cleri reuerentia pollens,
Eccleſiæ genium, gloria, munus, honos.
Carmine Dauidico diuina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce reuoluit opus.

Cur autem ante Amelium Pariſienſibus Chriſtianis templum in vrbe nullum patuit, duo, nî fallor, in cauſſa fuerunt, electorum paucitas, & ſuperſtitio idololatrarum, quorum dominatus Lutetiam premebat. Verùm ex quo Clodoueus Chriſti fidem ſuſcepit, plures ſenſim, vt fit, Regis exemplum ſecuti ſunt, nec multò pòſt Amelius Epiſcopus & alij fideles Lutetiæ baſilicam Dionyſio conſecrarunt; & in ea TVRRITVM ILLI TVMVLVM excitarunt, ſiqua fides ſanctiſſimis & oculatis teſtibus habeatur.

Cuinam verò templum, in quo primi Pariſiorum Chriſtiani extra vrbem ſynaxes egerunt,

dedicatum eſt, & qua in pagi regione ſitum illud fuit, ex his duobus verſibus vix quiſquam coniiciet:

Longiùs hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.

Quare de vtroque malim ego nunc ſuſpendere iudicium, quàm quod neſciam temerè affirmare.

Ceterùm huiuſce rei, quam perſequitur Fortunatus, veſtigium hodiéque perſeuerat ea in æde, quæ à Dionyſio paſſo Eccleſia B. Dionyſij *de paſſu* corruptè nuncupatur. Id in hac, quod in aliis quibuſdam Pariſienſibus baſilicis annorum vices obtinuerunt, vt ex Latinis nominibus Gallica locutio noſtra primùm deriuata ſit; deinde, vbi amiſſa eſt temporum detrimento genuina nomenclatio, ex Gallica locutione non tam Latinus, quàm barbarus Eccleſiarum titulus os multorum, libróſque occuparit. Teſtatur hoc Eccleſia Sancti Stephani ad portam San-Iacobæam, quæ, cùm non ita pridem *de Greſſibus* appellaretur, nunc ex aliena quadam vernaculæ linguæ imagine, & affinitate *de Græcis* appellatur. Illud quoque teſtatur Eccleſia Sancti Andreæ vulgò *de Arcubus*, aut etiam propter Academiæ confinium *de Artibus* dicta, quæ ex territorio Abbatiæ S. Germani ſubiecto quondam *de Laaſſo* certiſſimè vocabatur.

Neque verò audiendi ſunt, qui, quam vim, notionémque apud Eccleſiaſticos tractatores habeat verbum *(paſſus)* illud perinde interpretantur, quaſi non qui mortem eò loci, ſed qui primos tantùm pro religione cruciatus ſuſtinuerit. Siquidem hoc eſt, ſuſque déque habita pri-

ſcorum ſenſa recentiorum figmentis aptare, & offuſam nonnullis viciniorib us ſæculis noctem reddere obſcuriorem: tantùm abeſt, vt accerſitâ ex antiquioribus luce depellatur.

Observatio VII.

Ex teſtimonio vitæ Sancti Eligij colliguntur tria.

Ex teſtimonio vitæ beati Eligij, quod capite quarto retulimus, & quibuſdam notis illuſtrauimus, tria colliguntur: inprimis erectum pridem non in pago, ſed in vrbe Pariſienſi Dionyſij martyris ſepulcrum: deinde propter illud editum ab Eligio miraculum, quod ſeu Dionyſio, ſeu Eligio, ſeu vtrique tribuatur, ſemper Deus eſt mirabilis in Sanctis ſuis, & Sanctorum ſepulcra, & veneratio fidelibus commendantur. Denique ſubdititia & fabuloſa videri, quæ de Dagoberto feram agitante retulit Aimoinus lib. IV. de Geſtis Francorum. Tunc enim, qui ſimplicem veritatem vltrò oblatam proferre facilè poterant, mendacia cum labore confinxerunt.

Observatio VIII.

Aſſignatur cauſa, cur B. Eligius Dionyſij ſepulcrum adornarit.

Miraculum illud, quod Eligius Lutetiæ ad Dionyſij tumulum patrauit, in cauſſa fuit opinor, cur, vt ait Audoënus lib. I. vitæ Eligij cap. XXXII. *fabricarit etiam Eligius*

mauſoleum Sancti Martyris Dionyſij in PARISIENSI CIVITATE, *& ſuper illud tectum marmoreum mirifico opere auro & gemmis ornatum, itémque criſtam & ſpecies de fronte magnificè compoſuit: necnon & axes in circuitu throni altaris auro operuit, & poſuit in eis poma aurea atque gemmata. Lectorium quoque & oſtia diligenter argento veſtiuit. Sed & tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoque repam in loco anterioris* TVMVLI, *& altare extrinſecus ad* PEDES S. MARTYRIS *fabricauit. Tantúmque illic, ſuppeditante Rege, ſuam exercuit induſtriam, atque ita ſuum declarauit ingenium & artificium, vt penè ſingulare ſit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione vſque in hodiernum diem.*

His operibus mirificè perfectis, atque omnibus circumquaque gentibus ſedatis, ferociſſimis etiam Vaccais ditioni ſuæ hoſtili gladio ſubactis, mortuus eſt Rex magnus & inclytus DAGOBERTVS, *& ſepultus eſt in eadem Sancti Dionyſij baſilica, ſub arcu in latere dextero.*

Hæc oculatus teſtis, quibus in ſequenti Galliæ miſeria tenebræ pluſquàm Cimmeriæ ſuperinductæ ſunt.

Ad hæc, in iſta celebri Dionyſij martyris baſilica ſepultus dudum fuerat Dagobertus Chilperici filius, vt auctor eſt Gregorius Turonenſis lib. v. Hiſt. cap. xxxv. *Poſthæc*, inquit, *infantulus iunior, dum nimio labore tabeſcit, extinguitur. Quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco* PARISIVS AD BASILICAM SANCTI DIONYSII *ſepelire mandauerunt.*

In reſponſione ad caput nonum Diſſertatio-

nis occurrit Millètus, & quæ ex Gregorio, Fredegario & Audoëno in oculis omnium defiximus, ea inuoluta & ſalebroſa fingit, vt in gratiam monaſterij ſui retractata non bene interpretetur: *Vtinam*, inquit, *nihil inuolutius ſalebroſiúſque moram faceret hiſtoriæ veteri. Nomine Pariſiorum, aut etiam ciuitatis Pariſiorum non ipſamet vrbs, ſiue oppidum intelligi debet, ſed vniuerſus populus, vniuerſáque regio, in qua eadem obſeruantur viuendi leges.* O virum illuſtrandæ veteri hiſtoriæ natum, ſi veterem hiſtoriam ſincerè tractaſſet, nec in ea varias temporum conuerſiones confudiſſet! Quis enim eſt in rebus Galliæ tam rudis, & imperitus, vt ignoret Gregorij, Fredegarij & Audoëni æuo nomen *Pariſius* non pro ipſa regione, ſed pro ſolo oppido ſolitum vſurpari? Quare demus ſtante Republica & Imperio nomine *Pariſiorum* non oppidum modò, ſed vniuerſam regionem ſignificari, hoc ad annos excidium Imperij conſequentes quid attinet? Quibus regionis nomen ad ſignificandam vrbem ita reſtrictum eſt, vt apud Gregorium, Fredegarium, Audoënum, & alios mediæ ætatis ſcriptores idem ſit Pariſius vel Pariſienſis ciuitas, quod Lutetia.

Sed ne ab Audoëno, vnde orta contentio eſt, recedam; diſtinxit ille ſemper, quæ Sancto Eligio in vrbe & in ſuburbiis Pariſiorum contigerunt. Quid memorem caput XXIX. lib. I. vitæ Eligij? vbi ſic habetur: *Cùm aliquando Pariſius commoraretur, & ad neceſſarium quendam locum abire pararet, explorantes egeni, quà tranſiturus eſſet, cuncti ex more ad pontem ſeſe contulerunt.*

Idémne eſt hoc loco Pariſius, ac vniuerſa Pariſiorum regio? Quid referam caput XXXVI. eiuſdem libri? *Sed & alium apoſtatam cùm comperiſſet plebem euertere Pariſius, multa affectum ignominia exterminauit ab vrbe.* Hîc, ſi ſuperis placet, idem Pariſius, quod vrbs. Quid adducam caput XVIII. libri II? *Vir quidam in Pariſienſi ſuburbio, haud procul à baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis morabatur.* Non dicit Pariſius, ſed in ſuburbio Pariſienſi, quamuis præ nimia vicinitate dici potuerit, vt ab aliis ad illud vſque tempus dictum reperitur. Sed aliud nomine *Pariſius* expreſſum Pariſienſe ſuburbium, quod nunc in vrbe eſt, aliud expreſſa regio Pariſienſis vniuerſa, & quodlibet regionis oppidulum. Quid adducam cap. XXXV. eiuſdem libri? *Satagebat Regina, vt corpus beati viri* (Eligij) *in Calam monaſterium eius transferretur, ſed è diuerſo alij Pariſius illud transferre volebant, quibus vtriſque ſeſe opponebant Nouiomenſes.* Erit igitur interprete Milleto, Pariſius idem atque vniuerſa Pariſiorum regio, in qua Calenſe monaſterium quatuor aut quinque leucis diſtat ab vrbe Pariſius. Quid producam caput XLVIII. eiuſdem libri? *Peſte aliquando Pariſius graſſante, cùm aliquot iam virgines monaſterij beati viri, cui Aurea Abbatiſſa præerat, migraſſent.* Vtinam nihil inuolutius, ſalebroſiúſque moram faceret hiſtoriæ veteri! Cùm in ea igitur nomine Pariſiorum non ipſamet vrbs, ſed vniuerſa regio, intelligitur, hocce virginum monaſterium intelligat Milletus in vrbe vel in Pariſienſi pago ſitum, & cornicum oculos configat. Quid denique memorem

caput II. libri II. vbi Audoënus ſcribit, ſe & Eligium *in Rotomagenſi ciuitate* conſecratos fuiſſe Epiſcopos? Quò loci Rotomagenſis ciuitatis nomine interpretetur, ſi lubet, villulam quandam, vbi conſecrati fuerint Epiſcopi, & illam fortè, quæ nunc Portus Sancti Audoëni vocatur. Quæ ridicula interpretatio non minùs aptè cadet in Rotomagenſem ciuitatem, quàm accerſitus à Milleto è Commentariis Cæſaris locus in Pariſienſem ciuitatem, vbi ex Audoëno mauſoleum Dionyſij martyris Eligius fabricauit.

Hæc cùm ita ſeſe habeant, nemo iure dubitet, quin Dagobertus Magnus non in agro Pariſienſi, ſed Lutetiæ in illa Dionyſij baſilica ſepultus fuerit. Quippe ſepultus eſt in ea Dionyſij baſilica, cuius capite præcedenti mentionem Audoënus fecit; at illa ipſamet eſt, quæ Dionyſij tumulum continebat, quæ operibus ab Eligio affabrè factis decorabatur. Deinde iſtud ipſum paucis adhuc traditur in vita Sigeberti Regis filij Dagoberti: *Rex*, inquit auctor ſynchronus, *Dagobertus tam iuſtè & prudenter regno vtroque ordinato, ne aliquando aliquo modo vel fratres inter ſe fraterno odio diſſiderent, vel regnum in ſeipſo diuiſum ciuilis belli deſolaretur ſcandalo, anno regni ſui* XVII. *mortuus, & Pariſius in* BASILICA S. DIONYSII *ſepultus, regnum dimiſit ab exteris pacatum gentibus, & in nullo diminutum à ſuis finibus.*

Sed reſiſtit adhuc aduerſarius, affirmátque, *Dagobertum ea in Eccleſia humatum fuiſſe, vbi nunc videtur ab iis, qui oculos habent.* Quaſi verò tanta foret in aliquibus oculorum acies, vt quo in

Digitized by Google

loco primùm Dagoberti corpus conditum eſt, intueri valerent, aut diſcernere? quaſi ea, quæ dono ſeu alia ratione illaudabiliori transferri poſſint, nunc in vno, nunc in alio non viderentur loco? Quid prætereà vetat à monachis, vt Eugenij Archiepiſcopi Toletani, ſic & Dagoberti Regis tumulum pridem commonſtratum fuiſſe? Nônne in monaſterij parietinis pinguntur, quæ & in optimi Principis dedecus vertuntur, & nunquam contigerunt?

Observatio IX.

Acta Beatæ Genouefæ poſteriora ſunt Hilduino.

QVÆ de conſpicuo in ipſamet Pariſiorum vrbe Dionyſij ſepulcro diſſeruimus anteà, manifeſtè oſtendunt Hilduino poſteriora eſſe Genouefæ geſta; ſeu quæ ſub prælo iam ſudarunt; ſeu quæ adhuc manuſcripta leguntur. Etenim qui geſta illa poſt Hilduini tempus identidem reconcinnarunt, non modò variis corruperunt aſſumentis, vt vidimus, ſed vicum Lutetiæ, in quo Dionyſius martyrium fecit, ab vrbe non vno modo remouerunt: alij tribus milliaribus, vt apud Surium; alij ſex, vt in Codice MS. Sancti Victoris; alij non vicum, ſed locum ſex à Nannetodoro milliaribus diſtantem appellarunt, vt apud Textorem in vita Sanctæ Genouefæ; alij vicum ſimpliciter non paganum, vel vrbanum dixerunt, vt in Codice MS. Cæleſtinorum Pariſienſium, quem antè laudauimus.

Deinde vicum illum ſeu locum quidam Catullacenſem, vt apud Surium; quidam Catholacenſem, vt apud Textorem, & in memorato vtroque Codice MS. quidam Catulliacum, vt monachus anonymus Sancti Dionyſij in geſtis Dagoberti; quidam ſyluam Catulacenſem vocarunt, vt Milletus in Vindiciis.

Denique nonnulli Catulliacum à Catula gentili muliere dictum voluerunt, vt monachus antè dictus in geſtis Dagoberti: nonnulli verò, vt recentiores Græci in Menæis, Catulam priùs μακαρίαν fecerunt, quàm id genus feminæ in humanis vnquam extitiſſe probarent, quod tamen ad illius beatitatem non ſufficeret; nonnulli forſan alij in alia pro arbitrio placita abierunt. Sed hæc omnia ad ſequioris cæcioríſque ætatis intertrimenta ſpectant, quibus non omnino fidendum, niſi præuertente fabulas antiquitate ſuffulciantur. Quamobrem ex regula Tertulliani nunquam ſatis laudata inter Gregorium, Fortunatum, Fredegarium, Audoënum, & Genoueſæ geſtorum interpolatores, *determinet temporis ratio ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei praiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur. In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum.*

Huc maximè ſpectant obſeruationes xv. xvi. xxi. & xxvii. libelli noſtri, quem inſcripſimus Iudicium de Hadriani Valeſij diſceptatione.

Obſervatio X.

Quando & vnde Beati Dionyſij corpus tranſlatum eſt Remos.

Annvs agebatur octingenteſimus octogeſimus ſeptimus, cùm Beati Dionyſij corpus Remos tranſlatum eſt: ſic ex Chronico Remenſi, quod nuper prodiit, colligitur: *Anno* v. *præſulatus Fulconis Remenſis Archiepiſcopi metu Nortmannorum tranſlatus eſt ſanctiſſimus Chriſti Martyr Dionyſius ad Remenſem vrbem in Eccleſiam, quæ nunc dedicata eſt in honore eius, ibique moratus ferme per trium curricula annorum.* Fulco ſucceſſit Hincmaro, qui an. Chriſti DCCCLXXXII. migrauerat. ac proinde Fulconis annus v. quo facta eſt tranſlatio in ann. Chriſti DCCCLXXXVII. incurrit. Sic certum habetur, quando Dionyſij corpus Remos tranſlatum eſt, & quandiu ibi permanſit.

Flodoardus in lib. IV. Hiſt. Remenſis cap. VIII. ſcribit quidem monachos monaſterij Sancti Dionyſij tranſtuliſſe corpus Dionyſij, ſed non indicat locum, vnde tranſtulerint. Flodoardi verba ſunt: *Eo tempore Nortmannis Francorum terras infeſtantibus & diuerſa loca depopulantibus, hic Pontifex plures tam ſacerdotes, quàm ceteros clericos & monachos ad ſe vndecunque confluentes benignè ſuſcepit & paternè fouit. Inter quos etiam monachos S. Dionyſij cum ipſius martyris pretioſo corpore, aliorúmque Sanctorum pignoribus recepit & aluit.* Sic monachi vt ex ſuo monaſterio, ita & ex alio loco

Digitized by Google

poterant ſecum Dionyſij reliquias ferre, in quem iam tum primùm ex Pariſienſi Eccleſia & martyris illius ſepulcro tranſlatæ fuerant. Qua de re ſic Annales Bertiniani loquuntur ad an. DCCCLIX. *Oſſa Beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, Eleutherij metu eorumdem Danorum in pagum Mauriſpenſem in villam ſui iuris Nouientum deuecta ſunt, atque* XI. *Calend. Octobris in loculis diligenter conlocata.*

Nouientum Pariſiaci agri villa eſt, quæ nunc Sancti Clodoaldi nuncupatur: Hincmarus in vita Sancti Remigij de Clodoaldo: *villam verò Nouientum in pago Pariſiaco cum omnibus ad ſe pertinentibus matri Eccleſiæ Pariſius ciuitatis, vbi preſbyter extitit ordinatus, donauit.* In hanc villam, quæ Pariſienſi Eccleſiæ non monaſterio Sancti Dionyſij propria erat, tranſlatæ ſunt Dionyſij & ſociorum reliquiæ: ſed vnde, niſi ex Pariſienſi Eccleſia, quæ reliquias ab initio habuit. Poſt annos viginti ſex quibuſdam, ſi Flodoardo creditur, monaſterij Sancti Dionyſij monachis commiſſæ ſunt, vt Remos in locum Pariſiis & Nouiento tutiorem à Nortmannorum infeſtationibus deferrentur, delatæ ſunt. & poſt triennium in monaſterium Sancti Dionyſij tranſlatæ, cùm in Pariſienſem Eccleſiam referri debuiſſent.

Digitized by Google

Obſervatio XI.

Ludicra & vmbratilis monachorum monaſterij Sancti Dionyſij in Francia, & monachorum monaſterij S. Emmeramni Ratiſponenſis circa corpus Areopagitæ exercitatio configitur.

HIc exercitationem appello ludicram, in qua vtriuſque monaſterij monachi habere ſe, quod non habent, Areopagitæ corpus ſibi ſumunt, nec vllam ea de re mouent controuerſiam, quæ neceſſariò priùs mouenda erat, ne ſi non haberent, tricarentur poſtea, & inter lapides pugnare, nec poſſe lapidem tollere viderentur. Exercitationem verò nomino vmbratilem, quæ ab hominibus otioſam vitam agentibus ſuſcipitur.

Milletus exercitationis huius hiſtoriam latè perſequitur in Vindiciarum libro III. quem *de fabuloſa tranſlatione corporis Diui Dionyſij Areopagitæ à Francia in Bauariam* inſcribit. Hic eſt monachus monaſterij Sancti Dionyſij, qui cauſam illius de titulo ſtatim defendit. At ſiquis monaſterij Sancti Emmeramni monachus edito commentario reſponderet, eum de vera tranſlatione corporis Beati Dionyſij à Francia in Bauariam inſcriberet. Tranſlationem probaret ex antiquo monaſterij ſui lapide, cui monumentum hoc inciditur: *Dionyſius Areopagita hîc requieſcit: ſub Arnulpho Imperatore & Othone Rege, ſub Ebulone Abbate Sancti Dionyſij, Giſalbertus furatus eſt quinto Nonas Iulij. furto ſublatus huc ve-*

nit pridie Nonas Decembris tempore Tutonis Epiſcopi. Huic lapidi adiungendum eſt Imperatoris Arnulphi epitaphium, quod Ratiſponæ extat in choro monaſterij Sancti Emmeramni:

Hac Arnulphus humo eſt Cæſar Romanus humatus,
Quem Galli Regem, Boij habuere Ducem.
Hic ædem Emmeramne tuam defendit & auxit,
Prædia ſunt teſtes, ſplendidus atque liber,
Ad noſtram cineres Dionyſi tranſtulit vrbem
Finibus è Gallis, quos pia furta tulit,
Poſtquam nongentos vitam compleuerat annos
Cæſar perſoluit debita iura necis.

Ad annum DCCCLXXXVIII. vt Arnulphus in Germania imperare, ſic Otho ſeu potiùs Odo in Gallia regnare cœpit. Sed cùm Odo mortuus eſt anno DCCCXCVIII. inter hunc annum & annum DCCCLXXXVIII. tranſlationem, ſi monumentum veritate nititur, accidiſſe dicendum eſt.

Milletus opponit Rigordum monaſterij Sancti Dionyſij monachum, qui Philippi Auguſti vitam deſcribens hæc ait: *Henricus Rex auditis rumoribus, quod in Allemania, in ciuitate Ratiſpona, in Abbatia Sancti Hermantiani martyris inuentum fuit corpus, quod dicebant eſſe Dionyſij Areopagitæ, miſit nuncios ſuos ad Henricum Imperatorem cum literis ſuis, vt diem eleuationis illius corporis protelaret, quouſque per certos nuncios, vtrum corpus hieromartyris Dionyſij Areopagitæ Athenarum Archiepiſcopi diſcipuli Apoſtoli Pauli in Francia, in Eccleſia, quam Dagobertus fundauerat, eſſet, vel non, pleniſſimè certificarentur. Quo audito Imperator, miſit magnos viros & ſapientes in Franciam, vt plenè rei veritatem agnoſcerent. Viſis nun-*

tiis Imperatoris Henricus Rex conuocauit Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Barones totius regni, & cum Odone cariſſimo fratre ſuo ad Eccleſiam beatiſſimi martyris Dionyſij miſit. Facta autem oratione allata ſunt tria vaſa argentea Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij coram omni populo diligentiſſimè ſigillata. Et aperto vaſe B. Martyris Dionyſij totum corpus ipſius cum capite inuentum eſt, exceptis duobus oſſibus de collo, quæ ſunt in Eccleſia Vergiacenſi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa III. ſecum ad Romanam portauit Eccleſiam, & poſuit in Eccleſia, quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hoc videntes vniuerſi populi cum lacrymis & ſuſpiriis puras mentes leuantes ad Dominum Deo & Beatæ Mariæ Virgini, & Sanctis Martyribus ſe commendantes cum gaudio receſſerunt. Tunc nuntij qui miſſi fuerant, ad Imperatorem citiſſimè reuertentes, ſuper his quæ viderant & audierant, Imperatorem pleniſſimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ noni, anno Domini M L.

Ratiſponenſis monachus in pugnam redit, & Leonis noni diploma proponit, quo Beati Dionyſij Areopagitæ corpus in monaſterio Sancti Emmeramni exiſtere iudicatur. Verba ſunt: *Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo filio inclito Regi Francorum, ac venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis in Chriſto filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Decanis, vniuerſiſque tam ſubditis, quàm Prælatis eiuſdem regni, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* & paullo poſt initium: *Cùm per inſtantiam ſereniſſimi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ viſitandas, ac præcipuè ad vrbem, quæ*

dicitur Ratiſpona vel Regenſburg euocati eſſemus ad venerabile corpus beati Vuolfangi eiuſdem vrbis Epiſcopi transferendum, hoc ea, qua decuit reuerentia & deuotione peracto, qui, Francorum Rex in Chriſto fili chariſſime, nos Legati, tuorúmque omnium vice ſoliciti rogarunt, quatenus litem, quæ inter vos & vrbem prædictam ſuper ſacroſanctis oſſibus Beatiſſimi Dionyſij Areopagitæ diutiſſimè ventilata veritate diſcuſſa eſt, dirimere curaremus, vobis quidem eadem apud vos eſſe dicentibus, ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ aſtruentibus è conuerſo, ea per inuictiſſimum Arnulphum quondam Imperatorem, ad Eccleſiam beati martyris Emmeramni eſſe tranſlata, ibidémque deinceps contineri. Quæ quidem Eccleſia inibi ſita eſt, atque ab omni aliorum ſubiectione ac iuriſdictione libera & excepta ad ius & proprietatem B. Petri Apoſtolicæ Sedis immediatè pertinere dignoſcitur, oblatione videlicet excellentiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni, ac poſterorum ipſius, qui eidem hactenus ſucceſſerunt, ſeu in Imperio, ſeu in Regno. Idipſum nihilominus venerabilis Abbas Reginuuardus, ac fratres eiuſdem Eccleſiæ, cum Vniuerſitate Ratiſponæ inſtantiſſimè petiuerunt fieri.

Nos ergo vtriuſque partis precibus inclinati, nec volentes vlterius corda fidelium huius dubij ambiguo caligare, in fratrum noſtrorum ac plurium Epiſcoporum ac Prælatorum præſentia & conſpectu ſcripta Arnulphi Auguſti, ordinémque rei diligentiſſimè perlegentes, nec eo contenti capſas, thecas, & ſcrinia, in quibus ſacræ reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorundem oculo tenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilque omitten-

Digitized by Google

do, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus, quàm Papalibus anteceſſorum noſtrorum literis ſufficienter inſtructi, picturis quoque parietum multiplicibus & ſculpturis vetuſtiſſimis exprimentibus indicia veritatis & notas, indubitata fide comperimus dicti doctoris & martyris oſſa venerabilia, excepta particula vnica ſimul & minima manus dextræ apud memoratum beati Emmeramni cœnobium integraliter contineri. Etenim ne teſtimonia hominum quæ iam diximus, non ſufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt, quæ nos quoque conſcribi iuſſimus diligenter, vobiſque tranſmitti per veſtros Nuncios ac Legatos, nec non apud Eccleſiam prædictam perpetuò conſeruari, vt & ad poſteros geſtæ rei notitia deducatur, & vlterius litigandi materia penitus conquieſcat. Inſuper & diſtrictè præcipimus ſtatuentes vt tranſlationis ipſius veneranda ſolemnitas tam à fratribus eiuſdem Eccleſiæ, quàm ab vniuerſis vrbis iam dictæ annis ſingulis cum omni iucunditate & gaudio celebretur, totáque tripudiet regio Germanorum tanti patris atque patroni aduentui non ingrata.

Vos autem in Chriſto dilectiſſimi filij Rex Francorum, tuique fideles quamuis inuidendi Teutonicæ genti videamini iuſtam quidem habere materiam, ita vt putatis, meritò de Alemannorum vocis lætitia ſit dolendum, conſiderantes tamen & Dei omnipotentis & inuicti martyris ſui voluntatem, quem ablatum plangitis, conſolationis tandem admittite placamentum, penſantes attentiùs, quòd nec vobis ablatus eſt, quippe qui chariſſimos prædicationis ſuæ, & paſſionis conſortes Ruſticum, & Eleutherium, in

dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit: nec dolete ſi Germanos iam viſitare dignatus eſt vel defunctus adhuc viuens prædicauit & apud vos bonum certamen certando, curſum conſummando, fidem ſeruando triumphum peregit victorioſiſſima paſſionis Apoſtolatus ſui ſuper vos ſigna tam in vita perficiens, quàm in morte.

*Qui igitur in Alemanniam ipſius oſſa fouere non permittatis in ſolatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Chriſtum lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo tranſmittere permiſerunt? Accedet nihilominus conſolationis & alia ratio, auctoritas ſcilicet & excellentia ſubtractoris. Pretioſum quidem theſaurum vos perdidiſſe fatemur, ſed ablatoris attendite dignitatem, ſimúlque patris & Apoſtoli veſtri gloriæ congaudete, qui cùm vos meritorum, atque doctrinæ ſuæ gaza ditauerit, & reliquiarum ſaltem ſuarum * ac apothecas tam deuotum furem ſui corporis habet, quàm inſignem auro vtique & topazio meliorem, qui ſui valore ad oſſa ſua ſanctiſſima ſubtrahenda, Cæſareum etiam verticem inclinauit. Nec maieſtas Imperialis, nec Regia celſitudo pij furis hîc notam, aut nomen erubuit in Arnulpho, dummodo beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel ſacrilegij modo ſacrari atq; diteſcere mereretur, qui fures atq; ſacrilegos erat ſolitus condemnare, dummodo macarij Dionyſij pretioſo corpore frueretur, fur ipſe tunc fieri & ſacrilegus non contempſit.* & poſt pauca: *Præſentibus igitur dilectionem veſtram monemus attentiùs & hortamur in Domino, diſtrictè præcipientes, quatenus Ruſtico & Eleutherio piè contenti non fallentes voſmetipſos & alios beatiſſimi Dionyſij oſſa in vrbe Ratiſponenſium apud*

Digitized by Google

Eccleſiam beati Emmeramni martyris, & noſcatis, & fateamini coruſcare. Datum & actum Ratiſponæ, per manum Friderici diaconi, Bibliothecarij & Cancellarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, anno Domini M L I I. *anno Pontificatus Domini Leonis noni Papæ quarto, Indictione quinta, Non. Octob.*

Hæc ſunt præcipua controuerſiæ capita, de quibus meum qualecunque iudicium interponam. I. Milletus, qui corpus Areopagitæ monaſterio ſuo aſſerere modis omnibus contendit, fabuloſam eſſe illius tranſlationem indubitanter tradit. & vexat Ioannem Auentinum, qui quibus machinis & artibus tranſlatio facta fuerat, ampliſſimè deſcribit. Sed quod maximè notandum eſt, pro certo tenet collegas ſuos, id eſt, monaſterij Sancti Emmeramni monachos reliquiarum Areopagitæ ſuppoſtores, vel ſuppoſtorum fautores eſſe. Contrà verò monaſterij Sancti Emmeramni monachi affirmare non dubitant, veras non eſſe Beati Dionyſij Areopagitæ reliquias, quas ſodales ſui, id eſt, monaſterij Sancti Dionyſij monachi venditant & exponunt. In eo igitur tota verſatur diſceptatio, vt vtriuſque monaſterij monachi fraudis & impoſturæ dicam ſibi mutuò ſcribant, & ad probandum hoc crimen inſtrumenta contraria inſumant.

II. Si ſpectetur rei veritas, neutri Areopagitæ reliquias habent, niſi ex Oriente in Occidentem aduectæ fuerint, & in monaſterium vel Sancti Dionyſij, vel Sancti Emmeramni deportatæ. Vtrique ſtatuunt id eſſe verum, quod falſum docuimus, Areopagitam à Clemente miſ-

ſum eſſe in Galliam, & Pariſienſis Eccleſiæ fundamenta iecſſe.

III. Monaſterij Sancti Dionyſij monachi reliquias Beati Dionyſij Pariſiorum Apoſtoli vel habent vel habere debent, ex quo Remis in monaſterium illud delatæ fuerunt: ſi tamen monachi Sancti Emmeramni illas furto abſtulerint, nec recuperauerint, non habent ampliùs. Cuius verò ſit Dionyſij Pariſiorum Epiſcopi caput, an matricis Eccleſiæ, vel monaſterij Sandionyſiaci, iamdudum in rem iudicatam abiit, ſenatuſconſulto ſtandum eſt.

IV. Quæ in contentionem vocatur tranſlatio, ſi facta eſt, quomodo facta narratur in Leonis diplomate, Germanis & Gallis fere omnibus notiſſima fuiſſet. Ea tamen obruitur ſilentio Scriptorum omnium, qui cùm in Gallia, tum in Germania ab Arnulphi Imperatoris tempore vſque ad Leonem IX. Pontificem claruerunt. Regino Prumienſis Abbas in lib. II. Chronicorum Imperatoris Arnulphi æqualis & ſuperſtes geſta illius memorabiliora recenſet, Ebulonis monaſterij Sandionyſiaci Abbatis meminit, eúmque anno DCCCXCIII. mortuum notat, ne verbo quidem attingit, quæ de Arnulphi furto pio & laudabili in Leonis diplomate traduntur. Auctoris huius ſilentium diſertè loquitur, inuiſa tunc, inaudita & ignota eſſe illa omnia, quæ de Arnulpho in Leonis diplomate referuntur.

Hugo Flauiniacenſis Abbas in Chronico, Arnulphi Regis & Imperatoris res geſtas prodit memoriæ, nec illis pium & laudabile reliquia-

Digitized by Google

rum Sancti Dionyſij furtum adſcribit. Hic auctor cùm ſit miraculorum & tranſlatarum reliquiarum narrator cupidiſſimus, de illius ſilentio aduerſus relata monimenta præſcribi meritò poteſt.

Hermannus Contractus, Augienſis monachus, in Chronico Leonis Papæ IX. æqualis & ſuperſtes de Arnulpho, de Arnulphi regno, imperio, de bello illius contra Burgundiam atque Italiam ſuſcepto, de morte loquitur: de tranſlatione Dionyſij ab Imperatore facta neutiquam loquitur.

Lambertus Schafnaburgenſis monachus æqualis quoque Leonis Papæ & ſuperſtes de Arnulpho, quem Arnoldum nominat, & de Leone ſcribit multa, ſed de pio Arnulphi latrocinio nihil ſcribit.

Marianus Scotus Fuldenſis monachus, qui niſi Leonem IX. vidit, eum certè videre potuit, in Chronicorum lib. III. Arnulphi, quem Arnordum vocat, res geſtas in Germania, in Italia, & in Gallia perſequitur. & quicquid de eo in Leonis diplomate laudatur, omittit.

Sigebertus Gemblacenſis Abbas Leonis IX. ætate ſuppar, in Chronographia Arnulphi regnum & imperium, ab illo geſta vbique bella deſcribit, nec vllam rerum, quæ de eo dicuntur in Leonis reſcripto, mentionem facit.

Annales Francorum Fuldenſes, qui in Arnulphi Imperatoris exceſſum deſinunt, nihil videntur prætermittere, quod ad illum pertineat. Sed vbique altiſſimum eſt de tranſlato in Sancti Emmeramni monaſterium corpore Dionyſij

Digitized by Google

ſilentium. Viuebant tunc auctores, qui continuandis Annalibus vacabant. Cùm res ab Arnulpho geſtas in annos digerunt, ſemel atque iterum de S. Emmeramni monaſterio ſermonem iniiciunt: ſemel anno DCCCXCI. *Ipſa ciuitas diuina vltione mirum in modum ſubitò incenſa cum omnibus machinamentis & Eccleſiis IV. Idus Auguſti concremata eſt, exceptis domo Sancti Emmeramni martyris & Eccleſia Sancti Caſſiani.* Iterum anno DCCCC. *Imperator* (Arnulphus) *vrbe Ratiſpona diem vltimum clauſit, & honorificè in domo Emmeramni martyris Chriſti à ſuis ſepelitur.*

Annales Francorum Metenſes quæ ad Arnulphi regnum, Imperium res in bello & pace geſtas pertinent, exequuntur, & prætereunt furtum illud pium, quod in illius epitaphio & in Leonis diplomate celebratur.

Regino, Hermannus, Lambertus, Marianus, Sigebertus, Fuldenſium & Metenſium Annalium conditores ſunt monachi omnes, qui Sanctorum miracula, reliquias, & earum tranſlationem cupidiſſimè recenſent, & diligentiſſimè.

Quare cùm de reliquiis Sancti Dionyſij & earum tranſlatione ſileant, de ſilentio aduerſus lapides, & epitaphia quæ viſuntur in Sancti Emmeramni monaſterio, & de Leonis reſcripto iure præſcribi poteſt.

Auctores ſunt multi æquales Henrici primi Regis, vel ſuppares, qui de rebus ab eo præclarè geſtis ſcripſerunt, nec tamen verbo attigerunt, quæ Rigordus exponit in vita Philippi Auguſti. Hæc tamen ſi bene conſiderentur, tanti videntur eſſe ponderis, vt omitti ab iis neuti-

quam debuerint. Omiſſa ſunt, & quia omiſſa, pudenter credi nequit geſta eſſe.

Leonis IX. vitæ ſunt numero tres; vna, quam edidit Vvibertus Archidiaconus auctor coætaneus; altera, quam Platina; tertia, quæ eſt in tomis Conciliorum. At nulla meminit controuerſiæ, quam Rigordus memorat, & Leo magna inquiſitione facta diremit, ſi verum eſſet illius diploma. Leo multa quidem fecit notatu digniſſima, ſed controuerſiæ huius ſedatio locum haud poſtremum teneret, nec ab auctoribus vitæ illius obliuioni daretur. Hæc ratio IV. ſi ſuis libretur ponderibus, rem decernere videtur.

V. Diplomatis inſcriptio nimiam continet affectationem. Leo ad Regem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, & ad omnes regi ſubiectos perinde ſcribit, ac ſi controuerſia, quam decidit, illos omnes omnino attineret. Satis erat ad Regem, Metropolitanum Senonenſem, & comprouinciales Epiſcopos ſcribere, quorum noſſe intererat, quomodo excitata inter monachos monaſterij Sancti Dionyſij & monachos monaſterij beati Emmeramni controuerſia finem acceperat.

VI. Incredibile prorſus eſt, tot hominum generibus, quot nominat inſcriptio, deſtinatum eſſe Leonis diploma, & per conſequentes annos complures cognitum eſſe Gallorum nemini. Sed quod mireris, Rigordus ne meminit quidem, qui tamen controuerſiam refert, & contrà ac Leo ſedatam eſſe narrat.

VII. In diplomate aduocatus ab Imperatore Leo dicitur, vt corpus B. Vuolfgangi Ra-

tiſponenſis Epiſcopi transferret. Hermannus Contractus, qui tum vixit & in Chronico perſequitur, quæ Leo geſſit in variis Germaniæ partibus, aduocationis huius cauſam vix omiſiſſet. Cur enim omiſiſſet potiùs, quàm quæ ſequuntur. *Reliquia beati Zenonis Confeſſoris ex Valthario Veronenſe Epiſcopo in Alemanniam ad villam Vlmam allata, pluribus per hac tempora eclaruere miraculis.* Hæc quo in loco de Leone ſermonem inſtituit. Lambertus Shafnaburgenſis, Marianus Scotus, & Sigebertus de rebus Leonis in Germania geſtis loquuntur, nec aduocationis illius argumentum tractant. Cur quæſo Sigebertus de Vuolfgangi tranſlatione non perinde ſcriberet, ac ſcribit de Sancti Theobaldi tranſlatione, ad annum M. L. *Oſſa eius* (Theobaldi) *in Gallias tranſlata multam multis in locis venerationem meruerunt.* Præterea in tribus, quas antea laudaui Leonis vitis de facta per illum Vuolfgangi tranſlatione ne verbum quidem vnum habetur. Quare Leonis non ſunt verba hæc: *Cùm per inſtantiam Sereniſſimi Imperatoris ad partes Germaniæ viſitandas, ac præcipuè ad vrbem, quæ dicitur Ratiſpona euocati eſſemus ad venerabile corpus beati Vuolfgangi eiuſdem vrbis Epiſcopi transferendum.*

VIII. Quæ ſequuntur, *Sancti Emmeramni Eccleſia ab omni aliorum ſubiectione & iuriſdictione libera & excepta ad ius & proprietatem beati Petri Apoſtolicæ Sedis immediatè pertinere dignoſcitur,* ætatem Leone poſteriorem important. illius tempore nondum erat in vſu locutio hæc: *Hæc Eccleſia ad ius & proprietatem beati Petri, ſeu*

Apoſtolicæ Sedis IMMEDIATE *pertinet.* Confectum eſt diploma, quo tempore viſum eſt verba hæc ad ius & proprietatem beati Petri pertinere, vt exemptum diceretur monaſterium aut Eccleſia, non ſufficere, niſi aduerbium, immediatè, apponeretur. Præterea quid ſibi vult, *beatus Petrus Sedis Apoſtolicæ?*

IX. Locutio hæc, *Papales anteceſſorum noſtrorum literæ*, ignorantiam prodit illius, qui diploma Leoni ſubiecit. Vetuſtiores Leone Pontifices nuſquam ita loquuntur, Pontifices Leoni tempore proximi nuſquam ita loquuntur. Immo neſcio vtrum recentiorum Pontificum aliquis ita ſit locutus aliquando. Locutio eſt cuiuſdam monachi qui gentis ſuæ idiotiſmum Romam tranſmiſit, & Romano Pontifici commodauit.

X. Leo ſignificat antiquiores ſe Pontifices multis epiſtolis tranſlationem reliquiarum aſſeruiſſe: *Tam Imperialibus, quàm Papalibus anteceſſorum noſtrorum literis ſufficienter inſtructi ...... indubitata fide comperimus dicti Doctoris & martyris oſſa venerabilia, excepta particula vnica ſimul & minima manus dextræ apud memoratum B. Emmeramni cœnobium integraliter contineri.* At nullæ ſunt antecedentium Pontificum epiſtolæ, monumenta nulla, quibus quæ hîc narrantur, fides aliqua præſtetur. Mendacium fingi vix poterat illuſtrius, quod ab auctore diplomatis Leoni tribueretur.

XI. Vt res alias, ſic & venerandas Sanctorum reliquias furari non licet, multò minùs illarum furtum laudare, & fures pios appellare.

In hoc diplomate contrarium accidit. Surripiuntur reliquiæ, laudatur furtum & fures pij nominantur: *Qui igitur in Alemanniam ipſius oſſa fouere non permittatis in ſolatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Chriſtum lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo tranſmittere permiſerunt: Accedet nihilominus conſolationis & alia ratio & auctoritas ſcilicet & excellentia ſubtractoris*, & cetera, quæ relata ſunt antè. Quis autem attentus & prudens hæc omnia in Leonem transferret? quis Romano Pontifici rationem appingeret, quæ ad furandum impelleret, & furta rerum, quas domini poſſediſſent diutiſſimè, tueretur? Quæ hîc commendantur, Leo damnaret, & ad reliquiarum furto ablatarum reſtitutionem monachos decretis anathematibus compelleret. Quidquid id eſt, pari modo laudaretur qui furatus eſſet beati Petri reliquias, & Roma Ratiſponam tranſtuliſſet in Sancti Emmeramni monaſterium. Furtum pium & fures pij nuncuparentur. quis autem tale factum in Leonem quadrare diceret? quis tum demum ſomniaret? Profectò neſcio, vtrum fieri poſſit diploma in Leonem contumelioſius, vel iniurioſius. Sed probè teneo, nihil fingi poſſe, quod diplomatis ſuppoſitionem confirmet vehementiùs.

Hactenus de Leonis diplomate, quod illi à monaſterij Sancti Emmeramni monachis ſubiectum mihi videtur, vt antea Germano Milleto monaſterij Sancti Dionyſij monacho viſum fuerat. Sed inter vtrumque noſtrum hoc intereſt diſcriminis, quòd ille iudicium de Leonis diplomate ſuum nullius iudicio ſubiecit, ego meum

Iubens eruditorum omnium cenſuræ ſubiicio. Si quis autem diploma certis inueniendi aſſerendique veri legibus Leoni vindicet, & iudicium noſtrum inane & vanum eſſe doceat, id me docebit, quod prorſus ignoro, & in anteceſſum gratias ago.

OBSERVATIO XII.

Fabuloſæ Ratiſponenſium monachorum narrationi epocha certa præfigi non poteſt.

QVOD verò ſpectat ad tempus, quo monachi vtriuſque monaſterij Sancti Emmerammi, & Sancti Dionyſij inter ſe commiſſi fuerint, pronuntiatu difficile eſt, ſi quæ ex Rigordo retulimus, Rigordi ſunt, & non alterius, qui ea Rigordi commentariis indiderit. Rigordus ſcriptorum omnium primus iactatam à Ratiſponenſibus monachis tranſlationem Dionyſij literis commendauit. Sed an Rigordi ſint quæ ex Rigordo retulimus, nonnulla eſt dubitatio. Nam quæ ex Rigordo retulimus, adſcititia & ἐπείσακτα planè videntur. Ad integrum ſenſum narrationis, quæ tunc & eo in loco inſtituitur, non pertinet. Deinde Rigordus ad annum MCXCI. ea de Dionyſio & eius reliquiis narrat, in quibus narrandis mentio fieri debuit tranſlationis, quam in diplomate Leonis aſſeri videmus.

Calendis, inquit, *Septembris conſilio Domini Guillelmi Remenſis Archiepiſcopi & Adelæ Reginæ, & omnium Epiſcoporum beatiſſimorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij cum puriſſimis vaſis ar-*

genteis, in quibus diligentiſſimè ſigillata continebantur, ſunt extracta, & ſuper altare poſita adiunctis ibi aliis corporibus Sanctorum in eadem Eccleſia quieſcentium, *vt ibi omnes fideles ad tam ſanctum ſpectaculum conuenientes cum gemitu & ſuſpiriis pro ſancta terra liberanda, & pro Rege Francorum, & vniuerſo comitatu ſuo puras manus cum Moyſe leuantes ad Dominum preces funderent, quia non armorum potentia, ſed in Chriſti virtute & miſeratione Chriſtiani confidunt, nec in ſe, ſed in Deo virtutem faciunt, ſuperantes populos infideles & ad nihilum redigentes inimicos crucis Chriſti. Sequenti verò feſto Beati Dionyſij aperto vaſe argenteo, in quo corpus ſanctiſſimi Martyris Dionyſij continebatur, aſſiſtentibus venerabilibus Epiſcopis Siluanectenſi & Meldenſi, & Adela Francorum Regina, & multis Abbatibus & viris religioſis, totúmque corpus ipſius cùm prædiximus, eſt inuentum, & vniuerſis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus orandi cauſa conuenerant, deuotiſſimè demonſtratum, & ad remouendum errorem Pariſienſium retento capite hieromartyris Dionyſij, & in vaſe argenteo decenter collocato corpora Sanctorum cum vaſis ſuis ſub altare in crypta marmorea, vnde extracta fuerant, ſunt deuotiſſimè expoſita. Caput verò pro excitanda deuotione per totum omnibus peregrinis eſt expoſitum, & in ſequenti feſto Beati Dionyſij cum corpore in vaſe ſuo repoſitum.* Hîc de eo, quod ſibi vindicant Ratiſponenſes monachi, non loquitur, etiamſi loquendi, vel ſaltem remittendi ad ea, quæ antè dixerat, locus ſuppeteret opportuniſſimus: propterea tamen non contendo ea omnia, quæ Rigordus memorat, cum tranſlatis Re-

mos, & inde relatis in Sancti Dionyſij monaſterium reliquiis eiuſdem Dionyſij concordare.

Quòd ſi ea quæ ex Rigordo ſub initium Obſeru. XI. retulimus, Rigordi non ſunt, erunt alterius ſed eo recentioris monachi, qui ea ſparſo per Germaniam à Ratiſponenſibus monachis rumori oppoſuit. Hæc cùm perſpicerent Ratiſponenſes monachi ſubiecerunt Leoni diploma, quo lite iam poſt annos duos conteſtata Pontifex ſecundùm Ratiſponenſes monachos pronuntiauit. Sic Germani Gallis noſtris aſtutiores fuere. Hinc Æneas Siluius in Italia, & Ioannes Auentinus in Germania tranſlatum Ratiſponam Dionyſij corpus variis modis deſcripſerunt, nec peccarunt contra leges Hiſtoriæ, quæ nulla ab auctoribus rei geſtæ æqualibus, vel ſupparibus confecta fuerat: incertum & varium rumorem certis & variis commentariis tradiderunt. Quamobrem de hac narratione dicendum eſt omnino, quod de alia ſimili Baronius dicit ad annum DCIV. *Accidere interdum ſolet, vt aliquid vulgò allatum ſiquis certos velit examinare teſtes an verum ſit, neminem id ſeriò teſtantem inueniat, fiátque vt quod ab omnibus dici iactatur, aſſeratur à nemine, rumórque ille euaneſcat in auras.*

Ad Milletum redeo, qui abſurdis ſe dictis implicat in Vindiciarum libro III. vbi cap. I. Ioannem Auentinum perinde inſectatur, quaſi Dionyſij corpus à Francia in Bauariam tranſlatum primus ſcripſerit: *Cuius rei*, inquit, *narrationem primus Auentinus dicitur confinxiſſe.* Deinde neſciens auctorem hunc ad annum M. CCCCLX. floruiſſe, & nomine traditionis abu-

ſus cap. VII. ſic pugnat ſecum. *Certè quot quot auctores de tranſlatione illa D. Dionyſij mentionem fecerunt, Areopagitam dixerunt, eáque traditio iam ab illis noni ſæculi ſiue decimi temporibus totam Germaniam obtinebat.* Si fabuloſam tranſlationem primus inuexit Auentinus, qui ad annum M. CCCCLX. claruit, quî quæſo potuit tranſlationis fama Germaniam totam à noni vel decimi ſæculi temporibus obtinere? Poſtquam argumenta decem adhibuit, quibus diploma Leoni ſuppoſitum oſtenderet, nunc oblitus ſui diploma verum eſſe ſumit, & quidquid in diplomate de antiqua Dionyſij tranſlatione narratur. Quorſum verò id ita ſibi ſumit? ſcilicet vt philoſophetur, quemadmodum egregiè philoſophantem videmus.

Interim faciendum nobis eſt, quod Prudentius monet in Pſychomachia:

Quod ſapimus coniungat amor, quod viuimus vno,
Conſpiret ſtudio, nihil diſſociabile firmum eſt.

& poſt alia:

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti pretium eſt, pretiúmque pericli.

FINIS.

DE

IV.

DE VETERIBVS CHRISTIANORVM PARISIENSIVM BASILICIS DISQVISITIO.

Digitized by Google

Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus in lib. II. de fide contra Sabellium.

Sicut de his, quæ poſſunt quæri, inertium eſt non quærere; ita de his, quæ non neceſſe eſt quæri, audacia eſt quærendi.

S. Hieronymus contra Vigilantium.

Do conſilium. Ingredere baſilicas Martyrum, & aliquando purgaberis.

S. Auguſtinus in libri I. de Ciuitate Dei capite I.

An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus propter Chriſtum Barbari pepercerunt. Teſtantur hoc Martyrum loca, & baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione vrbis ad ſe confugientes ſuos alienóſque receperunt.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

HOc genus lucubratiunculæ non pendet ex opinionibus recentiorum, qui res antiquas occupationibus ſuis & præiudiciis aptare ſolent, ſed ex traditione ſola veterum, qui ſimpliciùs & candidiùs ſcripſerint. Ante Decium, quo imperante Beatus Dionyſius Româ venit Lutetiam, quærenda non eſt ibi baſilica vlla Chriſtianorum. Aduentum Dionyſij illius ex fideli maiorum recordatione teſtantur priſcus auctor vitæ beati Saturnini martyris, & Gregorius Turonenſis, quibus ſcriptores nulli poſſunt opponi æquales, vel ſuppares. Hos autem ſolos, ſi tamen multi ſint, ab hac hiſtoria inſtructiores duobus illis eſſe tantùm agnoſco. Ceteri, qui longo pòſt interuallo temporis floruerunt, & Apoſtolorum ſynchroniſmum affectarunt in Dionyſio, quanam demum ratione non opponerentur modò, ſed etiam, ſi ſuperis placet, anteponerentur? Et certè niſi priſcus auctor ille, & Gregorius obſtarent, fa-

Digitized by Google

cilè tranſirem in ſententiam illorum, qui tradunt, Pariſienſem Dionyſium Maximiano & Diocletiano imperantibus iam tum primùm Lutetiam acceſſiſſe. Hi quidem poſt Gregorium, ſed ante Carolum Magnum Imperatorem vixerunt, ſcriptores hiſtoriæ Sanctorum Fuſciani & Victorici, ac Luciani Bellouacenſis, Vſuardus in Martyrologio ad Calendas Octobris, Alcuinus in Poëmatibus, num. LXX. vbi Quintino iungit Dionyſium. Quibus inter recentiores alios Fulbertus Carnotenſis adſtipulatur in hymno de S. Piato. Qui verò Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt, & à Clemente miſſum affirmant, poſt Carolum Magnum vixerunt: atq; ita per ætatis ſuæ conditionem à ferendo de miſſione Dionyſij ſuffragio repelluntur. Teſtes omni exceptione maiores quæro, nec alios admitto. Cur autem ætatis mediæ ſcriptoribus aſſentirer, impellerent me duo, Apoſtolorum inprimis & Apoſtolicorum hominum in fundandis Eccleſiis ingenium & conſilium: deinde vrbis paruitas, ſeu exiguitas. Illi porro inſtituerunt, antè maiores ciuitates & vrbes, quàm minores Euangelij luce perfundere, & ſuſceptam Chriſti doctrinam in ciuitatibus ma-

ioribus ad minores deducere. At quo tempore Cæſar bellum geſſit in Gallia, multùm quidem clarebat Lutetia Pariſiorum, ſed *mox incenſa fuit*, *pontéſque eius oppidi reſciſsi*, vt ille ait in ſuis Commentariis, nec Iuliano imperante adhuc in perfectam ciuitatem reſtituta erat. Iulianus quippe, qui ad ann. Chr. CCCLXI. Conſtantio ſucceſſit, Lutetiam appellat *oppidulum*, & Ammianus, qui tum ſcripſit, *Caſtellum Pariſiorum*. Quãtum autem inter vrbem & caſtellum intercedat diſcriminis, nemo eſt opinor, qui ignoret. Quicquid id eſt, ad priſcum auctorem vitæ Saturnini martyris & Gregorium me recipio, & per auctores ætatis mediæ contra eos, qui ſunt vltimæ, præſcribo tantùm, commoneóque, alium fuiſſe ſub ethnicis, alium ſub Chriſtianis Imperatoribus ſtatum Eccleſiarum. Qui enim ſtatus poſterioris imaginem in priori vellet aſpicere, erraret omnino & falleretur. Quamdiu ſtatus prior durauit, in vrbibus liberum non erat vbique Chriſtianæ religionis exercitium: ſynaxes fidelium in cryptis & latibulis, & fere ſemper extra vrbes celebrabantur. Cùm ſtatus poſterior incepit, erecta ſunt paulatim in oppidis Chriſti trophæa, ædificatæ baſilicæ,

frequentati Chriſtianorum conuentus; qua in re præſcribi regula certa non poteſt. In quibuſdam oppidis baſilicæ ædificabantur citiùs, in aliis tardiùs, prout fidelium numerus creſcebat. Chriſtiani Imperatores primi ad fidem noſtram cogebant neminem. Conſtantinus Magnus ab anno Chriſti CCC. VI. ad annum CCC. XXXVII. Romani potitus eſt Imperij, reſtituitque pacem Eccleſiis, & tamen Epiſcopatus Turonenſis ab anno CCC. ad annum illum CCC. XXXVII. ceſſauit, quo Lidorius factus eſt Epiſcopus. Qui & poſtea cùm iam Chriſtiani plures eſſent, *Eccleſiam primam infra vrbem Turonicam ædificauit*, vt Gregorius meminit lib. X. Hiſt. cap. XXXI. Præterea cùm Martyris ſeu Confeſſoris alicuius, qui miracula patraret, exuuiæ baſilicam primam, quæ extra vrbes ſita erat, nobilitauerant, aliam non ita citò in vrbibus niſi magnæ forent, Chriſtiani erigendam curarunt. Hæc eſt veluti galeata obſeruatio, ſeu exordium, quod Diſquiſitioni noſtræ præfigendum fuit, ne quis quod de veteribus Pariſiorum baſilicis dicturus ſum, animo haud æquo ſtatim accipiat. De veteribus, inquam, quia de recentioribus, quæ tertiam Regum noſtrorum ſobolem excipiunt, tractare non inſtitui,

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

Chriſtianorum Pariſienſium Eccleſia prima ſita fuit eo in loco, qui pridem beato Marcello dedicatus eſt.

EXTRA Lutetiam quærendus eſt locus, quo Dionyſius & ſucceſſores eius nonnulli cum Chriſtianis ſacra facturi, vel, vt Gregorius loquitur, *myſterium ſolemnitatis diei Dominici* celebraturi ſe reciperent. Fortunatus locum illum ſic indicat lib. I. Opuſculorum cap. XI. de Sancti Dionyſij baſilica, quæ primùm intra vrbem ædificata eſt.

Qui cupis egregij ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.

Antequam igitur Lutetiæ baſilica vlla fieret, extra hanc vrbem locus erat, in quo Chriſtiani conuentus ſuos agebant, vt poterant, ſed qua in regione agerent, ſtatuere difficile eſt. Sentiant alij quid voluerint, ego exiſtimo baſilicam illam, quæ à multis ſæculis Sancti Marcelli dicitur, ædificatam eſſe eo in loco, quem verſu ſuo Fortunatus attingit. Illa nunc eſt in ſubur-

Digitized by Google

bio, cùm dilatata ſit vrbs; tunc ab vrbe, quæ in inſula tantùm erat, ſat longè diſtabat. Suburbanus erat pagus, non ſuburbium, quia vrbs fluuio Sequana terminabatur. Cur autem id exiſtimem, coniecturarum momenta ſunt duo: vnum Gregorius Turonenſis ſuppeditat, cùm lib. de Gloria Confeſſorum cap. LXXXIX. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi virtutes exequitur: *Marcellus*, inquit, *Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, qui quondam, vt in eius vita legitur, ſerpentem immenſum hoc depulit ab oppido, & nunc in ipſius ciuitatis vico quieſcit. Ad cuius tumulum, cùm Ragnemodus presbyter, qui nunc eius municipij habetur ſacerdos, quartano typo veniens decubaſſet, totáque die ieiunio & orationi vacaſſet facto iam veſpere obdormiuit. Expergefactus verò poſt paululum à ſomno, incolumis ſurrexit à tumulo.* Credibile admodum eſt, Præſulem hunc, qui Confeſſor exceſſit, ibi ſepultum eſſe, vbi ſacris operari conſueuerat, & fideles precibus ac myſteriis vacare. Hæc eſt, ni fallor, Eccleſia ſenior illa, cuius auctor poſtea mentionem facit cap. CV. *Tumulus erat in vico Pariſiorum haud procul à loco, in quo ſenior, vt aiunt, Eccleſia nuncupatur, nullo opertus tegmine, ibique ſcriptum habebatur: Hìc requieſcit Creſcentia ſacrata Deo puella, ſed nulla ætas recolere poterat, quale ei fuerat meritum, vel quid egiſſet in ſæculo.* Igitur Creſcentiæ tumulus adiacebat Eccleſiæ, quæ ſenior, id eſt, prima, eáque, vt modò dicimus, Cathedralis nuncupatur. Gregorius verò dum Ragnemodum illius, in quo Marcellus quieſcit, municipij ſacerdotem, id eſt, Epiſcopum appellat, non obſcurè inſinuat lo-

Digitized by Google

cum illum ſedem Epiſcoporum primam vel eſſe adhuc vel certè fuiſſe.

Alterum comparatur ex eo, quòd Sancti Marcelli Eccleſia vetus Pariſienſis Epiſcopi ſedes vulgò credatur. Hæc perſuaſio, dum contrarium aliud nihil occurrit, etiamſi annorum vices, & temporum detrimenta ſenſerit, ex prima tamen rei traditione videtur emanaſſe.

Scio quidem momenta hæc duo eius non eſſe ponderis, vt factum ante oculos conſtituant. Sed interim libenter ei aſſentiar, qui ſitum Eccleſiæ illius, de qua Fortunatus loquitur, coniecturis melioribus defiget. Neque enim tam curandum eſt, vt diluantur rationes noſtræ, quàm vt meliores offerantur. Quæ coniecturæ ad pectus aduolant, æqua lance ponderandæ ſunt omnes, & grauioribus obniti minimè decet. Ceterùm cùm Fortunati verſus magis ac magis aſpexi, & circumſpexi Lutetiam, id tum demum pronunciaui, quod anno M. DC. XLII. cùm libellum de vita & miraculis Sancti Dionyſij compoſui, non ſum auſus pronunciare. Quid enim prohibet eſſe me de numero eorum, qui & ſcribendo & ſtudendo proficiant?

§. I.

Ex fragmentis beati Hilarij probari non poteſt Pariſiis ad annum Chriſti CCCLXII. *aliam fuiſſe à ſupradicta Eccleſiam.*

In Hilarianis fragmentis, quæ opera Nicolai Fabri prodierunt, extat Pariſienſis cuiuſdam

Concilij ad Orientales Epiſcopos Synodica, quam Sirmondus in annum Chriſti CCCLXII. confert tomo I. Conciliorum Galliæ: Huic autem Synodicæ titulus eſt: *Synodica Concilij, ſeu fides Catholica expoſita apud Pariſiam ciuitatem ab Epiſcopis Gallicanis ad Orientales Epiſcopos:* in fine ponitur: *Explicit fides Catholica*, & cetera vt ſuprà. Ex his autem inferri nequit, tunc extitiſſe ipſa in vrbe Eccleſiam, in qua Concilium illud celebraretur. Nam *Pariſia ciuitas*, quæ ibi repetitur, includit locum, quem habet beati Marcelli Eccleſia. Deinde Concilium in priuata quadam Epiſcopi, ſeu Chriſtiani alterius domo fieri potuit, & forſan commodiùs, quàm in Eccleſia. Tum relatus titulus ad ætatem illam non pertinet. Adiectiuum, *Pariſius*, ſynchronis auctoribus incognitum eſt. Illud nouitiam, vt Tertullianica locutione vtar, paraturam *ſapit*: quam porrò coniecturam ſuggerit adiectiuum, *Pariſius*, eandem & confirmat verbum, *explicit*, quod genuit ſolox & craſſa poſteritas. Adhæc neque in inſcriptione Synodicæ ad Orientales Epiſcopos, neque in Synodica ipſa Pariſiorum, aut Pariſiæ ciuitatis, aut Lutetiæ vlla fit mentio: vt coniectura tandem vana non ſit, opus eſſe ſcioli cuiuſdam recentioris Librarij, qui quo in loco Synodica fuerat edita, ſi tamen vnquam edita, cùm neſciret, vel ſanè non offenderet, eam Pariſienſi ciuitati adſcripſit. Hîc prætereo Synodicam teſtimonium ſui habere nullum apud auctores Latinos & Græcos, qui tunc diligenter & copioſè iuxtà de rebus Eccleſiæ ſcripſerunt.

§. II.

Ex Sulpitio Seuero probari non poteſt, Pariſiis ad annum Chriſti CCCLXXV. *aliam fuiſſe à ſupradicta Eccleſiam.*

SVLPITIVS Seuerus lib. de Vita S. Martini cap. XIX. proponit Eccleſiam, quæ vtrum Lutetiæ vel extra Lutetiam fuerit, modò videndum eſt. *Apud Pariſios verò*, inquit, *dum portam ciuitatis illius magnis ſecum turbis euntibus introiret, leproſum miſerabili facie horrentibus cunctis oſculatus eſt, atque benedixit, ſtatimque omni malo emundatus eſt, & poſtero die ad Eccleſiam veniens nitenti cute, gratias pro ſanitate, quam receperat, agebat.* Ex his ergo verbis vtrum Eccleſia hæc, cuius Seuerus meminit, in vrbe potiùs, quàm extra vrbem fuerit, nemo niſi contrariâ præuentus opinione colligere vnquam poterit. Quinetiam fuiſſe extra vrbem verba ipſa ſatis indicant. Nam ſi fuiſſet in vrbe, quæ tunc erat exigua, & inſulæ ſolius claudebatur ambitu, quo die, quibus horis, quo penè momento leproſus morbi curationem accepit, eodem & in illam perrexiſſet Eccleſiam, vt Deo pro ſanitate recuperata gratias ageret. Quis enim vehementiſſimo pietatis ardori, quem ſubita & inſperata curatio accendit, feſtinationem hanc non ſolùm gratitudinis, ſed etiam celeritatis auidam abiudicaret? verùm leproſus gratiarum actionem in diem craſtinum diſtulit: Cur ita quæſo te, niſi quòd ab vrbe diſtaret Eccleſia, nec ille commodùm potuerit eo die, quo ſanatus eſt, Eccleſiam adire.

Digitized by Google

CAPVT II.

Beati Martini Oratorium ad portam Pariſiorum.

QVo in loco beatus Martinus leproſum curauit, Pariſienſes Chriſtiani cellam eidem Martino exſtruxerunt, ſed quo tempore exſtruxerint incertum eſt. Illam tamen priùs exſtruxerunt, quàm Guntramnus & Clotarius II. regnarent, vt colligitur ex his, quæ Gregorius lib. VIII. Hiſt. cap. XXXIII. de Oratorio illo memoriæ prodidit: *Igitur*, inquit, *cùm totam ciuitatem huc atque illuc flante vento flamma ferretur, totiſque viribus regnaret incendium appropinquare ad aliam portam cœpit, in qua beati Martini oratorium habebatur, quod ob hoc aliquando factum fuerat, eo quòd ibi lepram maculoſi hominis oſculo depuliſſet. Vir autem, qui eum intextis virgultis in ſublime conſtruxerat, confiſus in Domino, nec de beati Martini virtutibus diffiſus ſe réſque ſuas intra eius parietes ambiuit, dicens: Credo enim, & fides mea eſt, quòd repellat ab hoc loco incendium, qui ſæpius incendiis imperauit, & in hoc loco leproſi hominis cutem oſculo medente purgauit. Appropinquante enim illuc incendio ferebantur validi globi flammarum, qui percutientes parietem Oratorij protinus tepeſcebant. Clamabat autem populus viro ac mulieri, Fugite ô miſeri, vt euadere poſſitis. Ecce iam ignium pondus ſuper vos deruit: Ecce fauilla incendij cum carbonibus tanquam validus*

Digitized by Google

imber ad vos vſque diſtenditur. Egredimini ab Oratorio ne cum eodem incendio concrememini. At illi orationem fundentes nunquam ab his vocibus mouebantur. Sed nec mulier ſe vnquam à feneſtra per quam interdum flamma ingrediebantur, amonit, quæ erat ſpe firmiſſima de virtute beati Antiſtitis præmunita. Tantáque fuit virtus beati Pontificis, vt non ſolùm hoc Oratorium cum alumni proprij domo ſaluaret, verumetiam nec aliis domibus, quæ in circuitu erant, nocere flammis dominantibus permiſiſſet. Ibique cecidit incendium, quod ab vna parte pontis cœperat deſæuire. Ab alia verò parte tam validè cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret. Verumtamen Eccleſiæ domibus ſuis non ſunt aduſtæ. Aiebant enim hanc vrbem quaſi conſecratam fuiſſe antiquitus, vt non ibi incendium prævaleret, non ſerpens, non glis apparuiſſet. Quod Oratorium tunc erat ad portam vrbis, pridem eſſe deſiit, eo fortaſſis tempore, quo Nortmanni deuaſtarunt Lutetiam, & baſilicarum bonam partem incenderunt. Quicquid in cauſa, vicus ſupereſt maximus, qui Sancti Martini nominatur; ſiue nominetur ab illo vetere Oratorio, ſiue ab ingenti monaſterio, quod in extrema vici parte ante annos plus minùs ſexcentos ædificatum eſt. Atque ita euenit, vt & Oratorium illud, & monaſterium portam vrbis ſemper contigerint. Mutatum in loco, nihil in re mutatum, niſi quòd oratorio baſilica ingens ſucceſſerit.

Digitized by Google

CAPVT III.

Eccleſia Sancti Petri, ſeu Apoſtolorum, quæ modò Sanctæ Genouefæ nuncupatur.

CHLODOVEVS Rex, & eius vxor Chrotildis in ſuburbio Lutetiæ ad Auſtrum baſilicam condiderunt: ſed quo anno regni poſtquam Chlodoueus baptiſmum ſuſcepit, condiderint, ex monimentis certis pronunciari nequit. Condiderunt tamen ante annum Chriſti DXI, quo Rex demigrauit ab hominibus, & in ea baſilica ſepulturæ locum habuit. Hæc baſilica nunc Sancti Petri, nunc Apoſtolorum Gregorio & aliis auctoribus dicitur, vt teſtimonia quæ ſequuntur, oſtendunt. Gregorius lib. de Gloria Confeſſorum cap. XCI. *Eſt & ibi Sancta Genouefa in baſilica Sanctorum ſepulta Apoſtolorum, quæ in corpore poſita tantùm in virtute prævaluit, vt mortuum ſuſcitaret.* Idem lib. II. Hiſt. Francorum cap. vltimo. *His tranſactis Chlodoueus apud Pariſius obiit, ſepultúſque in baſilica Sanctorum Apoſtolorum quam cum Chrotilde Regina ipſe conſtruxerat.* Lib. III. cap. XVIII. *Dum autem Chrotildis Regina Pariſius moraretur, videns Childebertus quòd mater ſua filios Chlodomeris (quos ſuprà memorauimus) vnico affectu diligeret, inuidia ductus ac metuens, ne fauente Regina admitterentur in regnum, miſit clam ad fratrem ſuum Chlotharium Regem dicens: Mater noſtra filios fratris noſtri ſecum retinet, & vult eos regno donari, debes velo-*

citer adeſſe Pariſius, & habito communi conſilio pertractari oportet quid de his fieri debeat: vtrum inciſa caſarie, vt reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis regnum germani noſtri inter noſmetipſos æqualitate habita diuidatur. de quibus ille verbis valde gauiſus, Pariſius venit. & poſt alia: *Deinde pueros cum nutritiis peremerunt. Quibus interfectis Chlotharius aſcenſis equis abſceſſit, paruipendens de interfectione nepotum. Sed & Childebertus in ſuburbana conceſſit. Regina verò compoſitis corpuſculis feretro cum magno pſallentio, immenſoque luctu, vſque ad baſilicam Sancti Petri proſecuta, vtrumque pariter tumulauit.* Lib. IV. cap. I. *Igitur Chrotildis Regina plena dierum, boniſque operibus apud vrbem Turonicam obiit tempore Iniurioſi Epiſcopi, quæ Pariſius cum magno pſallentium præconio deportata in ſacrario baſilicæ Sancti Petri ad latus Chlodouei Regis ſepulta eſt à filiis ſuis Childeberto atque Chlotario Regibus. Nam & baſilicam illam ipſa conſtruxerat, in qua & Genouefa beatiſſima eſt ſepulta.* Lib. V. cap. XIX. Dum acta Concilij, quod in cauſa Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi celebratum eſt recenſet: *His*, inquit, *geſtis audiens Chilpericus, quòd Prætextatus Rotomagenſis Epiſcopus contra vtilitatem ſuam populis munera daret, eum ad ſe accerſiri præcepit. Quo diſcuſſo reperit, cum eodem res Brunichildis Reginæ commendatas, ipſiſque ablatis eum in exilio vſque ad ſacerdotalem audientiam retineri præcepit. Coniuncto autem Concilio exhibitus eſt. Erant autem, qui aduenerant, apud Pariſius in baſilica Sancti Petri Apoſtoli.* & poſt alia: *Recedente verò Rege ad metatum ſuum nos collecti in vnum ſedebamus*

Digitized by Google

in ſecretario baſilicæ beati Petri. & poſt alia: *Conuenientibus autem nobis in baſilica Sancti Petri mane Rex adfuit, dixitque.* tum cap. XLIX. *Leudaſtes verò hæc audiens baſilicam Sancti Petri Pariſius expetiit.* Sic igitur apud Gregorium vna eadémque baſilica nunc beati Petri, nunc Sanctorum Apoſtolorum dicitur, in qua beata Genouefa, Chlodoueus, Chrotildis, Theodobaldus & Guntharius Chlodomeris filij à patruis Childeberto & Chlotario occiſi ſepulturæ locum acceperunt. Quibus acceſſit Chrotildis filia Chlodouei, vt Gregorius teſtatur lib. III. cap. x. *Quod certiſſimè Childebertus cognoſcens ab Aruerno rediit, & in Hiſpaniam propter ſororem ſuam Chrotildem dirigit. Hæc verò multas inſidias ab Amalarico viro ſuo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerumque procedente illa ad ſanctam Eccleſiam ſtercora & diuerſos fœtores ſuper eam proiici imperauit. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cecidiſſe, vt infectum de proprio ſanguine ſudarium fratri tranſmitteret. Vnde ille maximè commotus Hiſpanias appetiit. Amalaricus verò hæc audiens, naues ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto cùm Amalaricus nauem deberet aſcendere, ei in mentem venit, multitudinem ſe pretioſorum lapidum in ſuo theſauro reliquiſſe. Cùmque ad eoſdem petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu à porta excluſus eſt. Videns autem ſe non poſſe euadere, ad Eccleſiam Chriſtianorum confugere cœpit. Sed priuſquam limina ſancta contingeret, vnus emiſſa manu lancea eum mortali ictu ſauciauit, ibique decedens reddidit ſpiritum. Tunc Childebertus cum magnis theſauris ſororem aſſumptam ſecum adducere*

Digitized by Google

ducere cupiebat. Quæ neſcio quo caſu in via mortua eſt, & poſtea Pariſius allata iuxta patrem Chlodoueum ſepulta eſt.

Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus lib. II. de Vita Sancti Eligij cap. XVIII. *Vir quidam,* inquit, *in Pariſienſi ſuburbio haud procul à baſilica beati Petri Apoſtolorum Principis morabatur.*

Fredegarius Scholaſticus in epitome Hiſtoriæ Francorum num. XXIX. baſilicam Sancti Petri ſcribit, quo loco Gregorium ſcribere baſilicam Sanctorum Apoſtolorum vidimus. *Mortuo Chlodoneo, ſepultus eſt in baſilica Sancti Petri Apoſtoli.*

Incertus auctor, qui tempore Theodorici II. vixit, & geſta Francorum partim ex Hiſtoria Gregorij, partim aliunde deſumpta vſque ad Regem illum perduxit, in coniunctiſſimis lineis, nunc Petri, nunc Apoſtolorum baſilicam dicit cap. XVII. *In illis diebus Rex Chlodoueus cùm veniſſet Pariſius ciuitatem, ait ad Reginam & ad populum ſuum: Satis mihi moleſtum eſt, quòd Gothi Ariani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, & eiiciamus eos de ipſa terra, noſtriſque eam ditionibus ſubiiciamus, quia valde bona eſt. placuitque hoc conſilium proceribus Francorum. Tunc Chrotildis Regina conſilium dedit Regi dicens: Faciens, inquit, faciet Dominus Deus victoriam in manibus domini mei Regis. Sed tu audi ancillam tuam, & faciamus Eccleſiam in honorem beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum, vt tibi ſit auxiliator in bello. & Rex ait: Placet hoc quod hortaris, ita faciamus. Tunc Rex proiecit à ſe bipennem ſuam, quod eſt franciſca, & dixit: Fiatur Eccleſia beatorum Apoſtolorum, dum auxiliante Deo*

Digitized by Google

reuertemur. Deinde cap. XVIII. *Interfectis multis & magnis regibus vel parentibus ſuis poſt hæc omnia mortuus eſt Chlodoueus in pace, & ſepultus eſt in baſilica Sancti Petri Apoſtoli, quam ipſe vel Regina ſua ædificauerant.* Præter id de quo agitur, in ceteris auctorem non præſto: quippe qui memoratum Regis & Reginæ colloquium ac dialogum pro arbitrio compoſuerit.

Huius Eccleſiæ titulus poſt Carolum Magnum ſuas vices habere cœpit. Quamuis enim nonnulli nomenclationem veterem retinuerint, alij tamen vel nouam induxerunt, vel veteri nouam adiecerunt. Id temporis ordinem ſecutus oſtendo.

Hincmarus Remenſis Epiſcopus antiquam nomenclationem retinet in vita Sancti Remigij, quam reconcinnauit. *Poſt hæc omnia*, inquit, *mortuus eſt Chludouuicus Rex in pace, & ſepultus eſt in baſilica Sancti Petri Apoſtoli, quam ipſe ac Regina ſua ædificauerant.*

Lupus Ferrarienſis Abbas Hincmaro æqualis Eccleſiam beatæ Genouefæ ſcribit in epiſtola ad Guenilonem & comprouinciales Epiſcopos: *Religioſiſſimis*, inquit, *Patribus & Fratribus Gueniloni metropolitano Senonicæ Sedis Antiſtiti, & vniuerſo Clero eius, & ceterarum Eccleſiarum Præſulibus, quæ Diœceſi memoratæ Sedis cenſentur, cunctis in Domino famulantibus, Clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum, & Fratres Cœnobij Sancti Dionyſij, & Sancti Germani, & beatæ Genouefæ, ac Foſſatenſis, diuerſorúmque monaſteriorum vnanimitas præſentem & futuram ſalutem.* Hic auctor primus eſt, vel è primis vnus, qui Eccleſiam bea-

tæ Genouefæ ſimpliciter dixerit.

In Annalibus Sancti Bertini ad annum DCCC. LVII. Eccleſia, ſeu baſilica Beati Petri & Sanctæ Genouefæ ſic nominatur: *Dani Sequanæ inſiſtentes cuncta liberè vaſtant, Lutetiámque Pariſiorum aggreſſi baſilicam Beati Petri & Sanctæ Genouefæ incendunt.* Idem habetur in Chronico de geſtis Nortmannorum in Francia, quod ab anno Chriſti DCCC. LVII. ad annum DCCCC. XXXIII. protrahitur: *Anno Domini* DCCC. LVII. V. *Calend. Ianuarij Northmanni Lutetiam Pariſiorum inuadunt, atque incendio tradunt, baſilicam Sancti Petri & Sanctæ Genouefæ incendunt.*

Stephanus ille, qui ex Abbate monaſterij S. Genouefæ creatus eſt Tornacenſis Epiſc. etiamſi nouerit hanc Eccleſiam Petri & Pauli Eccleſiam eſſe, nunquam tamen pro Canonicis Sanctorum Petri & Pauli, ſed pro Canonicis Sanctæ Genouefæ ſcribit. Scribit autem ſæpiſſime, & ſeipſum aliquando inſcribit Stephanum *de beata Genouefa.* Sed referre placet titulum epiſtolæ CLXIV. & bonam epiſtolæ partem, quæ præclara multa continet. *A. Archiepiſcopo Londenſi pro P. Sanctæ Genouefæ Pariſienſis Canonico per ipſum in Epiſcopum promoto & conſecrato.* & poſt alia: *Iocosè dixerim, quæ ſequuntur, & quæ non indignationem prouocent, ſed ad miſericordiam vos inuitent. Patres veſtri ſecundùm carnem gentili adhuc ritu ac ſuperſtitione detenti Gallias inuadentes in fortitudine brachij ſui & in robore virium ſuarum, vrbes, caſtella, ceteráſque munitiones ceperunt, vicos, villas & agros vaſtarunt, homines alios in prædam & captiuitatem abduxerunt, alios*

in ore gladij percuſſerunt, loca ſancta incendio & ruina ad ſolum vſque deiecerunt. Inter alias, quod ſine ſuſpirio & ſingultu referre non poſſumus, aut debemus, Eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua beata virgo Genoueſa requieſcit in corpore, regali ope & opere conſtructam muſiuo intus & extrà, ſicut reliquiæ adhuc teſtantur, ornatam & depictam miſerabili concremarunt incendio, nec ſacro loco parcentes, nec beatæ virgini, aliiſve Sanctis, qui ibi requieſcunt, venerationem exhibentes. Tandem per Dei gratiam barbaries illa antiqua Chriſtiana manſuetudine mitigata eſt & mutata, & Septentrionale frigus calore fidei liquefactum reiectis idolis creatorem ſuum recognouit, partémque Galliarum, quæ à Septentrionis nomine Nortmannia dicitur, Nores & Dani renati in Chriſto ſibi & poſteris ſuis retinent, inhabitant & colunt. In illa perſecutione parietes, Eccleſiæ noſtræ combuſti & exeſi, vetuſtate nimia & corruptione minantur ruinam, & ſuſpirant fulciri ſuſtentaculo, & operiuntur operiri tecto. Comparata eſt lignorum maceries ſuperponenda refectis parietibus, laminis plumbeis ſupponenda. Speramus in Domino, quia qui cœpit perficiet, ſolidabitque & ſumptus prouidebit neceſſarios, qui nunquam derelinquit in ſe ſperantes ſeruos ſuos. & quoniam in tanto opere, ſiue onere ſtipem mendicare compellimur alienam, recurrimus ad liberalitatem veſtram, vt qui aliquando Romanum conſueniſtis emere plumbum, in coëmendo plumbo Anglico & beneuolum aperiatis animum, & beneficam nobis extendatis manum. Illo plumbo nudantur Eccleſiæ, teguntur iſto. Diſſimilis negotiatio, cùm in illa ſæpe mereat acceptor, in iſta ſemper mereatur largitor. Illud li-

Digitized by Google

tigioſo ſemper auro redimitur, iſtud religioſo precum pretio comparatur. Fratrem noſtrum G. præſentium latorem miſimus, qui & prudenter impleat mandatum noſtrum, & fideliter nobis reportet beneficium alienum.

Ceterùm antiquus & primus Eccleſiæ huius titulus æui progreſſione in deſuetudinem abiit, & noui vſus obtinuit, & ſolus ita obtinuit, vt qui nunc dierum baſilicam Sancti Petri, vel Apoſtolorum Lutetiæ quæreret, is ridere, ſeu potiùs delirare putaretur.

CAPVT IV.

Eccleſia Beati Dionyſij Martyris intra vrbem.

DVM Lutetiam vrbem dicimus, eam intelligimus, quæ olim inſulæ ambitu ſolo contineretur: non quòd inſula omnis domibus & hoſpitiis plena foret, ſed quòd extra inſulam vrbs non extenderetur. In hac igitur vrbe quæ primùm ædificata fuit Eccleſia, Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo & Martyri nuncupata eſt. Id autem eo tempore contigit, quo Childebertus Chlodouei filius regnabat. Fortunatus teſtis adeſt loco, quem cap. I. laudauimus, vbi baſilicam illam deſcribit his verſibus:

Qui cupis egregij ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim ſacra cùm delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.
Exiguam dederat hic Præſul Amelius arcem
Chriſticolam populum nec capiente loco.

Quo vita claudente diem, pro lege gradúque
Venit ad hæredem hoc opus atque locus.
Fundauitque p[illegible] dehinc Papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem
Nomine ſub cuius ſanctificata nitet.

& poſt alia:

Nec anguſta priùs ſubtraxit fana ſacerdos,
Hæc niſi perficeret, quæ modò culta placent.
Aſſiduè in priſco peragens cerimonia templo,
Donec ritè ſequens conſolidaſſet opus.

Amelius igitur Pariſiorum Epiſcopus, qui ad annum Chriſti D.XXXVI. Aurelianenſi Concilio II. ſubſcripſit, Dionyſio ædificari baſilicam in vrbe curauit. Sed quia hæc parua erat, nec creſcentem in dies fidelium numerum complecti poterat, Leontius Burdegalenſis Epiſcopus capaciorem aliam eidem Dionyſio poſuit. *Fuit* recentior aliquis, qui baſilicam hanc non Lutetiæ, ſed Burdegalæ poſitam coniectauerit. Sed futilis & vana eſt illius coniectatio, & purum putum ἀστόχημα. Qui enim Burdegalenſis eſt Epiſcopus, cur pro pietate & opibus ſuis baſilicam Lutetiæ ædificare non poſſet? Deinde Burdegalæ nulla eſt Eccleſia, quæ Dionyſij nomen ferat, vel in qua Dionyſius primus aut alter patronus habeatur. Dum Fortunatus lib. II. carm. X. & XI. hinc clerum, inde Eccleſiam Pariſienſem celebrat, non alium clerum, aut aliam ſpectat Eccleſiam, quàm quæ lib. I. carm. XI. ab eodem auctore prædicata eſt, vt mutua docere poteſt contentio: En carmen ad clerum:

Cœtus honorifici decus & gradus ordinis ampli,

Quos colo corde, fide, relligione patres.
Iamdudum obliti deſueto carmine plectri
Cogitis antiquam me renouare lyram.
& poſt alia:
Celſa Pariſiaci cleri reuerentia pollens,
Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Dauidico diuina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce reuoluit opus.
Inde ſacerdotes, Leuiticus hinc micat ordo,
Illos canities, hos ſtola pulcra tegit.
Illis pallor ineſt, rubor his in vultibus errat,
Et candent rutilis lilia mixta roſis.
Illi iam ſenio, ſed & hi bene veſtibus albent,
Vt placeat ſummo picta corona Deo.
In medio Germanus adeſt Antiſtes honore,
Qui regit hinc iuuenes, ſubregit inde ſenes.
Leuitæ praeunt, ſequitur grauis ordo canentum,
Hos gradiendo mouet, hos moderando trahit.
Ipſe tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens:
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byſſus
Exornant humeros, ſed micat alma fides.
& poſt alia:
Aſſiduis monitis ad paſcua ſalſa vocatus,
Grex vocem agnoſcens currit amore ſequax.
Miles ad arma celer, ſignum mox tinnit in aures,
Erigit excuſſo membra ſopora toro,
Aduolat ante alios, myſteria ſacra requirens,
Vndique quiſque ſuo templa petenda loco.
Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnem,
Certatímque mouent quis prior ire valet.
Peruigiles noctes ad prima crepuſcula iungens,
Conſtruit angelicos turba verenda choros.

Digitized by Google

Greſſibus exertis in opus venerabile conſtans,
Vim factura polo cantibus arma mouet.
Stamina pſalterij lyrico modulamine texens,
Verſibus orditum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,
Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis.
Diſparibúſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iſte trahit modulos, rapit alacer ille,
Sexus & ætatis ſic variatur opus.

& poſt alia:

Pontificis monitis clerus, plebs pſallit, & infans,
Vnde labore breui fruge replendus erit.
Sub duce Germano felix exercitus hic eſt,
Moſes tende manus, & tua caſtra iuua.

En tibi carmen ad Eccleſiam.

Si Salmoniaci memoretur machina templi,
Arte licèt par ſit, pulcrior iſta fide.
Nam quæcunque illic veteris velamine legis
Clauſa fuere priùs, hìc reſerata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
Clariùs hæc Chriſti ſanguine tincta nitet.
Illa aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna,
Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Conſtitit illa vetus ruituro ſtructa talento,
Hæc pretio mundi ſtat ſolidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis.
Et quia pura manet, gratia maior adeſt.
Prima capit radios vitreis oculata feneſtris
Artificiſque manus clauſit in arce diem.
Curſibus auroræ vaga lux laquearia complet,

Digitized by Google

Atque ſuis radiis & ſine ſole micat.
Hac priùs egregio Rex Childebertus amore
Dona ſuo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuini cultus adhærens,
Eccleſiæ iuges amplificauit opes.
Melchiſedech noſter merito Rex atque ſacerdos
Compleuit laïcus relligionis opus.
Publica iura regens & celſa palatia ſeruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illic meritorum viuit honore,
Hic quoque geſtorum laude perennis erit.

Hic autem verſus; *Aſſiduè in priſca peragens cerimonia templo*, qui ad Dionyſij templum pertinet, facilè concordat cum hoc diſticho, quod in priori carmine lib. 11. habetur:

Carmine Dauidico diuina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce reuoluit opus.

Deinde propter ædem Sancti Dionyſij, quæ hodieque ſupereſt, certa quædam extant veſtigia dormitorij, in quo Germanus cum presbyteris & diaconis & clericis aliis cubare potuit. Ita vt eos officij facilè commonuerit, & ad curſum Eccleſiaſticum vocauerit. Quemadmodum Fortunatus & verſibus ſuis innuit, & diſertè ſcribit in vitæ Sancti Germani cap. LXXX. *Quantùm verò vigiliarum curam ſemper impenderit quis enarret? aut quis toleratos algores ardore fidei prædicet, cùm frequenter in lectulo antequam reliquos commoneret aſſurgere, quinquaginta pſalmos vel ampliùs indefeſſus in templo ſui pectoris Domino decantaret? aut quis illud felix furtum vel auditu ſentiret, vel viſu deprehenderet? cùm ipſe de lectulo, ſæpe etiam ſine caligis, ne ſentiretur ab aliquo,*

perrexit in oratorium, nullum ſibi in hoc cupiens præter Chriſtum occurrere. Qui celebrata vigilia remeans ad lectulum, quaſi nihil egerit, tunc primùm reliquos excitabat.

Diuerſis igitur & locis & temporibus eandem Dionyſij Baſilicam, Templum vel Oratorium Fortunatus laudibus ſuis adornat. Pura puta eſt rei eiuſdem amplificatio, & cumulata non diſparibus elogiis exornatio. Qui contrà negaret, gratìs & ſine ratione vlla negaret. Is enim non poſſet aliam nominare Eccleſiam, quæ lib. 11. Fortunati deſcribatur. Neque verò ſatis eſſet aliam nominare Eccleſiam, huic aut illi Sancto dicatam, quæ talis per auctores rei geſtæ æquales vel tempore proximos non probaretur. Quæ de iſtis aut ſimilibus antiquitatibus proferuntur ſine alicuius vetuſtioris ſcriptoris teſtimonio, contemni potiùs, quàm admitti debent.

Gregorius Turonenſis huic baſilicæ multis in locis ſuam commodat auctoritatem: & primùm lib. 1. de Miraculis cap. LXXII. *Dionyſius verò Epiſcopus Pariſiorum vrbi datus eſt martyr, tempore quo Sigebertus Rex cum exercitu ad vrbem illam venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad baſilicam antedicti martyris properat, non orationis deuotione, ſed tantùm vt aliquid fraudaret ab æde, ſcilicet vbi reſerata oſtia & vacuum templum à cuſtodibus reperiſſet, pallam holoſericam, auróque exornatam & gemmis, quæ ſanctum tegebat ſepulcrum temerario auſu diripuit, ſecúmque ſuſtulit. Veniens autem ad caſtra, fuit ei neceſſitas nauigandi. Cúmque puer eius, quem tunc creditum habebat,*

ſuſpenſis ad collum ducentis aureis nauem cum eodem aſcendiſſet, ſubitò à nullo tactus de naui decidit, oppreſſúſque aquis nunquam potuit inueniri. Ille quoque iüdicium Dei in ſe cernens per pueri amiſſionem, & auri, velociter litori, de quo digreſſus fuerat, remeauit, pallámque ſepulcri ſumma velocitate reſtituit.

Deinde lib. v. Hiſt. cap. xxxviii. *Apud Pariſius autem mulier quædam ruit in crimen aſſerentibus multis, quaſi quòd relicto viro cum alio miſceretur. Igitur parentes illius acceſſerunt ad patrem dicentes: aut idoneam redde filiam tuam, aut certè moriatur, ne ſtuprum hoc generi noſtro notam infligat. Noui, inquit pater, ego filiam meam, bene idoneam, nec eſt verum verbum hoc, quod mali homines proloquuntur. Tamen ne crimen conſurgat vlteriùs, innocentem eam faciam ſacramento. & illi, Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum hoc Beati Dionyſij Martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater: tunc inito placito ad baſilicam Martyris Sancti conueniunt, eleuatíſque pater manibus ſuper altarium iurauit: filiam non eſſe culpabilem. Econtrariò verò periuraſſe eum alij à parte viri pronunciant. His ergo altercantibus, euaginatis gladiis in ſe inuicem proruunt, atque ante ipſum altarium ſe trucidant. Erant autem maiores natu, & primi apud Chilpericum Regem. Sauciantur multi gladiis, reſpergitur ſancta humano cruore baſilica, oſtia iaculis fodiuntur & enſibus, atque ad ipſum ſepulcrum tela iniqua deſæuiunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec iſta omnia ad Regis notitiam peruenirent. Hi verò properantes ad præſentiam Principis, non recipiuntur in gratiam,*

Digitized by Google

ſed ad Epiſcopum loci illius remitti eos iuſſum eſt. Vt ſi de hoc facinore culpabiles non inuenirentur, ſociarentur communioni. Tunc ab Epiſcopo Ragnemodo, qui Pariſiaca Eccleſiæ praerat, componentes quæ malè geſſerant, in communionem Eccleſiaſticam ſunt recepti. Mulier verò non pòſt multis diebus cùm ad iudicium vocaretur, laqueo vitam finiuit.

Tum cap. XXXV. *Igitur in his diebus Chilpericus Rex grauiter ægrotauit, quo conualeſcente filius eius iunior necdum ex aqua & Spiritu ſancto renatus ægrotare cœpit. Quem in extremis videntes baptiſmo abluerunt. Quo pariter meliùs agente frater eius ſenior nomine Chlodobertus ab hoc morbo corripitur.* & poſt alia: *Poſt hac infantulus iunior, dum nimio labore tabeſcit, extinguitur. Quem cum maximo mœrore deducentes à villa Brennaco Pariſius ad baſilicam Sancti Dionyſij ſepelire mandauerunt. Infantulus ille iunior vocatur Dagobertus, cuius epitaphium à Fortunato conſcriptum eſt.*

Hæc autem Dionyſij baſilica multùm celebris erat tempore Chilperici Regis, qui ad annum Chriſti DLXXXIV. migrauit è vitâ. In ea filij Regum ſepeliebantur, in ea rei vel innocentes purgabantur ad Dionyſij tumulum, quem includebat. In ea Eccleſiaſtici officij curſus peragebatur, quæ primariæ intra vrbem Eccleſiæ nota eſt. In ea Sanctus Eligius ad Dionyſij ſepulcrum patrauit miraculum illud, quod Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus ſic narrat lib. 1. de Vita Eligij cap. XXII. *Denique quodam tempore, cùm anniuerſaria Pariſius Sancti Dionyſij Martyris celebraretur paſſio, dum vigilia à clero caneretur in*

Digitized by Google

choro, egreſſus Eligius è templo ad atrium ſe conferebat, viditque eminus virum cunctis membris contractum, contra Sancti ſepulcrum iacere in pauimento: à Deo inſpiratus acceſſit ad hominem, blandéque eum compellans cœpit ab eo inquirere & tempora claudicationis, & cauſam ægritudinis, ſimul ex eo ſciſcitans, num ſpem haberet in Chriſto, crederétque ſe quandoque ſanandum, itémque poſt mortem reſurrecturum, & vel præmia, vel pœnas pro meritorum qualitate recepturum. Cúmque ille ſecutus verba, cuncta hæc credere ſe fateretur. Rurſus Eligius: Si ergo hæc, inquit, vt aſtruis, credis, quid ita inaniter hîc iaces? Roga potiùs hunc Sanctum, vt intercedens apud Dominum, reddat te protinus ſanum. Dicente autem illo, ſe ea cauſa ibi excubare: Eligius eum intuens, Credis, inquit, poſſe hunc Sanctum iſtud tibi apud Deum obtinere? Illo reſpondente, ſe ſic credere, rurſus ad eum Eligius, Si ſic credis, ait, promitte te iam deinceps Deo ſeruiturum, & vide ne vacillet fides tua, & abſque mora ſanabit te Dominus. Illo per omnia fidem dante, fixit Eligius genua in terra & prolixè orauit, deinde oculos pariter & palmas ad cælum attollens, Dominum Ieſum fide plenus promiſſionis fideliter admonuit, qua dixit, Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Itémque qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Cúmque pleno pectore ac fide deuotionis depoſceret conuerſus ad ægrum, apprehenſa eius dextera, ait, Si indubitanter credis, ſicut promittis, in nomine Domini Ieſu Chriſti, ſurge & ſta ſuper pedes tuos, atque hæc dicens, attraxit eum ad ſe fortiter, & illico nexibus

artuum reſolutis eleuatus æger ſtetit, mòxque conſolidati ſunt pedes eius & membra, & ſanatus eſt ipſa hora. Comminans autem ei Eligius & conteſtans præcepit, vt ſi nollet rurſus talia pati, nullum aliud de reddita ipſi ſanitate verbum ediceret, niſi quòd Dominus Ieſus per Sanctum Dionyſium eum ſanaſſet. Clerus & chorus ei conueniunt Eccleſiæ, quæ tunc officium perdidit, cùm cædes in ea Chilperici tempore patrata eſt. Hæc igitur baſilica Dionyſij intra Lutetiæ pomœrium ſic figitur, vt inde per auctores æquales vel ſuppares refigi non poſſit. Scio quidem monachos duos Germanum Milletum, & Hugonem Menardum omnem mouiſſe lapidem, omnes adhibuiſſe ſuis in Areopagiticis machinas, vt antiquiſſimam illam baſilicam inobſcurarent. Sed oleum & operam perdiderunt. Eſt enim adeò illuſtris, vt ſplendore ſuo tenebras etiam Cimmeriis denſiores & craſſiores depelleret. Non eſt tam facile fundamenta baſilicæ huius ſubuertere, quàm incluſum in ea Dionyſij ſepulcrum effodere, & illius reliquias aliò transferre. Hæc porro baſilica ea eſt, quæ modò Sancti Dionyſij de Paſſu corruptè dicitur, cùm à Dionyſio inibi paſſo dicenda ſit. Moris olim fuit, vt ad ſepulcra Martyrum baſilicæ conſtruerentur. Tunc extrema pars inſulæ, quæ Orientem reſpicit, hoſpitiis & ciuibus vacua erat, & velut poſita extra vrbem, quæ inſulam totam non occupabat. Ibi martyrium fecit Dionyſius & ſepulcrum habuit, quod fideles in modum turris erexerant. Vnde turritum à Gregorio vocatur lib. I. de Miraculis cap. LXXII. *Alius*, inquit,

Digitized by Google

ſuper ſepulcrum Sancti calcare non metuens, dum columbam auream lancea quærit elidere, elapſiſque pedibus ab vtraque parte, quia turritus erat tumulus, compreſſis teſticulis, lancea in latere defixa, exanimis eſt inuentus. Id non fortuitò contigit, ſed iudiciò Dei geſtum nullus ambigat. Hic turritus tumulus nuſquam ac nunquam alibi, quàm hoc in loco, qui Orientalem inſulæ partem tenet viſus eſt, aut viſum fuiſſe ſcriptores priſci memoriæ prodiderunt. Ex hoc ipſo loco, vbi aſſeruabantur Dionyſij lipſana, Dionyſius ipſe ad beati Aredij exequias pergere viſus eſt, vt lib. x. Hiſt. cap. xix. Gregorius ſic tradit: *Sexta quoque eius ægrotationis die mulier quæ ab immundo ſpiritu ſæpius vexata, à ſancto emundari non poterat, ligatis per ſe à tergo manibus clamare cœpit ac dicere; Currite ciues, exilite ciues, exite obuiam Martyribus, Confeſſoribúſque, qui ad exequium beati Aredij conueniunt: Ecce adeſt Iulianus à Briuate, Priuatus ex Mimate, Martinus à Turonis, Martialíſque ab vrbe propria; adeſt Saturninus à Toloſa, Dionyſius ab vrbe Pariſiaca.*

Ceterum prætermitti non debet, ſtructuram huius Eccleſiæ Dionyſianæ, quæ baſilicæ S. Mariæ ex parte Orientis anteponitur, Eccleſiarum, immo & domorum, quotquot Lutetiæ ſunt, fere omnium vetuſtiſſimam iudicari poſſe. Qui poſt multa ſæcula turritum Dionyſij ſepulcrum euerterunt, qui ſepulcrum & baſilicam Dionyſij alio in loco ſtatuerunt, id ſine auctoritate veterum fecerunt, contra exploratam maiorum traditionem pugnarunt, ſuis ſtudiis ac commentis, non veritati ſeruierunt.

CAPVT V.

Eccleſia Sancti Vincentij martyris in ſuburbio, quæ nunc Sancti Germani dicitur.

CHILDEBERTVS Chlodouei filius eam in ſuburbio Lutetiæ ædificari curauit Eccleſiam, quæ tunc Sancti Vincentij nuncupata eſt, & nunc Sancti Germani nuncupatur: Id ni fallor, accidit, cùm Rex victor ex Hiſpaniis rediit, & Vincentij nonnullas, vt par eſt credere, reliquias huc aſportauit. Nam ſine Martyrum reliquiis baſilicam non licebat extruere, ſi modò Martyris alicuius titulum præ ſe ferret. Gregorius Turonenſis in lib. IV. cap. XX. *Childebertus igitur Rex ægrotare cœpit, & cùm diutiſſimè apud Pariſius lectulo decubuiſſet, obiit, & ad baſilicam beati Vincentij, quam ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus.* Iterum lib. VI. cap. vltimo de morte Chilperici Regis: *Nullum vnquam purè dilexit, à nullo dilectus eſt. Ideóque cùm ſpiritum exhalaſſet omnes eum reliquerunt ſui. Malulfus autem Siluanectenſis Epiſcopus, qui iam tertia die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, vt eum interemptum audiuit, aduenit, ablutúmque veſtimentis melioribus induit. Nocte in hymnis deducta in naui leuauit, & in baſilica Sancti Vincentij, quæ eſt Pariſius, ſepeliuit.*

Deinde lib. VIII. cap. X. de Chlodoueo Chilperici filio: *Cognitúmque eſt hunc eſſe, quem Rex intento animo requirebat. Conuocato igitur Epiſcopo*

ciuitatis

ciuitatis cum clero & populo ac cereorum innumerabilium ornatu ad baſilicam Sancti Vincentij detulit tumulandum, non minùs plangens nepotes mortuos, quàm cùm vidit filios proprios iam ſepultos.

Rurſus eodem lib. cap. XXXIII. *Extitit autem in his diebus apud vrbem Pariſiacam mulier, quæ dicebat incolis: Fugite ab vrbe, & ſcitote eam incendio concremandam. Quæ cùm à multis irrideretur, quòd hæc aut ſortium præſagio diceret, aut vana aliqua ſomniaſſet, aut certè dæmonij meridiani hæc inſtinctu proferret, reſpondit: Nequaquam eſt ita, vt dicitis. Nam in veritate loquor, quia vidi per ſomnium à baſilica S. Vincentij venientem virum inluminatum, tenentem manu cereum, & domos negotiantum ex ordine ſuccendentem. Deniq; poſt tertiam noctem, quòd hæc mulier eſt effata, inchoante crepuſculo quidam è ciuibus accenſo lumine in promptuarium eſt ingreſſus, adſumptóque ab eo ac ceteris, quæ neceſſaria erant, abſceſſit, lumine ſecus cupellam olei derelicto. Erat enim domus hæc prima ſecus portam, quæ ad meridiem pandit egreſſum. Ex quo lumine adprehenſa domus incendio concrematur, de qua & aliæ adprehendi cœperunt. Tunc deruente igne ſuper vinctos carceris adparuit eis beatus Germanus & comminuens trabem atque catenas, quibus vincti tenebantur, reſerato carceris oſtio, vinctos abire permiſit incolumes. Illi verò egreſſi ſe ad baſilicam Sancti Vincentij, in qua ſepulcrum habetur beati Antiſtitis, contulerunt.*

Poſtremò lib. de Gloria Confeſſorum cap. XC. *Ingrediente autem Chilperico Rege in vrbem Pariſiacam, poſtridiè quàm Rex ingreſſus eſt ciuitatem, paralyticus, qui in porticu baſilicæ Sancti Vincentij,*

in qua beatus Germanus requieſcit in corpore, reſidebat, dirigitur: mane autem facto exſpectante populo gratias beato Antiſtiti referebat.

Incertus auctor, qui tempore Theodorici II. floruit, in geſtis Francorum cap. XXVI. de bello, quod Childebertus in Hiſpania geſſit. *Childebertus*, inquit, *poſtulauit, vt ei reliquias beati Vincentij daret. At ille* (Epiſcopus Cæſarauguſtanus) *dedit ei ſtolam eius. Tunc memorati Reges* (Childebertus & Chlotarius) *adquiſita maxima parte Spaniæ cum multis theſauris & ſpoliis reuerſi ſunt, Childebertus verò Pariſius veniens Eccleſiam in honore beati Vincentij Martyris ædificauit.* Deinde cap. XXXVII. *Eo etiam tempore mortua eſt Fredegundis Regina ſenex & plena dierum, & Pariſius in baſilica Sancti Vincentij Martyris eſt ſepulta.*

Fredegarius in Chronici cap. LVI. *Anno* XLV. *regni ſui Chlotarius moritur, & in ſuburbano Pariſius in Eccleſia Sancti Vincentij ſepelitur.*

Aimoinus monachus lib. II. Hiſt. Francorum cap. XX. *Veùrm Childebertus acceptum beati Vincentij ſtolam Pariſius defert, ædificatámque ſolo tenus baſilicam nomini eiuſdem Sancti Leuitæ, ac Martyris dedicari fecit.*

Hæc illi omnes de prima Eccleſiæ huius ædificatione & titulo, qui poſt Dagobertum primum ſuas vices habuit. Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus in libri I. de Vita S. Eligij capite XXVI. eam vocat nunc baſilicam, nunc Eccleſiam S. Germani. *Cùm aliquando Pariſiis loca orationum circumiret veniens ad baſilicam S. Germani, vidit illic claudum quendam.* & poſt pauca: *Præcepit miniſtris vt auferentes ægrum à carruca in Ec-*

Digitized by Google

cleſiam deportarent, & iuxta cancellos iam dicti Confeſſoris deponerent.

Lupus Ferrarienſis eam quoque beati Germani baſilicam nominat in inſcriptione literarum, quas ad Guenilonem & comprouinciales Epiſcopos ſcribit: *Religioſiſſimis Patribus & Fratribus Gueniloni Metropolitano Senonicæ ſedis Antiſtiti, & vniuerſo clero eius, & ceterarum Eccleſiarum Præſulibus, quæ Diœceſi memoratæ ſedis cenſentur cunctis in eis Domino famulantibus, clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobij Sancti Dionyſij & Sancti Germani, & beatæ Genouefæ, ac Foſſatenſes, diuerſorúmque cœnobiorum vnanimitas præſentem & futuram ſalutem.* Huic nuncupationi cauſam dedit tumulus S. Germani.

Annales Sancti Bertini ad annum DCCC. LVII. Sancti Vincentij & Sancti Germani Eccleſiam dicunt: *Dani Sequanæ inſiſtentes cuncta liberè vaſtant, Lutetiámque Pariſiorum aggreſſi baſilicam beati Petri & Sanctæ Genouefæ incendunt, & ceteras omnes præter domum Sancti Stephani, & Eccleſiam S. Vincentij atque Germani.* Quæ verba repetit Chronicum de geſtis Nortmannorum in Francia.

Interpolator, ſeu potiùs ſuppoſtor chartæ illius, quâ Childebertus hanc Eccleſiam fundaſſe dicitur, his Sanctis omnibus adſcribit: *Ego, Childebertus Francorum Rex vnà cum conſenſu Francorum & Neuſtraſiorum, & exhortatione ſanctiſſimi Germani Pariſiorum vrbis Pontificis, vel conſenſu Epiſcoporum cœpi conſtruere templum in vrbe Pariſiaca prope muros ciuitatis in terra, quæ adſpicit ad fiſcum noſtrum Iſiacenſem in loco, qui appellatur Leucotitie, in honorem Sancti Vincentij*

Martyris, cuius reliquias ex Hiſpania aſportauimus, ſeu & Sanctæ Crucis, vel Sancti Stephani, & Sancti Ferreoli, & Sancti Iuliani, & beatiſſimi Sancti Georgij & Sancti Geruaſij, Protaſij, Nazarij & Celſi pueri, quorum reliquiæ ſunt ibi conſecratæ. Propterea in honorem dominorum Sanctorum concedimus fiſcum, &c. Quo autem tempore monachus aliquis chartam interpolauit, ſeu ſuppoſuit, in ea baſilica fuerunt commemoratorum Sanctorum reliquiæ, quibus baſilicam à Childeberto conſecratam eſſe voluit. Hic enim mos quondam obtinuit, vt primis Eccleſiæ alicuius patronis & tutelaribus accederent alij, quorum reliquiæ poſtea in eam transferrentur.

Monaſterium S. Medardi & S. Sebaſtiani dictum eſt à nonnullis, poſtquam in illud Sancti Sebaſtiani corpus tranſlatum fuit. Eginhardus in Annalibus de geſtis Ludouici Pij hanc tranſlationem ita memorat anno DCCC. XXVI. *Dum hæc aguntur, Hilduinus Abbas Sancti Dionyſij Martyris Romam mittens, annuente precibus eius Eugenio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ tunc præſule, oſſa beatiſſimi Martyris Chriſti Sebaſtiani accepit, & ea apud Sueſſioniam ciuitatem in baſilica Sancti Medardi collocauit.* Ex Codice miraculorum Sancti Sebaſtiani, qui tomo II. Hiſtoriæ Francicæ prodiit, diſcitur non multò pòſt nuncupatum eſſe Sanctorum Medardi & Sebaſtiani cœnobium. Sic enim in eo loquitur Ludouicus Imperator: *A nunquam læſis multipliciter læſus & deluſus, nefandorum actuum meorum non immemor, æquiſſimo Dei iudicio hæc me dignè perpeti comminiſcens, caſus æquanimiter ferebam. Sueſſionis ciuitate deinde*

Digitized by Google

inimica cohorte vallatus, ad Sanctorum dominorum meorum Medardi & Sebaſtiani cœnobium perductus ſum. Deinde in Præfatione Sueſſionenſis Synodi, quæ anno DCCCLIII. habita eſt, Monaſterium Sancti Medardi & Sancti Sebaſtiani vocatur. *Regnante in ſempiternum Domino Deo vniuerſorum anno Incarnationis eiuſdem Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti* DCCCLIII. *anno verò regni glorioſi Caroli filij Hludouici religioſiſſimi Auguſti* XIII. *Indictione* I. *Epiſcopis iuxta inſtituta Canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Carolus, eóſque apud vrbem Sueſſionum in monaſterio Sancti Medardi & Sancti Sebaſtiani* X. *Calendas Maias conuenire præcepit.* Infinitus eſſem, ſi exempla cetera recenſerem.

Hîc omittere non poſſum id, quod in certis quibuſdam Martyrologiis Vſuardi exemplaribus reperitur. Fuit ſine dubio monachus, cui, cùm Vſuardi Martyrologium tranſſcriberet, ad x. Calend. Ianuarij placuit addere: *Pariſius dedicatio baſilicæ in honore Sanctæ Crucis & Sancti Vincentij Martyris, & depoſitio Domni Childeberti Regis.* Hæc dedicatio ſi reuera talis facta eſt, ad priſcam originem baſilicæ, quæ vni Vincentio aſſeritur, non ſpectat, ſed ad tempus illud, quo inſtaurata baſilica conſecrata eſt. Eam Alexander III. cùm eſſet Lutetiæ, conſecraſſe dicitur. Vtut ſit, qui monachus illud addidit Martyrologio, inſuperhabuit Childeberti Regis chartam, vbi baſilica tutelæ Sancti Vincentij, Sanctæ Crucis, Sanctorum Stephani, Ferreoli, Iuliani, Georgij, Geruaſij, Protaſij, Nazarij & Celſi conſignatur.

Digitized by Google

Ceterùm hæc dedicatio neque in antiquis, neque in recentioribus pleriſque Vſuardi exemplaribus habetur. In iis tantùm habetur, quæ ex monaſterio Sancti Germani prodierunt, vbi monachus aliquis, ne ingratus videretur, conditorem Eccleſiæ Sancti Vincentij, hoc eſt monaſterij ſui Childebertum ad Sanctorum ordinem adiecit. De vindicato huius baſilicæ titulo in Iudicio de Hadriani Valeſij diſceptatione diximus obſeruatione VI. & XXIV. Iterum & copioſiùs in ſecunda part. Aſſert. Inquiſit. in chartam immunitatis monaſterij beati Germani cap. III.

Ad extremum Germanus ſolus Eccleſiæ titulum vſurpauit. Quod apud omnes, qui loquuntur in confeſſo eſt: & qui modò Eccleſiam Sancti Vincentij quæreret, peregrinus & hoſpes crederetur.

CAPVT VI.

Eccleſia Sanctæ Crucis in ſuburbio.

NOTITIAM huius Eccleſiæ acceptam referimus vni Fortunato, qui vitam Sancti Germani Pariſienſis Epiſcopi compoſuit. De ea ſic loquitur cap. XLIII. *Cùm Pariſiis ad baſilicam Sanctæ Crucis in ſuburbio eiuſdem ciuitatis poſitam vir Dei proceſſiſſet, ſigno crucis vitam reddit infanti.* A quo autem, & quo tempore ædificata ſit Eccleſia hæc, ignoratur. Video quoſdam eſſe, qui baſilicam iſtam Sanctæ Crucis cum ba-

ſilica Sancti Vincentij confundant. Sed his primùm repugnat Gregorius teſtis, vt ita dicam, oculatus, qui Vincentianæ baſilicæ originem tradit, & illius diuerſis & temporibus & locis meminit ſine mentione vlla Crucis, quæ Vincentio, ſeu potiùs, cui Vincentius acceſſiſſet. Deinde repugnant incertus auctor de geſtis Francorum, Fredegarius & Aimoinus, qui baſilicarum duarum coniunctionem & confuſionem ſuo ſilentio tollunt. Tum demum repugnant Lupus Ferrarienſis, Annales Bertiniani, & Chronicum de geſtis Nortmannorum. Siquidem in iis nunc Sancti Germani Eccleſia, nunc Sancti Vincentij & Sancti Germani Eccleſia habetur, ſed Sancti Vincentij & Sanctæ Crucis Eccleſia nuſquam habetur. Decepit illos adſcripta Childeberto charta, cuius fragmentum retulimus, & niſi decipi ſe velint, dicant nobis, cur Sanctorum Geruaſij & Protaſij baſilicam baſilicæ Vincentij non coniungant? In charta enim illa Vincentij baſilica Sanctis Geruaſio & Protaſio perinde ac Sanctæ Cruci ſacra prædicatur. Fatendum igitur eſt Vincentij baſilicam non minùs à baſilica Sanctæ Crucis, quàm à baſilica Sanctorum Geruaſij & Protaſij diſtinctam olim Pariſiis fuiſſe.

Quæſtionem & diſtinctionem hanc in Iudicio de Hadriani Valeſij diſceptatione latiùs perſequor obſeruatione VI. & XXIV. nec repetendum hîc mihi videtur, quod ibi diſſerui. Hæc autem Sanctæ Crucis Eccleſia, quæ tunc erat in ſuburbio, nunc eſt in vrbe, quæ inſulæ ambitu clauditur. Vtrum verò eadem ſemper fuerit ſedes

Eccleſiæ, iudicatu difficile eſt. Ad me quod attinet, ego arbitror, Sanctæ Crucis baſilicam, quæ erat in ſuburbio, periiſſe vel incendio vel euerſione ædificij: quo tempore Nortmanni Lutetiam deuaſtarunt. Tunc Sanctæ Crucis reliquias, quæ nomen Eccleſiæ fecerant, tranſlatas in vrbem dediſſe cauſam ædificandæ Eccleſiæ quæ priſtinam appellationem retinuit. Itaque non in ſuburbiis, ſed intra vrbem reſtaurata tunc eſt Sanctæ Crucis Eccleſia, quò faciliùs ab incurſione hoſtium & armorum impetu defenderetur.

CAPVT VII.

Eccleſia Sanctorum Geruaſij & Protaſij.

FORTVNATVS huic quoque Eccleſiæ teſtimonium perhibet lib. de Vita Sancti Germani cap. LXVI. vbi Confeſſoris huius miraculum aliquod ita deſcribit: *Cùm Pariſiis ad baſilicam Sanctorum Geruaſij & Protaſij orandi cauſa proceſſiſſet, ianuis obſeratis ingreſſus illi negatus eſt; tunc requiſitis clauibus; nec tamen ipſis aperientibus ſic ille reſerauit peſſulum facto ſignaculo Crucis.* Vtrum autem in vrbe, vel in ſuburbiis ſita fuerit hæc Eccleſia, Fortunatus non dicit: ſed ſi quo in loco nunc ſita eſt, tunc ſita fuit, vt par eſt credere, in ſuburbiis non in vrbe ſita fuit. Hæc porro baſilica condita non eſt ante annum Chriſti CCCLXXXVII. quo ignota hactenus Geruaſij & Protaſij corpora Mediolani reperta fuerunt.

Tunc illorum reliquiæ per Chriſtianum orbem diſperſæ nomen variis dederunt Eccleſiis, quæ vel iam ædificatæ fuerant, vel tunc primùm ædificatæ fuerunt.

CAPVT VIII.

Aſſeritur Eccleſia Sancti Laurentij in ſuburbiis.

GREGORIVS Turonenſis huius Eccleſiæ ſic meminit lib. VI. Hiſt. cap. IX. *Domnolus verò Cenomannorum Epiſcopus ægrotare cœpit. Tempore enim Chlotarij Regis apud Pariſius ad baſilicam Sancti Laurentij gregi monaſteriali præfuerat.* Iterum cap. XXV. *Anno octauo Childeberti Regis pridie Calendas Februarias cùm die Dominico ad vrbem Turonicam ad matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad Eccleſiam conueniret, cælo nubilo cum pluuia globus magnus igneus de cælo dilapſus in ſpatio multo cucurrit in aëra. Qui tantam lucem dedit, vt tanquam media die omnia cernerentur. Quo iterum in nubem ſuſcepto nox ſucceſſit. Aquæ verò extra ſolitum inualuerunt. Nam tantam inundationem Sequana, Matronáque circa Pariſius intulerunt, vt inter ciuitatem & baſilicam Sancti Laurentij naufragia ſæpe contingerent.* Ecce tibi beati Laurentij baſilica, cuius magna fuit regnante Childeberto primo celebritas, ſed origo neſcitur. Hæc baſilica primò monaſterium fuit, deinde tranſiit in Eccleſiam, vbi Chriſtianus populus ſynaxes & conuentus ſuos

egit, hodiéque agit. Vtrum autem æui progreſſione ſitum mutauerit, certò dici non poteſt. Satis tamen conſtat, baſilicam, quæ nunc eſt, longè maiorem eſſe ea, quæ fuit Chlotario & Childeberto regnantibus.

CAPVT IX.

Eccleſia Sancti Iuliani Martyris.

GREGORIVS lib. IX. Hiſt. hanc Iuliani baſilicam indicat cap. VII. vbi magni cuiuſdam impoſtoris ſubdititias Sanctorum reliquias huc & illuc deferentis hiſtoriam deſcribit: *His diebus*, inquit, *Pariſius adueneram, & ad baſilicam beati Iuliani Martyris metatum habebam: Nocte igitur inſequenti erumpens miſer iſte de cuſtodia, cum ipſis, quibus nexus erat catenis ad antedictam baſilicam S. Iuliani properat, atque in pauimento, in loco, quo ego eram ſtare ſolitus, ruit, ac ſopore vinóque oppreſſus obdormiuit. Nos verò ignari facti media ſurgentes nocte ad reddendas Domino gratias inuenimus eum dormientem. De quo tantus fœtor egrediebatur, vt omnium cloacarum atq; ſeceſſuum fœtores fœtor ille deuicerit. Sed nec nos præ hoc fœtore in baſilicam ingredi potueramus. Accedens verò vnus clericorum clauſis naribus eum excitare nititur, nec potuit. Ita enim erat miſer madefactus vino. Tunc quatuor accedentes clerici leuantes eum inter manus in vnum angulum baſilicæ proiecerunt.* Extra Lutetiæ pomœrium fuiſſe baſilicam Iuliani Martyris ex eo facilè coniicitur, quòd in ſuburbiis, quæ tunc

Digitized by Google

fuerunt, Iuliani baſilicæ duæ nunc reperiantur. Altera ſpectat Meridiem, altera Septentrionem. illa minùs, quàm hæc ab vrbe diſtat, ſi modò, quæ tunc vrbis facies fuit, conſideretur. Illa nunc Sancti Iuliani Pauperis, hæc Sancti Iuliani Mimorum dicitur. Sed certò dici non poteſt, quamnam Gregorius & ſcriptis & fuſis ad Deum precibus cohoneſtarit. Suſpicarer ego baſilicam, cuius ille meminit, eam eſſe, quæ in Auſtrali parte conſiſtit, & Sancti Iuliani Pauperis nuncupatur. Hæc Gregorio Turonis venienti Lutetiam ad habitandum erat commodior. Præterea tunc paluſtris locus erat, in quo nunc ſita eſt altera Iuliani Eccleſia, qua hodie Mimorum cognominatur. Porro huius baſilicæ natales ignorantur. Quicquid in cauſa, vt Laurentij baſilica poſterior eſt Valeriano Imperatore, ſub quo Laurentius Romæ, ita & Iuliani baſilica Diocletiano, ſub quo Iulianus Briuate martyrium impleuit. Nam baſilicæ martyribus ſine martyrum reliquiis dedicari non conſueuerant.

CAPVT X.

Eccleſia quædam Sancti Petri de Aſſyriis.

IN aſſertione huius Eccleſiæ non imus per expreſſa veterum teſtimonia, ſed per coniecturam, quæ partim ex Gregorio Turonenſi, partim ex antiquo Pariſienſis Eccleſiæ chartophylacio depromitur. Chartophylacium, quod ante annos plus minùs quingentos deſcriptum

eſt, repræſentat Eccleſiam vnam, cui titulus *Sancti Petri de Aſſyriis.* Gregorius lib. x. cap. xxvi. hæc nobis obiicit: *Ragnemodus quoque Pariſiacæ vrbis Epiſcopus obiit. Cúmque Germanus eius Faramodus preſbyter pro Epiſcopatu concurreret, Euſebius quidam negotiator genere Syrus, datis multis muneribus, in locum eius ſubrogatus eſt, iſque accepto Epiſcopatu omnem ſcholam deceſſoris ſui abiiciens, Syros de genere ſuo Eccleſiaſticæ Domui miniſtros ſtatuit.* Ex his autem apparet Lutetiæ Syros fuiſſe complures, qui negotiarentur, & mercaturam exercerent. Itaque potuit accidere, vt negotiatores illi baſilicam ædificauerint, quam & beato Petro dicari curauerint, & ab natione ſua cognomentum impertierint. Profectò qui alienis in vrbibus negotiationi & mercaturæ vacant, priuatas Eccleſias habere conſueuerunt. Quæ igitur beati Petri Eccleſia *Syrorum* vel *de Syris* primùm dicta eſt, *de Aſſyriis* poſtmodum dici cœpit. Sed cùm annorum vicibus genuina deperdita eſt nomenclatio, cognomen nouum *de Aſſiſiis, de Arſiciis, de Arſis, de Arſionibus* effictum eſt. Appellationes primæ duæ à vera & genuina minùs deflectunt, poſtremæ verò duæ omnino deflectunt, & nihil ſignificant, niſi quòd qui ſic loquuntur, cognomen ab ardendi actu deductum gratìs interpretentur. Quid ſibi voluerint per me licet, diuinando ſortiantur. Erat extra inſulam, illíque adiacebat pari cognomento vicus, qui hodiéque vltra pontem B. Mariæ ſupereſt. Verùm hæc Sancti Petri de Aſſyriis Eccleſia eandem atque plures aliæ, fortunam habuit & ſecuta eſt. Eam

diruerunt Nortmanni, ſed incolæ intra inſulam reædificarunt. At tranſlato templo cohærens illi vicus tranſlatus non eſt, nec mutata vici appellatio, etiamſi mutandæ appellationis cauſa non defuerit. Vnde accidit, vt quamuis Eccleſia & vicus inter ſe ſat multùm diſtent, cognomentum tamen idem retineant. Quod alienum ab vſu & conſuetudine cùm ſit, coniecturam noſtram confirmat, cui tantùm adhæreo, vſque dum aliquid melius offeratur.

CAPVT XI.

Eccleſia Sanctæ Columbæ virginis.

QVo tempore Dagobertus I. regnauit, Sanctæ Columbæ baſilicam fuiſſe illuſtrem Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus ſignificat lib. 1. de Vita Sancti Eligij cap. xxx. *Alio*, inquit, *tempore Pariſiis degente illo, mane ad eum tremebundus aduolauit cuſtos baſilicæ Sanctæ Columbæ virginis, prouolutúſque pedibus eius nunciauit, eadem nocte ſe quieſcente ſpoliatam omni ornatu baſilicam. Quod Eligius audiens triſtis admodum effectus, citò tamen ad ſolita ſpei præſidia recurrens clementer refouit cuſtodem. Deinde ad Sanctæ Columbæ oratorium pergens, oratione præmiſſa, in hæc prorupit verba: Audi Sancta Columba, quæ dico nouit Deus meus Redemptor, niſi ornamenta huius ædis furto ablata citò reduxeris, me vepribus allatis ita hanc ianuam obſtructurum, vt deinceps nunquam tibi in hoc loco veneratio exhiberi poſſit. dixit*

& receſſit. Et ecce ſequenti die cuſtos maturiùs ſurgens inuenit vela omnia vſque ad minimam pallam, ſicut priùs fuerant, reſtituta. Hæc baſilica videtur eſſe parua, quòd eam auctor Oratorium appellet. Incompertum verò eſt tempus, ſiue quo primùm erecta & Columbæ virgini & Senonicæ martyri dedicata ſit, ſiue quo funditus interierit. Ego arbitror à Nortmannis incendio conſumptam, nec poſtea reſtitutam fuiſſe. Hi enim cùm obſederunt Lutetiam, Pariſienſes Eccleſias omnes exceptis paucis igni ſubiecerunt, vt Annales Bertiniani, & Chronicum de geſtis Nortmannorum in Francia confirmant.

CAPVT XII.

Sanctimonialium virginum monaſterium, quod poſtea dictum eſt Eccleſia Sancti Eligij.

HVIVS monaſterij vel Eccleſiæ incunabula tradit Audoënus lib. I. de Vita Sancti Eligij cap. XVII. *Iſto*, inquit, *cœnobio in omni opere perfecto, omníque ex parte cum ſolertia ſtabilito cogitabat in Pariſienſi vrbe fabricare xenodochium. Sed excellentiori conſilio Deo inſpirante concepto cœpit ex domo ſua, quam in eadem vrbe ex munere Regis acceperat, virginum Chriſti ædificare domicilium. In quo opere diu multúmque inſtantiſſimè deſudans dignum tandem ſanctarum virginum conſtruxit aſceterium, vbi diſtrictam conſtituens diſciplinam vſque ad trecentarum numerum puel-*

larum ex diuerſis gentibus tam ex ancillis ſuis, quàm ex nobilibus Franciæ matronis congregauit. Res eadem memoriæ proditur in vita Sancti Euſtaſij Luxouienſis Abbatis, quæ ab Iona Abbate ſynchrono auctore edita eſt. Adſcribo verba è cap. VI. *Sed & Pariſius puellarum monaſterium quod regio munere acceperat, ædificat, cui Chriſti virginem Auream præfecit.* Hoc autem monaſterium, cuius origo certa eſt, ante annos quingentos & quinquaginta dicebatur Eccleſia Sancti Eligij, cùm ſcilicet Gualo Pariſienſis Epiſcopus Sanctimoniales è monaſterio eiecit, & in illud Foſſatenſes monachos induxit. Diplomatis Regij verba ſunt: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Philippus Dei gratia Francorum Rex. Notum fieri volumus vniuerſis ſanctæ Dei Eccleſiæ cultoribus tam futuris, quàm præſentibus: quia diuina prouidentia clementia, & aſſenſu Domini Papæ Paſchalis, monitione quoque & conſilio Canonicorum ſanctæ Pariſienſis Eccleſiæ, necnon & conſenſu noſtro, & Ludouici filij noſtri Gualo Pariſienſis Epiſcopus ab Eccleſia beati Eligij membro videlicet Epiſcopatus ſui propter intemperantem, quam impudenter agebant, fornicationem moniales (quamuis canonicè ſæpiſſime correptas) templum Domini apertè prauo vſu violantes, ac correptionis Paſtoris penitus negligentes ſpe melius agendi à præfata domo deiecit. Acceptis itaque Domini Papæ literis tunc temporis Pariſius venientis, datáque licentia ordinem religionis inibi ponendi noſtra licentia & ordinatione cum filij noſtri Ludouici obſecratione beato Petro Foſſatenſi, eiúſque loci Theobaldo Abbati præfatam Eccleſiam beati Eligij in cellam* XII. *mo-*

Digitized by Google

nachorum cum Priore ſuo perpetualiter poſſidendam conceſſi & habendam. Saluo quidem iure ſuæ poteſtatis & Eccleſiæ Pariſienſis, quemadmodum & in ipſius charta determinatum eſt. & poſt alia: *Actum Pariſius in Capitulo Sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione Domini* M. CVII.

Anni non ſunt admodum plures, cùm in hoc cœnobium inducti fuerunt Clerici Regulares Sancti Pauli, quos Barnabitas appellant.

CAPVT XIII.

Eccleſia Sancti Pauli.

HVIVS Eccleſiæ fundamenta iecit Sanctus Eligius, vt eſt in lib. I. de vita illius cap. XVIII. *Igitur cuncto opere monaſterij peracto atque omnibus ædificiis ancillarum Dei abſolutis, pro quibus mercedem laboris adeptus eſt lucra animarum, ædificauit poſtremò baſilicam in honore Sancti Pauli Apoſtoli ad ancillarum Dei corpora ſepelienda, cuius tecta ſublimia plumbo eleganter operuit. In ea baſilica Quintianus Abbas humatus eſt.* Monaſterium illud, de quo ſermonem inſtituit Audoënus, in inſula ſitum erat, ſed baſilica Sancti Pauli extra inſulam & Lutetiæ pomœrium. Quæ igitur baſilica quondam fuit conditorium Sanctimonialium virginum, quas beatus Eligius fundauerat, nunc magnificum atque ingens templum eſt, in quam conuenit pene infinita cleri & populi multitudo. Lapideus Quintiani tumulus ſupereſt in choro verſus Auſtrum.

CAPVT

CAPVT XIV.

Eccleſia Sancti Martialis.

AVDOENVS lib. IV. de vita S. Eligij cap. XXX. eundem Eligium facit baſilicæ iſtius auctorem, vel certè reſtitutorem. *Ædificauit*, inquit, *immo renouauit baſilicam in honore S. Martialis Lemouicini Pontificis & Confeſſoris, eáque vrbanè veſtita, tecta eius plumbo veſtiuit.* Hæc baſilica in inſula eſt, & baſilicæ S. Eligij vicina. Hîc appello inſulam, quomodo appellabatur antiquitùs. Sancti Martialis baſilica æquè ac Sancti Pauli baſilica identidem reſtaurata eſt, ſed neutra plumbo tegitur ampliùs.

CAPVT XV.

Cella beati Petri, quæ nunc Sancti Mederici Eccleſia nuncupatur.

AD neceſſariam cellæ huius cognitionem res quatuor propono.

I. Antequam Carolus Magnus Romanum capeſſeret Imperium, in Septentrionalibus ſuburbiis fuit certus quidam locus, vbi B. Medericus presbyter vixit aliquandiu, & mortuus ſepulturam habuit. Id planè conſtat ex Martyrologio, quod Vſuardus Pariſienſis monachus compoſuit, & Carolo Imperatori dicauit. Vſuardi

Nn

verba ſunt ad IV. Calend. Septembris: *Depoſitio Mederici preſbyteri.* In recentioribus nonnullis exemplaribus Abbatis nomen additur, quod vetuſtiſſima quæque non repræſentant.

II. Vtrum locus ille ſacer antea fuerit, an Medericus habitatione, ſanctimonia, exuuiiſque ſuis ſacrum effecerit, nemo ex antiquioribus Carolo Magno, æqualibus aut tempore proximis ſcriptoribus affirmare poteſt. Immo qui ſæpius obſeſſam direptámque à Nortmannis Lutetiam deſcribunt, & baſilicas quaſdam incenſas, ſeruatas alias denotant, nullam attingunt, quæ beati Mederici reliquias contineret.

III. Quo in loco Medericus ſepultus eſt, cellam B. Petri Apoſtoli fuiſſe tradunt Mederici ipſius acta, quæ Vincentius lib. XXVI. cap. XCII. refert: *Anno*, inquit, *Domini* DCCCCLXXXIV. *leuatum eſt Pariſiis corpus S. Mederici Abbatis ipſo die depoſitionis eius, ſcilicet* IV. *Calend. Septembris:* & poſt alia: *Denique Pariſios veniens* (Medericus) *in cellula, quæ ſub nomine Petri Apoſtoli fuerat conſecrata, duobus annis cum nouem menſibus Deo militauit, ac demum vocatis diſcipulis ſuis obitus ſui diem indicauit, in qua & expletis omnibus vale dicens eis inter verba orationis ad Deum migrauit* III. *Calend. Septembris.*

IV. Vtrum beati Mederici acta, quæ Vincentius narrat, multò antequam corpus illius leuaretur, vel tantùm poſtquam eſt leuatum, literis conſignata fuerint, Vincentius non dicit. Id tamen dictu foret obſeruatúque neceſſarium. Nam Mederici acta eſſent certiora, quæ ante annum DCCC. quàm quæ poſt annum DCCCC.

LXXXIV. memoriæ proderentur. Hoc autem cùm incertum ſit, certò pronunciare non poſſumus, cellam illam beato Petro ſacram, Mederici tumulum præceſſiſſe. Nam ſuper hunc tumulum, quandiu Medericus vindicatus non fuit, cella erigi beatóque Petro dedicari potuit. In his actis Medericus Abbas dicitur, in Vſuardo non dicitur, cui tamen ſoli cognitionem Mederici primam acceptam referimus. Mederico diſcipuli plures tribuuntur, quomodo Abbatibus tribui conſueuerunt. Sic beati Petri cella, quæ Mederici tumulo eſſet poſterior, in actis Mederici recèns conſcriptis vel reconcinnatis & interpolatis ſub annum DCCCCLXXXIV. prior diceretur. Hic eſt dubius & anceps rerum ſtatus, qui efficit, vt certi nihil ſuper hac re poſſit affirmari. Verùm ſine periculo erroris dici poteſt, ab anno Chriſti DCCCCLXXXIV. quò leuatum eſt Mederici corpus, beati Petri cella cœpit inclareſcere, & à Mederico nomen accepit, tum ædificiis nouis, curionio munere, & Canonicorum ſodalitio aucta fuit.

Ceterùm ad pronunciandi difficultatem illam, quæ ſemel atque iterum propoſita eſt, Vincentius ipſe Bellouacenſis, vt cumulus accedit. Hic auctor librorum, quibus vtitur, delectum penè nullum habet, & Sanctorum acta quælibet ſuis inſerit Commentariis quaſi prætermittere nihil ſtatuerit, quod non ſolùm veritate, ſed etiam fama niteretur. Amplectitur & cupidè deſcribit, ſiue quòd ſimplex ratio veritatis tulerit, ſiue quòd incertus rumor diſſeminarit.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

Eccleſia Sancti Stephani.

ANTE annum Chriſti DCCC. LVII. quo Nortmanni Lutetiam igne ferróque depopulati ſunt, in vrbe, vel in ſuburbiis fuiſſe Sancti Stephani Eccleſiam ex Bertinianis Annalibus conſtat: ſic autem loquuntur: *Dani Sequanæ inſiſtentes cuncta liberè vaſtant, Lutetiámque Pariſiorum aggreſſi baſilicam beati Petri & Sanctæ Genouefæ incendunt, & ceteras omnes præter domum Sancti Stephani & Eccleſiam Sancti Vincentij, prætérque Eccleſiam Sancti Dionyſij, pro quibus tantummodo ne incenderentur, multa ſolidorum ſumma ſoluta eſt.* Quæ verba repetit Chronicum de geſtis Nortmannorum in Francia. Abbo monachus Sancti Germani Pariſienſis lib. II. de bellis vrbis Pariſiacæ baſilicam eandem ſic attingit:

Hac virtute crucis ſancta victoria noſtris
Ceditur, & meritis Germani antiſtitis almi,
Quem reuehunt ad baſilicam Stephani quoque teſtis.
Gaudentes populi præcelſa voce boantes,
Voce Deum te laudamus, dominúmque fatemur.

Quo autem tempore domus illa ſeu Eccleſia beati Stephani erecta fuerit, ignotum eſt. Hanc occupaſſe partem Auſtralem ſuburbiorum coniicimus ex duabus Sancti Stephani baſilicis, quæ ibi reperiuntur; vna dicitur, *Sancti Stephani de Monte*, eáque baſilicam Sanctæ Genouefæ contingit: Altera *Sancti Stephani de Greſſibus*, quæ

paullò eſt remotior, quæque annos abhinc centum & quinquaginta plus minus proprium cognomen apud imperitum vulgus amiſit. Ab illo enim *Eccleſia S. Stephani de Gracis* dicitur, licèt in antiquis monimentis omnibus *Eccleſia S. Stephani de Greſſibus* vocetur. Quænam verò ſit illa, cuius Annales & Abbo meminerunt, an *Eccleſia S. Stephani de Monte*, vel *Eccleſia S. Stephani de Greſſibus*, vix affirmari poteſt. Crederem eſſe hanc, non illam, ſi quo modo illa nunc baſilicam S. Genouefæ contingit, tunc temporis contigiſſet. Nam Eccleſia S. Stephani de Monte perinde vt Sanctæ Genouefæ Eccleſia propter viciniam conflagraſſet. At baſilica Sancti Stephani quæ memoratur in Annalibus, ab omni vaſtitate liberata eſt. Ex rebus priſcis & obſcuris non quid ſemper volumus, ſed quid poſſumus expiſcamur. Qui rem acu tetigerit meus erit. ἀςόχημα metuo. εὐςόχημα quæro & amplector inuentum.

CAPVT XVII.

Eccleſia Sancti Germani cognomento Teretis, quæ nunc Autiſſiodorenſis dicitur.

ABBO, qui obſeſſam à Nortmannis Lutetiam duobus libris cecinit, hanc Eccleſiam ſemel atque iterum deſignat. Semel quidem lib. I.

Sole ſuos, inquit, *fuluo radios fundente ſub æthre*
Sorte Dionyſij luſtrant equidem recubantes

Digitized by Google

Machari, Sequanæ ripas & caſtra beatum
Germanum circa teretem componere vallis
Commixto lapidum cumulo, glebiſque laborant.

Iterum lib. II.

Conſpiciens Sigemfredus noſtros in agone
Eſſe feros, inquit ſociis: hanc linquite ſedem,
Hîc non ſtare diu noſtrum manet, hinc ſed abire.
Ergo ſuas vt Aïnricus ſeceſſit ad aulas,
Germani teretis contemnunt litora ſancti,
Æquinocique legunt, cuius factis bene veſcor,
Circumeunt caſtris æquor, ſed & vndique vallo
Clauditur, en Dominúſque meus quaſi carcere latro;
Ipſe nihil peccans murus circumdedit eius,
Eccleſiam noſtro celſam cogente reatu.

Hoc ſecundo loco loquitur de Germanis duobus, quorum quiſque ſuam habet Eccleſiam ab hoſtibus oppugnatam. Abbo dum ſe Germani vnius alumnum, & Germanum dominum ſuum prædicat, baſilicam ſeu monaſterium Sancti Germani Pratenſis oſtendit: dum verò contempta Sancti Germani teretis litora queritur, Germani alterius Eccleſiam quæ adiacet Sequanæ, demonſtrat. Præterea Germanum hunc cognominat teretem, quòd Eccleſia illius opinor tota, vel pars inſignior, campanile forſan teretem in modum efformaretur. Hæc autem Eccleſia deinceps ab vno è ſuis tutelaribus, *Autiſſiodorenſis* nuncupata eſt. Porro ante annum Chriſti DCCCLXXXVI. obſeſſæ vrbis æram ſtabat Eccleſia hæc. ſed quo primùm tempore ſtare cœperat, non inueni.

Ceterùm hac in Eccleſia, quæ Nortmannorum bellis euerſa penè fuerat, Robertus Fran-

corum Rex monaſterium extruxit, vt Helgaudus teſtatur in epitome vitæ Regis huius: *Robertus*, inquit, *fecit in ciuitate Pariſius Eccleſiam in honore Sancti Nicolai Pontificis in Palatio: Item monaſterium Sancti Germani Pariſiacenſis*, quod certè poſtea vel Epiſcoporum auctoritate, vel progreſſione temporis humana inſtituta corrumpentis in ſæcularium Canonicorum ſodalitium tranſiuit. Horum autem neutrum negari poteſt, niſi in vno Helgaudus falſi conuincatur, & in altero fides oculis noſtris detrahatur.

Hîc notare conuenit, Robertum Regem non feciſſe, vt Helgaudus loquitur, ſed refeciſſe illud monaſterium, ſi vera eſt quædam Caroli Calui charta, quæ in magno, vt aiunt, Paſtorali Eccleſiæ Pariſienſis aſſeruatur. Nam in ea fit mentio *monaſterij S. Germani, quod à priſcis temporibus Autiſſiodorenſis dicitur*. At monumentum vetus nullum reperitur, in quo titulus ille comparet. Deinde non eſt credibile, in ea Eccleſia tunc fuiſſe monachorum vel canonicorum monaſterium, cuius non meminiſſet Abbo. Hoc erat idoneum pangendi carminis argumentum, quod Poëta intactum non reliquiſſet. Tum ſi monaſterium vel Eccleſia hæc à priſcis temporibus Germani Autiſſiodorenſis dicebatur, Abbo cognomentum aliud illi non dediſſet, traditum à maioribus acceptúmque retinuiſſet. At cognomentum aliud dedit. Pòſt in hac charta de ponte in vrbe Luteria faciendo agitur, quæ res in Caroli capitulis inueniri deberet, non inuenitur. In Capitulo apud Attiniacum dato circa annum DCCCLIV. legitur num. IV. *De pontibus reſtau-*

Digitized by Google

randis, videlicet vt ſecundùm Capitularia aui & patris ſui, vbi antiquitus fuerunt, reficiantur ab his, qui honores illos tenent, de quibus ante pontes facti vel reſtaurati fuerunt. At Caroli capitulum nullum eſt, in quo pons Lutetiæ faciendus decernatur. Poſtremò charta hæc *data* dicitur *pridie Idus Iulij indictione tertia anno* XXII. *Caroli Regis.* hic annus XXII. Caroli incidit in annum Chriſti DCCCLXII. cui decima non tertia reſpondet indictio. Hæc eſt indicium falſitatis apertiſſimum. Deinde colligitur, chartam longo poſt Carolum tempore confectam eſſe, quo vera indictionis cum annis Caroli & Chriſti conſenſio ignorabatur, & Beatæ Mariæ Eccleſia frequentiùs, quàm ante annum XXII. Caroli Mater Eccleſia vocabatur, vti hac in charta vocatur.

Iam pluribus in locis ſermonem habui de baſilicis, quas Nortmanni cùm bellum gererent, vaſtarunt incendio,ſed vbi Chriſtianam amplexi ſunt religionem,ij ſeſe totos & animis & corporibus in ſalutem Eccleſiarum, in illas ditandas, in inſtauranda & fundanda monaſteria contulerunt. Robertus de Monte in ſuis ad Sigibertum acceſſionibus: *Anno igitur Dominicæ Incarnationis nongenteſimo duodecimo, benedicto fonte in nomine ſanctæ Trinitatis Rollo* (Nortmannorum Dux) *à Francone Archiepiſcopo Rothomagenſi baptizatus, quem Robertus Dux Francorum, à fonte excipiens ei ſuum nomen impoſuit. Rollo autem poſtquam baptizatus eſt, per ſeptem dies, quibus in albis manſit, Deum & ſanctam Eccleſiam deuotè datis muneribus honorauit. Nam primo die*

Digitized by Google

dedit terram permaximam Sanctæ Mariæ Rothomagi Eccleſiæ: Secundo, Sanctæ Mariæ Baiocenſi Eccleſiæ: Tertio, Sanctæ Mariæ Ebroicenſi Eccleſiæ: Quarto, ſancti Michaëlis Archangeli Eccleſiæ in periculo maris ſupra montem poſitæ: Quinto, ſancti Petri & ſancti Audoëni in ſuburbio Rothomagi Eccleſiæ: Sexto, ſancti Petri & ſancti Aichadri Gemeticenſis Eccleſiæ: Septimo, Brenneual cum omnibus appendiciis ſancto Dionyſio dedit: Octauo die expiationis eius veſtimentis caremonialibus exutus vrbis cœpit acquiſitam terram metiri, comitibúſque ſuis, & ceteris fidelibus ſuis largiri. Videntes autem pagani Ducem ſuum Chriſtianum eſſe, relictis idolis Chriſti nomen ſuſcipiunt, ac vnanimes ad baptiſmum conuolant, & exinde gens Nortmannorum Chriſto credens, fidei ſubacta eſt.

Deinde idem auctor tractatum inſtituit de monaſteriis, quæ Nortmanni vel inſtaurarunt, vel fundarunt, monaſteria numerat triginta octo. Gemeticenſe, Fiſcannum, S. Audoëni, & S. Michaëlis in monte Tumba, S. Vuandregiſili, Bernaium, S. Taurini, Villarienſe, Beccenſe, Ceraſienſe, S. Trinitatis & S. Stephani Cadomenſis, Vticenſe, S. Trinitatis ſiue S. Catharinæ, & S. Amandi Rothomagenſis, S. Leufredi, Conchenſe, Lirenſe, Cormelienſe, Pratellenſe, S. Vigoris Baiocenſis, Sagienſe, Troarnenſe, Almeniſcarum, S. Petri ſiue S. Mariæ Diuenſis, S. Petri Lexouienſis, Vlterioris-portus, S. Victoris Caletenſis, S. Saluatoris Ebroicenſis, Greſtennenſe, S. Seueri Conſtantienſis, Exaquienſe, S. Saluatoris Conſtantinienſis, Funtanetum, Monte-burgenſe, Ibreienſe, Louleien-

ſe. Hæc ille de monaſteriis ſeu inſtauratis, ſeu fundatis ab anno Chriſti DCCCCXII. ad annum M.C.L. quo floruit: innumerabilia ſunt fere diuerſorum Ordinum monaſteria, quæ viri pij deinceps per Nortmanniam vniuerſam fundarunt, atque ita *in manu artificum opera laudabuntur*, &, *arbor de fructu ſuo cognoſcetur, & erunt nouiſſimi primi.*

CAPVT XVIII.

Eccleſia B. Mariæ, quæ nunc Cathedralis eſt.

ABBO lib. I. hanc Eccleſiam ita deſcribit:

Hocce pius cernens Præſul, clara lacrymando
Voce vocat Domini Saluatoriſque parentem.
Alma Redemptoris genitrix, mundique ſalutis,
Stella maris fulgens cunctis præclarior aſtris,
Cede tuas precibus clemens aures rogitantis.
Si tibi me libeat miſſas vnquam celebrare,
Impius atque ferox, ſæuus, crudelis & atrox,
Captiuos perimens laqueo necis irretiatur.
Arce repente volans telum deferre ſategit
Antiſtes Gozlinus, huic quod flendo precatur,
Qui vinctos vinctus mortis demiſit habenis,
Atque miſer ſociis tendit clipeúmque pedémque,
Os ſoluit, virtute ruit, ſulcóſque repleuit,
Menſurans terram, ſpirans animam malè natam,
Captiuos iuxta tritos gladio nimis eius.
Vrbs in honore micat celſæ ſacrata Mariæ,
Auxilio cuius fruimur vita modò tuti,

Hinc indicibiles illi, ſi fortè valemus,
Reddamus grates, placidas reboemus & odas,
Vox excelſa tonet, laudéſque ſonet, quia dignum.
Pulcra parens ſalue Domini, Regina polorum
Noſtra nites altrix, orbis conſtat dominatrix,
Quæ ſæuis manibus Danûm gladióque minace,
Soluere Lutetiæ plebem dignata fuiſti.
Lutetiæque ſatis poteras conferre ſalutem,
Quæ lubrico Saluatorem coſmo genuiſti.

Hæc ille ſcriptor æqualis rei geſtæ, quam canit.

Flodoardus huius Eccleſiæ meminit in Chronico ad annum DCCCCXLV. *In pago Pariſiacenſi, necnon etiam per diuiſos circumquaque pagos hominum diuerſa membra ignis plaga peruaduntur, quæque ſenſim exuſta conſumebantur, donec mors tandem finiret ſupplicia. Quorum quidam nonnulla Sanctorum loca petentes euaſere tormenta. Plures tamen Pariſius in Eccleſia Sanctæ Dei genitricis Mariæ ſanati ſunt. Adeo vt quotquot illò peruenire potuerunt, aſſerantur ab hac peſte ſaluati. Quos Hugo quoque Dux ſtipendiis aluit quotidianis. Horum dum quidam vellent ad propria redire, extincto referueſcunt incendio, regreſſique ad Eccleſiam liberantur.* Hæc ille, qui ad annum DCCCCLXX floruit.

Ante annum DCCCLXXXVI. quo à Nortmannis obſeſſa eſt Lutetia, in hac vrbe extitit quidem Beatæ Mariæ Eccleſia, ſed quanto antè tempore extiterit, ex certis veterum monimentis, quæ ad nos peruenerint, pronunciari non poteſt, & ſi qua extitiſſet ſub prima Regum noſtrorum ſtirpe, mirum penitus videretur, cur

eam apud auctores omnes, quos iam notauimus, ſilentium obruiſſet. Cur Sancti Petri vel Sanctorum Apoſtolorum, cur Sancti Dionyſij, cur Sancti Vincentij, cur Sanctæ Crucis, cur Sanctorum Geruaſij & Protaſij, cur Sancti Laurentij, cur Sancti Iuliani martyris, cur Sanctæ Columbæ, cur Sancti Pauli, cur Sancti Martialis Eccleſia, cur Sancti Martini ædicula laudata eſſet, & ſola B. Mariæ Eccleſia incelebrata remanſiſſet? Hoc, inquam, mirum penitus videretur, ſi tunc fuiſſet aliqua Beatæ Mariæ Eccleſia, quam præſertim ſibi Cathedra Epiſcopalis vindicaſſet.

§. I.

Quæſita è Fortunati verſibus obiectio diluitur.

QVI hodierni ſtatus rerum præiudiciis occupatus diceret, Fortunatum lib. II. carm. XI. hanc indicaſſe Eccleſiam, eum ſibi, non veritati canere ſtatim reponerem, & mantiſſæ loco adiicerem, capiendum promiſcuè non eſſe tempus, quod Epheſinam Synodum, vbi contra Neſtorium ſuus Deiparæ honos fuit aſſertus, præceſſit & ſecutum eſt. Nam poſt Synodum hanc Cathedrales Eccleſiæ multò plures, quàm antè Beatæ Virgini dicatæ fuerunt: & reuera quæ Cathedrales ante Synodi tempus in Galliis Beatæ Mariæ titulum præ ſe tulerint, notare, & probare veterum teſtimonio non eſſet admodum facile. Fortunatus, de quo nunc eſt quæ-

Digitized by Google

ſtio, vagè ac diffusè loquitur, & cùm ita loquatur, ad Beatæ Mariæ Eccleſiam ſine vitioſa petitione principij flecti non poteſt. Ego quidem cap. IV. ad Eccleſiam Beati Dionyſij flexi, ſed cur flecterem, impulit me comparata ex variis circumſtantiis ratio, quam tamen paratus ſum abiicere, ſi melior, & ab antiqua traditione inſtructior offeratur.

§. II.

Quæſita ex Aimoino Floriacenſi obiectio diluitur.

NEQVE verò ſum neſcius Aimoinum Floriacenſem ea ſcribere, quæ mihi poſſint opponi. Sic enim lib. III. de geſtis Francorum ſcribit cap. LVII. *Interea Fredegundis Regina marito viduata ad baſilicam Pariſiacæ vrbis in honore Sanctæ Mariæ dicatam cum theſauris, quos ſecum habebat, ſe conferens à Ragnemodo ſuſcipitur Epiſcopo.* Aimoinus, qui ad annum Chriſti M. vixit, à ferendo de re tam antiqua teſtimonio ſine vetuſtiorum auctoritate, per ætatem prohibetur. Deinde Aimoini libros interpolatos fuiſſe docet noua eorum cum MSS. exemplaribus recenſio, quam Andreas Quercetanus elucubrauit. Hic enim ex iis libris cùm alia ſuſtulit, tum Childeberti Regis chartam, quæ inſerta fuerat, quò fidem apud vulgus maiorem acquireret. Verum quidem eſt in Quercetani editione verba quæ retulimus, haberi, ſed huius loci interpolatio potuit illi excidere. Tum quod rei

caput eſt, Aimoinus Gregorij Turonenſis orationem, quæ ad negotium hoc pertinet, refert & interpolat: ſic autem Gregorius oculatus teſtis lib. VII. loquitur cap. IV. *Interea Fredegundis Regina iam viduata Pariſius aduenit, & cum theſauris, quos intra maiorum ſepta concluſerat, ad Eccleſiam confugit, atque à Ragnemodo fouetur Epiſcopo.* Interpolationem de qua conquerimur, prodit mutua vtriuſque loci contentio: ſic res ad originem recenſita caducum efficit Aimoini pro eo tempore ſuffragium. Poſtremò Aimoinus potuit ex ſuo ſenſu Gregoriano textui addere, quæ addidit; qua enim ſcripſit ætate celebrem Pariſius fuiſſe Beatæ Mariæ Eccleſiam Flodoardus & Abbo demonſtrant. Verùm additio illa mihi vana eſt atque improbabilis, cùm Aimoinus non ſit auctor idoneus, à quo quæ prætermiſiſſet Gregorius, ſuppleri iure poſſint. Aimoinus enim non eſt æqualis Gregorio, vel tempore vicinus. Inter vtrumque intercedunt annis plùs minùs quadringenti.

Ceterùm ſi quam in Eccleſiam Regina illa cum theſauris ſuis confugit, ea neceſſariò nominanda foret, ego Eccleſiam B. Dionyſij Martyris nominarem. Hæc enim tunc erat celebris, cùm ob titulum ſuum, tum ob Dionyſij ſepulcrum, quod includebat. Ad illud ſepulcrum & reorum crimen, & innocentium probitas explorabatur, & frequentia miracula patrabantur. Hanc Eccleſiam Ragnemodus à quo ſuſcepta eſt Regina, gubernabat Epiſcopus: in illa diuinum perpetuò, vt vidimus, officium celebrabatur. Hæc autem omnia cùm ita ſeſe ha-

beant, in Dionyſij Eccleſiam tanquam in aſylum, in portum & præſidium ſalutis ſuæ quis tunc non confugiſſet? vel multos, vt ſibi conſulerent, olim non confugiſſe, quis modò iret inficias?

§. III.

Quæſita è vita Sancti Baboleni Abbatis obiectio diluitur.

AD hæc poſſet opponi vita Sancti Baboleni Abbatis, quem Chlodoueo II. Rege claruiſſe volunt. In hac autem vita ſic iniicitur mentio Eccleſiæ, quæ Beatæ Mariæ dicata erat: *Nec huic piget immittere paginæ, quis Epiſcopus tunc præſederit Pariſius Epiſcopali Cathedræ, cuiuſuis generis extiterit, aut quo vocatus nomine. Tunc temporis regebat Eccleſiam Pariſiacam vir venerandus Audobertus. Qui die quadam dum infra B. Mariæ baſilicam orandi cauſa oracula circuiret Sanctorum, repentè ante cuiuſdam Sancti aram reperit Sanctum Babolenum flentem & deprecantem Dominum.* Verùm quicumque monachus ſit auctor huius vitæ, is longo poſt Babolenum tempore floruit, & quam Beatæ Mariæ baſilicam tunc inuenit Lutetiæ, eam ad Baboleni ætatem tranſtulit. Et primò id conſtat ex verbis, quæ proximè ſequuntur: *Quem intuitus humillimo monachi habitu indutum, ſuſpicatus eſt eſſe Dei famulum, eúmque continuò ad ſe accerſiuit, & his verbis alloqui cœpit: vnde, pater hanc noſtram adiſti patriam, aut quo loco Deo cooperante mortalem tranſigis vitam? Cui vir ſanctus, mente vt*

Digitized by Google

erat humili, voce reſpondit ſupplici: ſciat Dei ſacer, tua caritas à tranſalpinis partibus me huc adueniſſe, ſancti verò patris Columbani edoctum doctrina & eruditione. Cauſa quoque peregrinandi veni ad hanc patriam, vt merear inuenire perpetuam. Tum ammiratus Præſul, tam ſapienti eloquio, inquit illi continuò: Si Chriſto iuuante, vt aſſeris, optas ducere laborem tuæ peregrinationis, obſecro. vt hîc inhabitare digneris, quo ſegetis tuæ fructus multorum proficiat animabus. Nam & ego ſum peregrinus à tranſmarinis huc deuolutus partibus, & Regis Angliæ nomine Choinuala perſecutionem cupiens euadere, Epiſcopatum vrbis reliqui propriæ, & hanc Francorum patriam cum labore adiui olim mihi incognitam. Sed minimè ſpreuit me gratia Dei, qui in ſe fidentibus conſueuit miſereri. Vt enim in manibus tenes, vt præ oculis hodie habes, mihi Francorum Regis Chlodouei ſubuenit clementia, & ſuper plebem Dominicam ipſius Domini me exaltauit miſericordia, vt qui quondam eram ignotus, & aduena, nunc paſtor huius vrbis factus ſim eius nutu & gratia. Inprimis Rex Angliæ nullus nomine Choinuala legitur apud Bedam, qui res Anglicanas illius temporis diligenter executus eſt. Deinde Choinuala Rex Angliæ ſimpliciter dicitur, perinde ac ſi tunc in Anglia tota Rex vnus extitiſſet. Quod à veritate alienum eſſe comperiet, qui Bedam euoluerit. Nam inueniet Reges Occidentalium Saxonum, Orientalium Saxonum, Cantiorum, Merciorum, Nordhumbrorum. Tum Epiſcopus, qui hîc loquitur, non *Audobertus*, ſed *Agilbertus* nominatur. Præterea hic Epiſcopus *Gallum* ſe fuiſſe dicit, tantùm abeſt,

eſt, vt *ignotus & aduena* fuerit. Bedæ verba ſunt è lib. III. Hiſt. cap. VII. *Defuncto autem Rege* (Occidentalium Saxonum) *ſucceſſit in regnum filius eius Cenvvalch, qui & fidem & ſacramenta regni cæleſtis ſuſcipere renuit, & non multò pòſt etiam regni terreſtris potentiam perdidit. Repudiata enim ſorore Pendam Regis Merciorum, quam duxerat, aliam accepit vxorem. Ideóque bello petitus ac regno priuatus ab illo ſeceſſit ad Regem Orientalium Anglorum, cui nomen erat Anna, apud quem triennio exulans fidem cognouit, ac ſuſcepit veritatem. Nam & ipſe apud quem exulabat, Rex erat vir bonus & bona ac ſancta ſobole felix, vt in ſequentibus docebimus: Cùm verò reſtitutus eſſet in regnum Cenvvalch, venit in prouinciam* (Occidentalium Saxonum) *de Hibernia Pontifex quidam nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, ſed tamen legendarum gratiâ Scripturarum in Hibernia non paruo tempore demoratus. Coniunxitque ſe Regi ſponte miniſterium prædicandi aſſumens, cuius eruditionem atque induſtriam videns Rex rogauit eum accepta ibi ſede Epiſcopali ſuæ gentis manere Pontificem. Qui precibus eius annuens multis annis eidem genti ſacerdotali iure præfuit. Tandem Rex, qui Saxonum linguam tantùm nouerat, pertæſus barbaræ loquelæ ſubintroduxit in prouinciam alium ſuæ gentis Epiſcopum vocabulo Vuini, & ipſum in Gallia ordinatum, diuidénſque in duas parochias prouinciam, huic in ciuitate Venta, quæ à gente Saxonum Vintaceſtir appellatur, Sedem Epiſcopalem tribuit. Vnde offenſus grauiter Agilbertus, quòd hoc ipſo inconſulto ageret Rex, rediit in Galliam, & accepto Epiſcopatu Pariſiacæ ciuitatis ibidem ſenex*

Digitized by Google

& plenus dierum obiit. Non multis autem annis poſt abſceſſum eius à Britannia tranſactis pulſus eſt Vuini ab eodem Rege de Epiſcopatu, qui ſecedens ad Regem Merciorum vocabulo Vulfheri emit pretio ab eodem ſedem Londoniæ ciuitatis, eiúſque Epiſcopus vſque ad vitæ ſuæ terminum manſit. Sicque prouincia Occidentalium Saxonum tempore non pauco abſque Præſule fuit. & poſt alia: *Miſit ergo* (Rex præfatæ ipſius gentis) *legatarios in Galliam ad Agilbertum ſubmiſſa illum ſatisfactione deprecans ad Epiſcopatum ſuæ gentis redire. At ille ſe excuſans, & eò venire non poſſe conteſtans, quia Epiſcopatu propriæ ciuitatis ac parochiæ teneretur adſtrictus.*

Tot autem & tanta flagitia, quibus Bedæ auctori probo & idoneo contradicitur, per ignorantiam & facere & dicere non potuiſſet ſcriptor Baboleno æqualis, vel tempore proximus.

Præterea illud idem conſtat ex aliis, quæ ſequuntur: *Illud verò priuilegium ſuæ manus conſcriptione corroborauit* (Audobertus) *ac fratribus & conſacerdotibus ſuis videlicet Epiſcopis, qui in Regis aula præſentes aderant, atque ad ſanctam Synodum euocati fuerant, confirmandam tradidit: Primus igitur idem Epiſcopus Andobertus, deinde Gaudericus Lugdunenſis, deinde Annobertus Senonenſis, Præſtelendus quoque Bituricenſis, deinde Donatus Beſentionenſis quatuor videlicet venerabiles Archiepiſcopi, ſepteno Epiſcoporum numero iuncto ſibi, quorum nomina vtique ſunt in eodem priuilegio ſcripta, ſed præpediente inertia minimè ſunt hîc inſerta.* Hîc notanda ſunt tria. Primum

Digitized by Google

eſt, inter antiqua Galliæ Concilia nullum reperiri, à quo priuilegium Baboleno aut Foſſatenſibus monachis concedatur: Alterum, veteres Eccleſiarum tabulas nullas eſſe, Synodos eſſe nullas, qui Gaudericum, Annobertum, & Præſtelendum Archiepiſcopos repræſentent: Tertium, in cauſa eſſe ſcriptorum inertiam, cur Epiſcoporum, qui priuilegio ſubſcripſerunt, nomina in eodem minimè compareant. Quæ nimia eſt cautio affectata ab impoſtore, qui cùm eſſet à Baboleno per ætatem remotiſſimus, in ſcribenda tamen Baboleni vita ſuam diligentiam fraudulenter probare voluit. Quis enim crederet auctorem æqualem Baboleno vel ſupparem expreſſa non habuiſſe nomina Epiſcoporum, qui priuilegio ſi quod eſſet ab eis conceſſum, ſubſcripſiſſent?

Denique recentioris auctoris calamum adhuc indicant, quæ ſequuntur: *Idem verò Leuita* (Blidegiſilus) *omnia priuilegia, quæ ab vrbe Roma fuerant delata, Cœnobiis Foſſatenſibus perpetuò commiſit habenda. Quæ per aui tempora illic ſeruantur cum diligentia.* Hæc poſtrema clauſula importat longam temporis ſucceſſionem, quæ à Baboleno ad auctorem vitæ illius defluxerit. Et ſanè hic auctor poſt ætatem Lupi Ferrarienſis Abbatis vixit. Huius enim tempore Foſſatenſes monachi æquè ac clerus Pariſienſis Epiſcopos elegerunt: quod immunes ab auctoritate Epiſcoporum monachi facere non ſolent. Sic autem illi pro electo Ænea ad Guenilonem & comprouinciales Epiſcopos ſcribunt apud Lupum epiſtola XCVIII. *Religioſiſſimis patribus &*

fratribus Guenilonі Metropolitano Senonicæ Sedis Antiſtiti, & vniuerſo Clero eius, & ceterarum Eccleſiarum præſentibus, quæ Diœceſi memoratæ ſedis cenſentur, cunctis in eis Domino famulantibus, Clerus matris Eccleſiæ Pariſiorum & fratres Cœnobij Sancti Dionyſij, & Sancti Germani, & beatæ Genouefæ, ac Foſſatenſis, diuerſorúmque monaſteriorum vnanimitas præſentem & futuram ſalutem.

§. IV.

Quæſita è charta Childeberti Regis obiectio diluitur.

In tablino Beatæ Mariæ Pariſienſis extat Childeberti Regis charta, vbi Beatæ Mariæ Eccleſia ſic memoratur: *Concedimus matri Eccleſiæ Pariſiacæ, quæ eſt ædificata in honore Sanctæ Mariæ Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu & Eccleſiæ Sanctorum Martyrum Stephani atque Vincentij, necnon & Apoſtolorum duodecim ac Reliquorum Sanctorum, quorum inibi pignora continentur.* At charta hæc manifeſtæ fraudis conuincitur. Nam data dicitur anno XVII. Childeberti, qui in annum Chriſti DXXVII. incurrit, quo tempore Pariſienſis Epiſcopus non erat Germanus, qui tamen in hac charta Pariſienſis Epiſcopus ſic habetur: *Igitur Apoſtolicus vir dominus & pater noſter Germanus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus nobis innotuit prædicatione ſua.* & poſt alia: *Ideo nos pro tam magna virtute, quam Dominus per manus ſacerdotis pro ſtabilitate regni noſtri & æterna retributione miniſtrauit, donamus*

Digitized by Google

ad ſanctam matrem Eccleſiam Pariſiacam, vbi iſta Dominus Germanus praeſſe videtur, hoc eſt ipſam villam Cellas nominatam, vbi ſanitatem recuperauimus, ſitam in pago Milidunenſe. Tunc autem Pariſienſis Epiſcopus erat Amelius, qui anno DXXXV. & Childeberti XXII. ſubſcripſit Aurelianenſi Concilio II. Præterea Germanus Pariſienſis creatus eſt Epiſcopus ad annum DLV. cui reſpondet Childeberti annus XLIV. quo poſito in charta anno DXXVII. & Childeberti XVII. ſcripta Germani Pariſienſis Epiſcopi mentio fieri non potuit. Denique neque Gregorius Turonenſis, neque maximè Fortunatus, qui B. Germani vitam ſcripſit, prætermiſiſſent inſigne miraculum illud, quo ſe à B. Germano ſanatum Childebertus aſſerit in hac charta. *Accidit etiam*, inquit, *vt quodam tempore dominus Pontifex inueniſſet nos in pago Milidunenſi in villa Cellas nominata graui ægritudine correptum, vnde multorum adhibita eſt medicorum corpori noſtro cura, ſed nullatenus aliquod veſtigium ſanitatis immittere potuerunt. Demum ipſe dominus ſacerdos ſola nocte vigilans in oratione ſtetit, & craſtino manuum ſuarum ſanctarum impoſitione tetigit corpus grauiter infirmatum, & continuò ſumpſit ſanitatis donum, quod à nullo percipere potui medicorum. Ideo nos pro tam magna virtute*, & cetera, quæ ſuprà retulimus. Porro charta hæc videtur confecta poſt Caroli Magni Imperium. Eo nempe tempore, quo Pariſienſem Eccleſiam, & B. Mariæ, & pluribus aliis Sanctis conſecratam dixerunt, cuius ſcilicet reliquias habuerunt.

Digitized by Google

§. V.

Charta Regis cuiuſdam Caroli diſpungitur.

HACTENVS de monimentis ſingulis, quæ ad primam Regum ſobolem pertinere quoquo modo viſa ſunt, dixi & dilui. Nunc reſtat, vt certas quaſdam chartas alias Childeberti chartæ ſimiles diſpungam: non quòd inficier eo tempore, quo ſcriptæ circumferuntur, Pariſiis fuiſſe Beatæ Mariæ Eccleſiam, ſed quòd falſæ ſint, ac proinde ad rei huius probationem inutiles. Ex his autem chartis hæc ſe primùm obiicit: *Carolus Dei gratia Francorum Rex, & Longobardorum, & Patricius Romanorum omnibus fidelibus noſtris.* & poſt alia: *Ideòque dum pluribus habetur pracognitum, qualibet Eccleſia Pariſiaca, qua eſt ædificata in honore Sancta Maria Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctorum Stephani Protomartyris, Dionyſij, Germani, Marcelli, vel ſancti Clodoaldi, vel cæterorum Dominorum, quorum pignora in ipſa vrbe, vel in ipſa Eccleſia Pariſiaca adunata requieſcunt, vbi praeſt Ercanradus, in ipſa plebe Epiſcopus, petiit,* ſcilicet immunitatem in villis ſuis, quæ poſtea recenſentur. In his autem verbis notanda ſunt tria, quorum duo inter ſe collata chartæ iſtius adulterium oſtendunt: vnum eſt titulus hic, *Carolus Dei gratia Francorum Rex, & Longobardorum, & Patricius Romanorum,* qui Carolo Magno Regi proprius eſt. Sic enim pluribus in literis, quas habet codex Carolinus, ſeſe inſcribit; *Carolus Dei gratia Rex Francorum,*

Digitized by Google

& Longobardorum, ac Patricius Romanorum Bamgulfo Abbati ſalutem. Quinetiam Hadrianus Papa primus ad Carolum quoque ita inſignitè ſcribit: *Domino excellentiſſimo filio Carolo Regi Francorum, atque Longobardorum, atque Patricio Romanorum. Hadrianus Papa.* Alterum, Ercanradus Pariſiorum Epiſcopus, qui non Carolo Magno, ſed Ludouico Pio & Carolo Caluo regnantibus Pariſienſi Eccleſiæ præſedit. Ercanradus Theodoniſuillæ Concilio, quod anno DCCCXXXV. Bellouacenſi, quod anno DCCCXLV. & Sueſſionenſi, quod anno DCCCLIII. celebratum eſt, interfuit, & anno eodem vitam depoſuit. At titulus ille in Carolum Caluum, neque quadrat, neque ex rei veritate quadrare poteſt. Carolus hic nunquam eo titulo vtitur, neque quiſquam ad eum ſub eo titulo ſcribit. Ercanradus verò Pariſienſi Eccleſiæ, neque præfuit, neque præeſſe potuit, quo tempore Carolus Magnus ſe Francorum & Longobardorum Regem, ac Patricium Romanorum inſcripſit. Deinde inter eos, qui chartæ huic ſubſcribunt, primus numeratur Ebbo Remenſis Archiepiſcopus, qui poſt mortem Caroli Magni creatus eſt Archiepiſcopus, vt ex Frodoardo conſtat lib. II. Remenſis Hiſt. cap. XVIII. & XIX. Tum eidem chartæ Rothadus Sueſſionenſis Epiſcopus, qui Carolo Magno viuente factus non eſt Epiſcopus, ſubſcribit. Poſtremò annus Chriſti agebatur octingenteſimus quadrageſimus, cùm hinc Carolus Caluus regnum Galliæ capeſſit, inde Ebbo reſtituitur à Lothario Imperatore. Sed Ercanradus, qui depoſitioni Ebbonis in Concilio

Theodoniſuillæ ſubſcripſerat, qui Ebbonis reſtitutionem in Concilio Sueſſionenſi damnauerat, ab illo tanquam ab Remenſi Archiepiſcopo ſubſcribi chartę ſuæ nunquam voluiſſet. Sueſſionenſe Concilium de Ebbone ſic loquitur act. 11. *Et quia idem Ebbo reſtitutus canonicè non fuerat, inſuper & ab Apoſtolica Sede, ſicut in geſtis Pontificum coram Principe relectum eſt, à Sergio Papa confirmante deiectionem illius damnatus extitit, vt in laïca tantùm communione permaneret.* Hæc autem omnia cùm ita ſint, neceſſariò contingit, vt charta, quæ pugnantia illa duo continet, non poſſit non eſſe adulterina. Prætereo cetera, quibus confirmaretur chartæ ſuppoſitio, ſed quæ notauimus, abundè ſufficiunt.

Tertium conſiſtit in eo, quòd Pariſienſis Eccleſia Beatæ Mariæ, & Sanctis Stephano, Dionyſio, Germano, Marcello, Clodoaldo, & aliis quorum exuuias habet, conſecrata dicatur. Hic loquendi modus chartæ ad illam ætatem pertinet, qua tot Sanctorum reliquiæ in Beatæ Mariæ Eccleſia repertæ fuerunt, ſed ætas illa incerta eſt, & ab Ercanrado remota. Certum tamen videtur, eum, qui chartam ſuppoſuit, tot Sanctorum reliquias in vnum collectas eo deſcripſiſſe conſilio, vt datæ immunitati auctoritas maior conciliaretur.

Digitized by Google

§. VI.

Æneæ Pariſienſis Epiſcopi charta diſpungitur.

Ex armario Eccleſiæ Sancti Mauri Foſſatenſis prodiit charta, quæ ſic ſe habet :

Ego Æneas Pariſienſis Epiſcopus notum facio cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis, præſentibus ſcilicet & futuris. Quòd anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXVIII. *indict.* I. *iuſſu ſereniſſimi Caroli Regis ad Foſſatenſem (ob recipiendum corpus beati Leuitæ Mauri) accedens Abbatiam, dum à propriis ſacram præfati Sancti depoſui humeris ſuper beatorum Apoſtolorum altare glebam, conceſſi eidem Eccleſiæ annuentibus cunctis Archidiaconibus & clericis noſtris, qui vnà mecum illic aderant, in ſede noſtri Epiſcopatus, in Eccleſia videlicet Beatæ Dei genitricis Mariæ, perpetuò præbendam integram*. & cetera.

Ad annum Chriſti DCCCLXVIII. quo charta hæc ſcripta dicitur, nomen præbendæ nondum erat communi vſu Eccleſiæ receptum, quo modo charta repræſentat. Id nomen in tali ſignificatu vſurpatum neque in Capitulis Caroli Magni & Ludouici Pij, neque in Capitulis Caroli Calui, neque in Galliæ Conciliis, quæ ad illud vſque tempus celebrata ſunt, habetur. Deinde, ſi hocce anno is erat Eccleſiæ Beatæ Mariæ ſtatus, qui fuit ad annum DCCCCXI. veriſimile non eſt, Æneam Foſſatenſibus monachis præbendam integram dediſſe: Nam ſi vera eſt charta Caroli Simplicis, quæ anno DCCCCXI. data le-

gitur, clerici Eccleſiæ Beatæ Mariæ regularem vitam agebant: Chartæ verba ſunt: *Carolus diuina propitiante clementia Rex. Theodulfus Pariſiacenſis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis Epiſcopus humiliter deprecatus eſt, quatenus fratribus eiuſdem Eccleſiæ inibi Deo famulantibus ex clauſtro eorum hoc noſtræ auctoritatis præceptum fieri iuberemus, ita vt illud ſine vllius Epiſcopi, aut cuiuſlibet perſonæ inquietudine, ſicuti ab priſcis temporibus ad cohabitandum eis pro obſeruando licentiùs ſuæ religionis propoſito conceſſum eſt, perpetim ſimul poſſidere valerent, atque cohabitationes domorum ſuarum inibi conſtructas, immo etiam in poſterum conſtruendas abſque alicuius calumnia iugiter quietè obtinere poſſent.* & poſt alia: *Placuit ſerenitati noſtræ eiuſdem Epiſcopi Theodulfi adquieſcere poſtulationibus, & munificentia noſtra præcepto concedimus eiſdem fratribus Sanctæ Mariæ, vt prædictum clauſtrum illorum, tam ipſi, quàm ſucceſſores ipſo Domino ſeruientium ab hodierna die & deinceps abſque alicuius ſenioris, vel vllius hominis impulſione ſimul cum domibus ſuis intrà & extrà exiſtentibus indeſinenter, liberè ac quietè poſſideant.* Hæc autem, *Fratres Beatæ Mariæ, clauſtrum fratrum Beatæ Mariæ, propoſitum religionis ſuæ,* ad eos pertinent clericos, qui regularem vitam agunt. Hoc igitur poſito, veriſimile, inquam, non eſt, Æneam Foſſatenſibus monachis præbendam integram dediſſe. Id eſt, feciſſe, vt monachi præbendas haberent in Eccleſiis, quibus clerici regulares deſeruiunt. In rebus iſtiuſmodi nec monachi cum clericis regularibus, nec clerici regulares cum monachis facilè confunduntur.

Digitized by Google

Præterea difficile eſt ante annum DCCCLXVIII. in Pariſienſi Eccleſia plures ſimul Archidiaconos inuenire. Apud Gregorium Turonenſem & poſteriores quoſdam alios ſcriptores vnus tantùm Archidiaconus comparet, qui Pariſienſis vel Pariſiacæ Eccleſiæ Archidiaconus ſimpliciter vocatur. Quod ita factum fuiſſe non videtur, ſi tunc tot fuiſſent in Eccleſia Pariſienſi Archidiaconi, quot Æneæ charta præ ſe fert. Quare Archidiaconorum in hac Eccleſia multitudo Æneæ ætate poſterior eſt. Tum ſi anno DCCCLXVIII. is erat Eccleſiæ B. Mariæ ſtatus, qui fuit Lothario & eius filio Ludouico regnantibus, in charta Æneæ tot Archidiaconi vix inuenirentur. Nam in Regum illorum charta, quæ ex Eccleſiæ B. Mariæ armario prodiit, alius eſt huius Eccleſiæ conſpectus, vt chartæ verba docent: *Quam* (villam) *idem prælibatus Præſul Eliſiardus amore Dei ductus, tam à ſuo, quàm à ſucceſſorum ſuorum dominio auferens in fratrum Sanctæ Mariæ præfatæ ſedis delegauit vſus, per hoc regale preceptum ſtabili iure eis concederemus: præterea humiliter exorantes petierunt, vt pro diuino intuitu, & pro ipſius congregationis cauenda neceſſitate auorum noſtrorum præcepta Regum ex ſtipendiis ipſorum fratrum, quæ in membranulis vetuſtiſſimis continebantur inſerta, in huius corpore præcepti breuiter accumulata regali auctoritate confirmaremus ad integrum. Ob firmitatem tamen religionis petiit memoratus Eliſiardus Epiſcopus, vt & clauſtrum congregationis ipſius dominio ſine ſua ſuorúmque ſucceſſorum vexatione nullo contradicente, ſtipendiis perpetualiter attribuit ipſorum fratrum,* & cetera. *Ex ſemetipſis ſem-*

per per communem omnium aſſenſum eligentes Præpoſitum & Decanum, qui & eorumdem prouideant villis, & debita ſtipendia fratribus fideliter adminiſtrent. Hîc Archidiaconorum mentio nulla eſt, ſed Præpoſiti & Decani, qui à fratribus Beatæ Mariæ communi aſſenſu omnium eligantur. Illud autem non perinde obſeruo, quaſi velim nullos ſub Ænea Archidiaconos fuiſſe in Pariſienſi Eccleſia, ſed vt oſtendam eorum à Regibus in ſua charta, modò vera ſit, factam eſſe mentionem, ſiquo in numero ſub Ænea fuerint, ſub Eliſiardo fuiſſent.

Ego non ſine cauſa dixi, modò vera ſit charta Regum Lotharij & Ludouici filij. Nam Eliſiardus aliter loquitur in Benedicti Papæ bulla, quæ extat in tabulario Eccleſiæ Pariſienſis: *Benedictus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei.* & poſt alia; *Noſcat igitur veſtræ excellentia laudabilis manſuetudo, quòd Eliſiardus Pariſiacæ ſedis Epiſcopus adiens limina Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ inſtantia oſtendens regalia præcepta, quæ pro remedio animarum ſuarum, necnon & Anteceſſorum noſtrorum priuilegia Eccleſiæ Beatæ Dei genitricis Mariæ, & Sancti Protomartyris Stephani præfati loci firma conſcriptione tradiderunt.* & poſt alia: *Si quis autem, quod non optamus hæc, quæ à nobis ad honorificentiam Sanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis, Protomartyris Stephani, ceterorúmque Sanctorum, qui ibi venerantur, pro ipſius ſtabilitate Epiſcopatus ſtatuta ſunt, tranſgredi auſu temerario præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum.* Eliſiardus in charta Regum loquitur de fratribus Sanctæ Mariæ, de congregatione fratrum Beatæ Mariæ, de

Clauſtro congregationis fratrum, de Præpoſito & Decano fratrum. In bulla verò Benedicti, ſi vera quoque ſit, nunc de Eccleſia Beatæ Mariæ & Sancti Stephani: nunc de Eccleſia Beatæ Mariæ & Sancti Stephani,& ceterorum Sanctorum, qui in ea coluntur,ſermonem inſtituit. Profectò hæc monumenta omnia quæ hoc paragrapho recenſui, & Childeberti charta, cuius fragmentum retuli paragrapho IV. mutuis ſe conflictibus euertunt. Apollo mihi magnus erit, qui conciliet in omnibus, ſi præſertim conſiderentur, quæ ad patronos & tutelares Pariſienſis Eccleſiæ ſpectant. Præterea, quæ de chartis iſtis omnibus diſſerui, velut ad hominem diſſerui, ad eum ſcilicet, qui chartas iſtas omnes tanquam veras in ſe reciperet. Neque enim ſimpliciter præcido, Foſſatenſes monachos habere, vel pridem habuiſſe præbendam in Pariſienſi Eccleſia, ſed præcido tantùm id Æneæ charta rectè probari, ſi charta hæc cum nominatis à me chartis reliquis contendatur. Fuit aliud tempus commodum,quo & Monachi & Clerici regulares Sancti Auguſtini præbendas in Eccleſia illa, & habuerunt,& habere potuerunt. Cùm ſcilicet clerici huius Eccleſiæ regularem vitam exuerunt, cùm de communi viuere in communi deſierunt, cùm ſinguli ſuas poſſidere præbendas cœperunt, cùm ſingulares ſeu ſæculares canonici fuerunt. Tunc enim Epiſcopus, & iſti canonici præbenda vna, vel altera, vel etiam pluribus in monachos&regulares clericos tranſſcriptis vitæ prioris mutationem redemerunt, aut compenſarunt. Vnicuique rei ſua conſtat

aliquando veritas, dum annorum vices & detrimenta temporum conſiderantur.

§. VII.

NVNC tempus eſt, vt caput noſtrum XVII. quo Beatæ Mariæ Eccleſia Pariſiis aſſeritur, concludamus. ſic autem imus concluſum.

I. In prima Francicorum Regum ſtirpe nullus auctor, nulla vera & certa rei Eccleſiaſticæ monumenta faciunt mentionem vllam Eccleſiæ, quæ Pariſiis Beatæ Mariæ Virgini conſecretur, & in qua ſedes Epiſcopi collocetur. Hanc inficialem coniecturam ſuſtinet ea diſſertatio, quam aliàs de auctoritate negantis argumenti lucubrauimus.

II. In prima Francicorum Regum ſtirpe quin Eccleſia fuerit, in qua ſedes Epiſcopi ſtatueretur, dubitari non poteſt. quænam autem Eccleſia illa fuerit, & quonam modo & tempore fuerit, cap. I. & IV. demonſtratum eſt.

III. A tempore Pippini Regis, qui ſecundæ Francicorum Regum ſtirpis caput fuit, baſilica Deiparæ ſacra Lutetiæ excitata eſt, ſed quæ non ſtatim in Epiſcopi ſedem euaſerit.

IV. Difficile omnino eſt, ne dicam ἀδύνατον deſignare Regem, ſub quo primùm Beatæ Mariæ Eccleſia hæc, Pariſienſis Eccleſia dici ſimpliciter & abſolutè cœperit, ſeu Epiſcopi ſedes habita fuerit. Abbo & Frodoardus homines ampliſſimi de Eccleſia quidem Beatæ Mariæ teſtimonium dicunt, ſed eam fuiſſe Cathedralem ſeu Epiſcopalem non apertè pronuntiant.

Digitized by Google

v. Sub finem ſecundæ Francicorum Regum ſtirpis id factum fuiſſe vt credam, multa me impellunt, & primò quidem imminutus ſplendor baſilicæ Dionyſij Martyris, quæ tunc obſcurari cœpit, cùm refoſſum eſt illius ſepulcrum, & tranſlatæ aliò reliquiæ. Deinde celebritas illa maxima, quæ anno DCCCCXLV. huic Eccleſiæ ob certam letalis morbi curationem acceſſit, eò plurimùm conduxit, vt quæ Beatæ Mariæ Eccleſia nuper in Epiſcopi ſedem aſſerta fuerat, magis aſſereretur ac magis, vel vt breui aſſereretur. Flodoardus, qui rem miraculis plenam deſcribit, ad momentum iſtud perſuaſionis me facilè adducit. Tum chartæ ſeu monumenta illius temporis ſeu vera, ſeu falſa certam quandam præ ſe ferunt affectationem, qua Æneas Pariſienſis Epiſcopus Beatæ Mariæ Eccleſiam Epiſcopatus ſui ſedem eſſe dicit, qua Anſchericus *Sanctæ Mariæ urbis Pariſiacæ Epiſcopus*, qua Theodulfus *Pariſiacenſis Eccleſiæ S. Mariæ perpetuæ Virginis Epiſcopus*, qua Eliſiardus *Sanctæ Mariæ Pariſienſis ſedis Epiſcopus*, qua Rainaldus *Sanctæ Mariæ Pariſiacæ ſedis Epiſcopus*, inſignitur. In antiquioribus Epiſcoporum commentariis, vel Conciliorum ſubſcriptionibus appellatio nulla talis reperitur. Poſt initium tertiæ Francicorum Regum ſtirpis Pariſienſes Epiſcopi ſimilem titulum aſſumere deſtiterunt. Quapropter nimia affectatio illa, quam inſolens titulus obiicit, continuò ſedis nouitatem importat. Immo verò ipſa ſedis nouitas fecit, vt titulus repeteretur, infigeretur, inculcaretur. At poſtquam inculcatus eſt, qui ſecuti ſunt Antiſtites,

Digitized by Google

intermiſſum veterem titulum reſumpſerunt. Denique perſuaſionem adiuuat clericorum ſeu canonicorum ſodalitij, quam olim habuit baſilica Sancti Dionyſij, cum Eccleſia Beatæ Mariæ coniunctio: Cuius quidem probabilis nulla reddi poteſt ratio, niſi quòd Dionyſij ſodalitium vetuſtius ac proinde factum obſoletius in recentiorem & illuſtriorem B. Mariæ Eccleſiam tranſierit. Profectò gratìs & temere fingeretur, poſt ædificatam Mariæ Virginis Eccleſiam in baſilica S. Dionyſij Clericorum inſtitutum fuiſſe collegium, quod poſtea in eandem Beatæ Mariæ Eccleſiam migraſſet. In hac ratione Dionyſiani collegij priſtinam in collegium Beatæ Mariæ migrationem attendo, non poſteriora tempora, quæ migrationis huius faciem & titulos ſuis vicibus deformarunt, neque etiam rerum præſentium ſtatum, qui alius atque alius eſſe poteſt, prout potentior debiliori & minùs potenti legem conſtituit. Illuſtriorem dico Eccleſiam, cùm propter miracula, quæ ad annum DCCCCXLV. inibi patrata ſunt, tum propter Stephani, Dionyſij, Marcelli, Germani, Clodoaldi, & aliorum Sanctorum reliquias, quæ Beatæ Mariæ Eccleſiam præ ceteris nobilitarunt. *Sic igitur* è duabus vicinis ædibus, quæ primaria ciuitatis olim fuerat, primaria eſſe deſiit, & quæ primaria non fuerat, cœpit eſſe primaria.

Hæc porro baſilica, quæ mutationis iſtius gloriam & dignitatem acquiſiuit, eum occupabat locum, vbi aliam ſtupendæ magnitudinis iſtiuſmodi, quam admiramur æquè ac cernimus, ſacerdos vnus ædificare eſt auſus: vt Robertus de Monte

teſtatur

teſtatur in appendice veteri ad Chronologiam Sigeberti: *Mauricius Epiſc. Pariſienſis iam diu eſt, quòd multùm laborat & perficit in ædificatione Eccleſiæ prædictæ ciuitatis, cuius caput iam perfectum eſt, excepto maiori tectorio. Quod opus ſi perfectum fuerit, non erit opus citra montes, cui apertè debeat comparari.* Hæc ille ad annum M. CLXXVII. Non multò pòſt claruit Cæſarius Heiſterbachenſis, qui lib. II. Hiſtor. memorabilium cap. XXXIV. Mauricium *in ædificatione Eccleſiæ Beatæ Mariæ nimis feruentem* fuiſſe ſcribit. Vtrique Robertus Autiſſiodorenſis monachus accedit in Chronico ad annum M. CLXXV. *Floret Mauricius Pariſienſis Epiſcopus, qui ob induſtriam ac literaturam eximiam, & diſertitudinem linguæ præcipuam de infimo magnæ paupertatis ad Pontificalis demum euectus eſt apicem dignitatis. Hic inter præclara opera ſua, Eccleſiam, cui præerat, à fundamentis exſtruxit, duóſque pontes lapideos condidit, alterum ſuper Sequanam, alterum ſuper Matronam.*

Porro ſacerdotem vnum auſum eſſe dixi iacere fundamenta ædificij, quod ab iis, qui rem neſcirent, multorum Regum & Principum opus eſſe iudicaretur. Nonnunquam generoſa pietas id perficit, quod ſublimis quædam poteſtas inchoare dubitaret.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Eccleſia Sancti Maglorij.

HVGO Hugonis Capeti pater, qui Magnus Francorum Dux & Pariſiorum Comes dicitur, Sancti Maglorij Eccleſiam ſeu monaſterium à fundamentis excitauit. Id Helgaudus monachus teſtatur in epitome vitæ Roberti Regis: *Huius igitur inclyti Regis auus Hugo pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus, monaſterium Sancti Maglorij Confeſſoris Chriſti in ciuitate Pariſius ſimul cum filio conſtruens nobiliter monachos ſub regula patris Benedicti viuere paratos ibi collocat.*

CAPVT XX.

Eccleſia Beati Seuerini.

QVANQVAM exploratum mihi non ſuppetit teſtimonium, quo B. Seuerini baſilicam ante annos abhinc ſexcentos & ſexaginta excitatum eſſe probem, hanc tamen præceſſiſſe illud tempus veriſimiliter admodum coniicio. Seuerinus imperante Carolo Magno inuenitur vindicatus ab Vſuardo, qui natalem illius conſignat IX. Calend. Decembris: *Pariſius depoſitio S. Seuerini monachi & ſolitarij.* Qua verò ætate & quibus regibus claruerit, antiquiora Carolo

Digitized by Google

monumenta nulla, quæ ad nos peruenerint, declarant. Recentiora hoc ipſo reiicio, nec audio. Igitur Chriſtiani Seuerino, quem Sanctum eſſe nouerant, cellam quandam pro more vel Oratorium exſtruxerunt, nec pium opus hoc in multa ſæcula diſtulerunt. Chriſtianos porro cellam ibi ædificaſſe, vbi Seuerinus vixerat ſolitarius, dubitare vix licet. Ex hac cella vel Oratorio æui progreſſione ingens facta eſt Eccleſia quæ nunc conſpicitur. Huic loco ante annos plus minùs quingentos Pariſienſes Magiſtri celebritatis plurimùm dederunt. Iacobus Vitriacus, qui ad annum M. CCXX. floruit, id teſtatur in Occidentalis Hiſt. capite VIII. *Venerabilis autem & prudens magiſter* (Petrus Cantor) *eius zelum & feruorem diſcipuli ſui pauperis & illiterati ſacerdotis* (Fulconis) *attendens, & fidem illius & deuotionem charitatis viſceribus amplectens in præſentia ſua coram multis & literatis ſcholaribus Pariſiis in Eccleſia Sancti Seuerini compulit prædicare. Dominus autem nouo militi ſuo tantam dedit gratiam & virtutem, quòd magiſter eius & alij qui audierunt admirantes, Spiritum ſanctum in ipſo, & per ipſum loqui teſtarentur, & exinde alij tam Doctores, quàm diſcipuli ad eius rudem & ſimplicem prædicationem concurrebant.*

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Eccleſia Sancti Chriſtophori.

EXEVNTE anno milleſimo nonageſimo ſeptimo recentem non eſſe beati Chriſtophori baſilicam Guillelmus Pariſiorum Epiſcopus ſignificat in literis, quæ in Paſtorali, vt aiunt, libro Pariſienſis Eccleſiæ deſcribuntur. Quæ ad propoſitum faciunt, verba ſic ſe habent: *Ego igitur Guillelmus Dei miſericordia Pariſiorum Epiſcopus ante mentis oculos diem illum reducens, & periculum animæ meæ accuſante conſcientia metuens, Canonicis Beatæ Mariæ quandam Eccleſiam infra muros ciuitatis Pariſij ſitam, & in honore beati Chriſtophori martyris Deo conſecratam, precibus noſtrorum amicorum, & aſſenſu Domni Vulgrini eiuſdem ciuitatis Archidiaconi liberam & quietam Epiſcopali auctoritate concedimus, & quidquid in ea iuris obtinuimus, perpetuò eis habendum donamus. Actum Pariſius in Capitulo Sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione* M.XCVII. Quo autem tempore baſilica hæc primùm ædificata eſt neſcio, ſed ſcio Lutetiæ ſub primis Chriſtianis Regibus in honorem Sancti Chriſtophori æquè potuiſſe baſilicam exſtrui, ac monaſterium in Sicilia, cuius ita meminit Gregorius Magnus in libri VIII. epiſt. XXXIII. ad Secundinum Taurominitanum Epiſcopum: *Scripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, in quibus indicaſtis reuerendiſſimum fratrem noſtrum Marcianum Locrenſis ciuitatis Epiſcopum*

aliter nobis de cauſa Eccleſiæ contra monaſterium Sancti Chriſtophori, quod in veſtra Diœceſi eſt conſtitutum, intimaſſ.

Romanum vetus Martyrologium, quod Roſuueydus edidit, VIII. Calend. Auguſti: *Ciuitate Samo, Chriſtophori martyris.* In S. Theodori Archimandritæ Sicenſium vita, quæ laudatur in Synodi VII. actione IV. *Oratorium S. Chriſtophori* legitur. Ex his igitur perſonam S. Chriſtophori martyris præſto, ſed non præſto acta illius, quia deprauata ſunt, nec inuſitatam corporis molem, qua giganteum in modum humeris Chriſtum ſuſtinens efformatur. Sancti ſunt quidam & veri homines, quibus apocrypha vita nonnunquam adſcribitur.

CAPVT XXII.

Eccleſia Sancti Benedicti.

ANNI iam ſunt propemodum quingenti, cùm inter Eccleſiæ huius Parochum & Canonicos excitata eſt diſcordia: Stephanus monaſterij Sanctæ Genouefæ Abbas, qui poſtea factus eſt Tornacenſis Epiſcopus, vt illa ſedaretur à Pontifice, curauit. Eam ob cauſam ad illum ſcripſit epiſtolam, quæ ſic ſe habet: *Antiquas Eccleſiarum conſuetudines, quæ nec rationi, nec legi obuiant, Sancta Romana Eccleſia aut approbare conſueuit, aut non cenſuit improbare. Ea confidentia ductus ad miſericordiæ veſtræ ſinum recurrit deuotus filius veſter Sy. Capellanus Sancti Bene-*

Digitized by Google

dicti, qui à quibuſdam eiuſdem Eccleſiæ Canonicis inquietatur, vt contra conſuetudinem antiquam, tam ſuis, quàm prædeceſſorum ſuorum temporibus obſeruatam, ab altari, in quo parochialia diuina hactenus populo celebrata ſunt officia, recedat, & altare nouum in aliquo Eccleſiæ ipſius angulo erigere compellatur. Eccleſia illius forma diſſimilis & diſſidens ab aliis Eccleſiis, à parte Sanctuarij reſpicit Occidentem, ab introitu Orientem: nec permittit in alio loco conuenienter officia parochialia celebrari, quàm in eo, quo priſcis diebus vſque ad tempora noſtra priores celebrarunt. Placeat ſanctitati veſtræ, ſi condignum vobis fuerit, vt obſeruetur conſuetudo, quæ hactenus inualuit ſacrificia pro populo offerendi, maximè cùm non officiat officiis clericorum, cùm aliis horis ſua celebrent diuina officia, aliis Capellanus parochialia conficiat ſacramenta. Hanc epiſtolam quò attentiùs conſidero, eò faciliùs adducor vt minimè credam, beati Benedicti Eccleſiam poſt annum Chriſti milleſimum iam tum primùm ædificatam eſſe. Mihi tamen occurrit nihil, quo certa illius origo narretur.

Ioannes Maior Pariſienſis Theologus, qui ad annum Chriſti M.DXXIX. commentarios in Euangelia quatuor edidit, in caput XIII. Marci de hac Eccleſia illud obſeruat: *Delubrum Sancti Benedicti in Academia Pariſienſi ſitum anno* XLI. *à paſſione Domini in laudem Trinitatis erectum dicitur, duro marmore cælo inſculptum pro illius foribus hoc ipſum contemplamur.* Inſcriptio hæc ortum habet ex Dionyſij miſſione, quam nonnulli circa Caroli Magni tempus ad Clementem reuocauerunt. Et quia templum anno

à paſſione Domini quadrageſimo primò erectum dicitur, Clementem Petri ſucceſſorem proximum fecerunt. Nam in Annalibus Eccleſiæ annus à paſſione XLI. in annum IV. Lini Papæ incidit, & hic eſt annus Chriſti LXV. quo erectum in honorem Trinitatis templum ponitur. At ſine dubio falſa eſt inſcriptio, non ſolùm quia miſſus non eſt à Clemente Dionyſius, nec tunc Chriſtianis liberum fuit baſilicas graſſantibus tyrannis exſtruere, ſed etiam quia paullò ſeriùs mos obtinuit vt baſilicæ in honorem Trinitatis exſtruerentur. Quare titulus hic apud antiquitatis Eccleſiaſticæ peritos manifeſtam falſitatem importat: Argumentum tamen coniiciendi præbet, ſat vetuſtam eſſe beati Benedicti Eccleſiam, & niſi Hugonis Capeti tempus antecedit, illud non longo interuallo ſubſequi.

Difficile omnino eſt vbiubi baſilicam inuenire, quæ non dicam ante Nicænum Concilium, ſed poſt illud ſtatim Beatiſſimæ Trinitati dedicata fuerit. In ſeptimæ Synodi actione quarta occurrit monaſterium Sanctæ Trinitatis, cui præſes Theodoſius ſubſcribit. In Sueſſionenſi Concilio, quod an. DCCCLIII. habitum eſt, occurrit Eccleſia, quæ apud monaſterium S. Medardi in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis erecta dicitur. Adſcribo verba: *Reſidente etiam in cœtu Epiſcoporum glorioſo Rege Carolo, qui in eadem Synodo ſuam exhibere dignatus eſt præſentiam apud Sueſſionis ciuitatem in monaſterio S. Medardi Confeſſoris Chriſti, quod ſitum eſt in ſuburbio ipſius ciuitatis, in Eccleſia, quæ eſt in honore Sanctæ Trinitatis ſacrata.*

Digitized by Google

Hæc Eccleſia erat ædicula potiùs ſeu Eccleſiola, quàm Eccleſia, cùm *oratorium* vocetur in libro, quem Monaſterij Sancti Medardi monachus de miraculis beati Sebaſtiani edidit. Hinc monaſteria multa reperio, quæ in honorem Trinitatis exſtruuntur, Pictauienſe, Fiſcanenſe, Vindocinenſe, Andecauenſe, Exaquienſe, Cadomenſe, cetera. Sed vtrum Eccleſia quæ nunc Sancti Benedicti nominatur, Trinitati priùs, quàm Benedicto, vel Benedicto priùs, quàm Trinitati dicata fuerit, aut vtrum ab altari Trinitati conſecrato Eccleſia tota nuncupationem accepiſſe dicenda ſit, aut contrà, nihil certi pronuntiare mihi licet.

Ad Maiorem quod attinet, cùm ait, *delubrum in laudem Trinitatis erectum dicitur*, rem in incerto rumore, non in traditione vera poſitam ſignificat. Quæ ſunt generis huiuſmodi non expendit, ſed refert, prout ſcripta vel ab aliis iactata narrantur. Simile eſt illud, quod ibidem tradit his verbis: *Ante Martyrium Simonis Bariona apud Senones erat fanum in illius honorem. Diuus enim Sauinianus Chriſti diſcipulus illius ſtructuram curauit. Exſtructo templo, quia Petrum ſuperſtitem ſciebant, eam baſilicam Petri viuentis appellitabant.* Id Robertus Autiſſiodorenſis monachus annis ante Maiorem trecentis in Chronico notauerat. Sed purum putum commentum eſt, quod Villa cognomento Viuus, in qua dicatum beato Petro monaſterium ædificatum eſt, imperitis & fabulatoribus obiecit. Hoc adſcripta Chlodoueo fundationis charta ſuggerit. *Trado etiam illi villam meam in dominitatem Viuum*

nium nomine cum appendentiis ſuis, in qua ſicut diximus, ædificare deſiderat filia mea cariſſima ſuum monaſterium.

Hoc loco non antè mihi tollenda eſt manus de tabula, quin reuertar ad inſcriptionem, cuius Maior meminit, & falſitatem illius ex Hilduino & Baronio demonſtrem. Inſcriptio nobis annum Chriſti LXXV. quo facta eſt, obiicit. At iuxta Hilduinum Dionyſius in Galliam nondum venerat: Sic enim ille in paſſione Sancti Dionyſij ſcribit: *Nam cùm impiiſſimus Nero terra marique imperij ſui frena laxaſſet, & nimia voluptatis ſucceſſu inter cetera nequitiarum ſuarum cumulamenta etiam furor crudelitatis eius dira rabie in Chriſti famulos ebulliſſet, quarto decimo imperij ſui antequam Beatus Dionyſius Romam adiret, Sanctos Dei Apoſtolos, alterum per Crucis trophæum, alterum autem gladio animaduerſum, felici cruore perfuſos & martyrij gloria dignos tranſmiſit ad ſuperos.* Sic annus Chriſti agebatur poſt Petri & Pauli mortem decimus quartus, qui anno LXXXIV. reſpondet, cùm Dionyſius Athenis Romam, tum Româ Lutetiam aduenit. In hac autem Hilduini computatione ſequitur Dionyſium non potuiſſe anno LXXV. baſilicam Pariſiis condere, quò nondum acceſſerat. Nam ex Hilduino acceſſit tantùm ad annum Chriſti LXXXIV. aut LXXXV.

Baronius, qui in pleriſque aliis ducem Hilduinum habet, eum hac in temporis conditione deſerit. Nam Dionyſij aduentum in Galliam ad annum Chriſti XCVIII. deprimit, quo Hilduinus eum inde iam migraſſe in cælum arbi-

Digitized by Google

tratur. Migrationem quippe anno Chriſti xcvii. conſignat. In hoc Baronij calculo Dionyſius baſilicam in honorem Sanctæ Trinitatis Lutetiæ exſtruxit annis antè xxiii. quàm ille hanc in vrbem veniret. Hilduinus ab inſcriptionis tempore minùs recedit. Hîc, vt ex antedictis liquet, ad hominem diſputo, ſcilicet ad Maiorem inſcriptionis antiquæ relatorem, Hilduinum, & Baronium, quos inter ſe committo, & mutuis conflictibus perculſos oſtendo. Sublata inſcriptione tolli debuit, quæ ſuperſtructa fuerat inſcriptioni opinio. Sublata non eſt: Hæc apud imperitum vulgus perinde remanſit, ac ſi falſa remanſiſſet inſcriptio. Sic multis in rebus *quo ſemel eſt imbuta recens* velis nolis *ſeruabit odorem Teſta diu*.

Porro vt ad S. Benedicti Eccleſiam reuertar, & marmor, & inſculpta marmori inſcriptio non comparent ampliùs: ſiue id tempus omnia conſumens effecerit, ſiue illa duo exiſtere deſierint, ex quo reſtauratæ ſunt fores, & mutatus interior Eccleſiæ ſitus: neque enim is eſt nunc, qui erat tempore Stephani Tornacenſis Epiſcopi. Hæc Eccleſia *S. Benedicti bene reuerſi* dicitur, ſed vtrum ita dicatur ab hodierno, aut veteri Eccleſiæ ſtatu interiori, non ſatis compertum eſt.

Hæc habui, quæ ad annum Chriſti vſque milleſimum de Pariſiorum baſilicis antiquioribus obſeruarem: Non quòd mihi ſumpſerim, baſilicas omnes, quæ ante tempus illud in vrbe vel in ſuburbiis excitatæ fuerint, attingere, ſed earum tantùm, quæ mihi inter legendum occur-

Digitized by Google

rerunt, indiculum texere, & antiquæ pietatis monumentum adornare, quo & meum, & Chriſtiani cuiuſuis alterius hominis otium ſanctè oblectarem, & ſemper ante oculos ponerem noſtrum Dionyſium, qui fundum tot ædificandis baſilicis idoneum ſuo martyrio præparauit.

Ceterùm quæ hac in Diſquiſitione tractaui ad conditionem facti non iuris pertinent, eámque ob cauſam tolerabilius eſt erratum, quod ſic admittitur, meum tamen monitus agnoſcam facilè. Nec pœnitendo ſolùm, verùm etiam expungendo corrigere ſemper ero paratus. Indiligentiam noſtram ſupplebit amicus noſter Henricus Saualla vir gnauus & induſtrius, qui Lutetiam nouantiquam edere conſtituit.

FINIS.

Pſalmus LXVII.

In Eccleſiis benedicite Domino de fontibus Iſraël.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

INDEX EORVM QVÆ IN HAC DISCVSSIONE CONTINENTVR.

PRAEFATIO.

CAP. I. *Diſſimulata à Germano Milleto in Sulpitij Seueri textu epocha dua explicantur, explicata confirmantur, & à quibuſdam obiectiunculis defenduntur.* pag. 5

Seueri definita martyrum epocha defenditur. 9

Beda Martyrologium expenditur quoad Zachariam martyrem. 12

Adonis Chronicum expenditur quoad Zachariam martyrem. 13

Romanum Galeſinij, aut Baronij Martyrologium expenditur quoad Zachariam martyrem. 16

In epilogo productum quorundam aliorum martyrium expenditur. 17

Quadam ex ſuperioribus corollaria deducuntur. 22

Indefinita Seueri de ſuſcepta intra Gallias religione epocha defenditur. 25

CAP. II. *Collecta ab aduerſario de Creſcente teſtimonia diſcutiuntur. Ex diſcuſſione probabiliùs aſſeritur in Galliam nunquam veniſſe.* 28

Locus Euſebij de Creſcente expenditur. 29

Epiphanij locus examinatur. 31

Sophronius, & Chronicum Alexandrinum examinantur, deinde cum Adonis & Vſuardi Martyrologiis committuntur. 32

Epiſtola dua ex Viennenſium antiquitatibus producta expenduntur. 35

De primis Viennenſium Epiſcopis quid ſcripſerit Baronius. 39

Quadam ex ſuperioribus corollaria deducuntur. ibid.

Probabilius eſt Creſcentem in Gallias nunquam veniſſe. 41

CAP. III. *De Clementis ad Iacobum epiſtola, de Pauli Diaconi teſtimonio, de Memmij Catalaunenſis, de Sixti Remenſis temporibus diſſeritur.* 43

Pauli Diaconi teſtimonium expenditur. 44

Memmij Catalaunenſis tem-

pus examinatur. 47
Sixti Remenſis epocha & martyrium expenduntur. 49
Obſeruatio quædam de more ſæculi ſynchroniſmum Apoſtolorum affectantis. 52
CAP. IV. Antiquiſſimus Saturnini paſſionis auctor, & Gregorius Turonenſis de Dionyſio Pariſienſi ſcribentes defenduntur. 53
Loci communes aduerſarij exponuntur, & in eundem grauiter retorquentur. ibid.
Repetita pro Gregorio Turonenſi Vindiciæ. 56
Integrum Gregorij teſtimonium refertur, & expenditur. 57
A Milleto Gregorius hinc excuſatur, inde accuſatur. ſed à nobis defenditur. 58
In oblata de Gregorio Turonenſi diſputandi conditione Milletus fuga reus conuincitur. 62
Menardus vt ſuum collegam tueatur, docet modum reiiciendi traditiones Eccleſiæ vel ſanctiſſimas. 64
CAP. V. Conſignata ſub Decio Trophimi Arelatenſis, Pauli Narbonenſis, & Martialis Lemouicenſis epocha propugnatur. 69
Refertur Epiſtola, quæ inter Cyprianicas eſt ſexageſima ſeptima, in editione Iacobi Pamelij. 73
Oppoſita auctori paſſionis S. Saturnini, & Gregorio epiſtola hæc νοθείας accuſatur. 77
Oppoſita Zoſimi Papæ Epiſtola V. reiicitur, & νοθείας accuſatur. 118
Certa quædam alia rationes, quibus memoratarum Epiſtolarum ſuppoſitio confirmatur ampliùs. 137
Oblatus Leoni Papæ Epiſcoporum Prouinciæ libellus opponitur, ſed reiicitur & νοθείας accuſatur. 142
Certa quædam rationes aliæ, quibus Libelli ſuppoſitio confirmatur ampliùs. 166
Quædam alia in epiſtolas Zoſimi, & libellum Epiſcoporum Prouinciæ obſeruationes. 170
Opponuntur Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & Romanum, ſed diluuntur. 171
Græcarum de Trophimo Pauli diſcipulo Eccleſiarum traditio. 171
Conſignata ſub Decio Pauli Narbonenſis epocha defenditur. 175
Conſignata ſub Decio Martialis epocha defenditur. 178
A quibus deprauata eſt veterum de Martiali traditio. 181
CAP. VI. Fuſciani & Victorici geſta diſcutiuntur. 184
Fraus aduerſarij detegitur. 185
Geſta Fuſciani & Victorici cum hiſtoria Saturnini, & Gregorio Turonenſi vix conciliari poſſunt. 185

Rationem diſſimulat, cur in quibuſdam Fuſciani & Victorici geſtis nomen Dionyſij inueniatur, in aliis non inueniatur. 186
Præcedentia confirmantur tribus antiquis vitæ Sancti Luciani Bellouacenſis exemplaribus. 189
Initam Platonis cum Dionyſio ſocietatem conuoluit aduerſarius. 198
Ex vera Vſuardi lectione ad primum Octobris quid colligatur? 200
CAP. VII. *Quatuor eximinantur; accommodatæ Vſuardi Martyrologio reſponſiones duæ, producta ab aduerſario Martyrologia, & Remenſis Martyrologij repudiatio.* 201
Examinatur altera reſponſio Martyrologio Vſuardi accommodata. 204
Examinantur producta à Milleto Martyrologia. 210
Productum perperam à Milleto Bedæ Martyrologium. 211
Producta perperam à Milleto Bedæ Ephemeris. 213
Productum perperam à Milleto Rabani Martyrologium. 214
Productum perperam à Milleto Vvandelberti Martyrologium. ibid.
Productum perperam à Milleto Euſebij Martyrologium. 215
Examinatur reiectio Martyrologij Remenſis. 217
Quàm verſatile ſit ingenium Milleti. 219
CAP. VIII. *Ioannes Erigena de ſcriptoribus vitæ Sancti Dionyſij ironicè locutus eſt; ſpecimina quædam Dionyſij vitæ per Hilduinum editæ.* 221
Deducitur prima ratio, cur Erigena per ironiam locutus ſit. 222
Secunda ratio petita ex Reſcripto Hilduini ad Ludouicum Imperatorem. 224
Tertia ratio petita ex Dionyſianæ paſſionis hiſtoria. 227
CAP. IX. *Dionyſij vita per Methodium edita diſcutitur.* 230
Dionyſij vita per Methodium edita epocham diſſimulat Milletus. 231
Methodius Dionyſij vitam ex commentariis Hilduini compoſuit. 232
Duo ex ſuperiori collatione conſectaria explicantur. 235
CAP. X. *Milletus Hilduinum deſerit, & furtiuam ante Hilduinum de ſuo Dionyſio traditionem exponit.* 236
Pro Areopagitica traditione Beda laudatur à Milleto, & reiicitur. 238
Geſta quædam Dionyſij producuntur & reiiciuntur. ibid.
Peruetuſta Martyrologia citantur, ſed immeritò. 239

Literæ Pippini producuntur, ſed fruſtrà. 240
Literæ quædam Collationis Pariſienſis producuntur, ſed omnino fruſtra & imperitè. 248
CAP. XI. *Sueſſionenſes olim à Conſtantinopolitanis ſuſceperunt caput Dionyſij Areopagitæ.* 251
Conſtantinopolitanos fraudis arguit Milletus. ibid.
Sueſſionenſes excuſat domeſticis exemplis. 252
CAP. XII. *Promptum è tranſlationibus Epiſcoporum argumentum reuoluit aduerſarius, & mirum in modum confirmat.* 254
Socrates ab aduerſario perperam explicatus. 255
Publij Meliteni Epiſcopi tranſlatio refertur, tum de ea fertur iudicium. 257
Anteri decretalis epiſtola producitur & reiicitur. 258
Quæ aduerſarius Sardicenſi Canoni reſpondet, examinantur. 259
CAP. XIII. *Quæ de ignota apud veteres Areopagitæ tranſlatione ſcribit aduerſarius, examinantur.* 261
Fingit Milletus Dionyſium Pariſiorum fundaſſe Eccleſiam, ſed præter eius conſilium. 262
Diſſimulat quæſitam ex retento ſemper Athenienſis Epiſcopi titulo rationem. ibid.
Cur Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolitani nomen non retinuerit? 269
CAP. XIV. *Diuina Eccleſiæ Romanæ officia expenduntur, & eorum in aliquibus oſtenditur mutatio, ac defenditur.* 274
De Officio Miſſæ S. Dionyſij. ib.
De Breuiario Romano in die Sancti Dionyſij. 276
De Martyrologio Romano. 278
Quæ in officiis Eccleſiæ Romanæ mutata ſunt, aliquo modo defenduntur. 279
Petita ex Romano Martyrologio Baronij obiectiuncula diluitur. 281
CAP. XV. *Duo referuntur abſurda, quæ non potuit eludere Milletus, niſi multiplicatis abſurdis.* 284
Quæſitum ex ætate Dionyſij abſurdum eludit Milletus. ibid.
Quæſitum ex Synaxario Græcorum abſurdum miſerè eludit Milletus. 285
CAP. XVI. *Studio partium auctores ſuos fœdè deſerit Milletus, Hilduinum, Radbertum, Methodium, & Metaphraſtem collocantes mortem Dionyſij ſub Domitiano.* 287
Quomodo primam rationem ſoluat aduerſarius? ibid.
Quomodo ſecundam rationem diluat? 288
CAP. XVII. *De Dionyſio quæſitum ex ordine Litaniarum argumentum defenditur.* 289
Validum olim à monachis creditum eſt argumentum.

Digitized by Google

quod ex Litaniarum ordine quæritur. 291

CAP. XVIII. Ex prahabitis de duobus Dionyſiis diſputationibus aliquot obſeruata vtilitates. 292

Illuſtrata Eugenij preſbyteri & martyris hiſtoria, & quæ ei addita eſt falſitas, repulſa. ibid.

Sincera de Eugenio presbytero & martyre traditio. ibid.

Sub quo Imperatore paſſus ſit Eugenius. 293

Addita præcedenti hiſtoriæ falſitas narratur, & ſua ipſius narratione refellitur. 294

Methodius Conſtantinopolitanus in locum huius Eugenij ſubſtituit Marcellum Fuſciani & Victorici ſocium. 295

Suam monachi de Eugenio confictam hiſtoriam Gerardo Abbati Bronienſi perſuaſerunt, & quomodo? 296

Suam monachi de Eugenio confictam hiſtoriam Remundo Toleti Epiſcopo perſuaſerunt, & quomodo? 298

Circa tempus aliud monachi reliquias eiuſdem Eugenij dederunt Hiſpanis, nulla Gerardi Bronienſis Abbatis facta mentione. 299

Suam monachi de Eugenio hiſtoriam Galeſinio perſuaſerunt, & ei, qui poſt annum MDXCV. Miſſale & Breuiarium Pariſienſe correxit. 300

Fraus detegitur, qua Hymnus in laudem Dionyſij editus tribuitur Eugenio martyri. 301

Hymnus de Sancto Dionyſio perperam adſcriptus Fortunato Pictauienſi. 302

Aliquot ad excernendum ampliùs ſuppoſititium fœtum rationes. 303

Quæ de Eugenio dicta ſunt Menardus ſua reſponſione confirmat. 305

Vulgata Dagoberti geſta ab æquali conſcripta non ſunt. 307

Romanum monaſterium Græcorum non eſt à Stephano III. conditum, ſed à Paulo I. nec Areopagitæ & ſociis dedicatum, ſed aliis martyribus. ibid.

A quibus, & quomodo prima huius monaſterij fundatio impoſturam accepit. 310

Genuina Eccleſiæ Sancti Stephani de Greſſibus apud Pariſienſes nomenclatio vindicatur. 313

Manuſcripta quædam Sanctæ Genouefæ vita corrupta demonſtratur. 317

Hilduinus in præſenti diſputatione nullius eſt, vel ſaltem exiguæ auctoritatis. 320

Vera Areopagiticæ opinioni deſignatur epocha. 322

Ex duobus figmentis ortum habuit Areopagitica opinio. 323

Diſploſa mirabilis Areopagiticorum inconſequentia. 324
Methodius Conſtantinopolitanus ex quorundam Gallorum commentariis vitam Dionyſij conſcripſit. ibid.
Recta quaeſiti ex Hincmaro teſtimonij intelligentia. 125
CAP. XIX. *Legitimâ & à capite deriuatâ traditione conſtat, Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita diſtingui.* 328
Ex ſaeculo quarto. 329
Ex ſaeculo ſexto. 330
Ex ſaeculo ſeptimo. ibid.
Ex octauo ſaeculo. 338
Ex nono & decimo ſaeculo. 343
Ex poſterioribus infra decimum ſaeculis. 346
Sententia de duobus Dionyſiis conditiones vera ac legitima traditionis conueniunt. 360
Contraria opinioni deſunt vera ac legitima traditionis conditiones. 361
Aſſertum traditione diſcrimen confirmatur viâ negationis. 366
CAP. XX. *Ad praecedentem Diſcuſſionem mantiſſa.* 370
Menardus antiquiſſimos Eccleſiaſticarum traditionum teſtes reiicit. ibid.
Antiquitatem inſulſis artibus affectat. 372
Poſteriora prioribus anteponit. 373
In antiquarum traditionum diſcuſſione & iudicio incerta certis anteponit. 374
Milletus & Menardus Eccleſiarum penè omnium Martyrologia reiiciunt. 377
Menardus praeſcribit modum reiiciendi acta Sanctorum penè omnium. 380
Expoſitam monachorum audaciam triplex imprudentia conſequitur. 381

VITA B. DIONYSII AREOPAGITÆ primi Athenienſium Epiſcopi & Martyris, ex optimæ fidei ſcriptoribus collecta. 394

PRAEFATIO. 390
Nonnulla in praecedentia Obſeruationes. 399
OBS. I. *Ex monumentis quae Calchedonenſem Synodum praecedunt, certiùs, quàm ex monumentis, quae ſubſequuntur, Dionyſij Areopagitae vita conficitur.* 400
OBS. II. *Methodius, Metaphraſtes, & Syngelus in conſcribenda Areopagitae vita negligentiſſimi fuerunt.* 401
OBS. III. *Syngelus de Dionyſij dignitate nonnulla ſcribit ſine maiorum traditione.* 402
OBS. IV. *Dionyſius Areopagita martyrium Athenis fecit.* ibid.
OBS. V. *Methodius grauiter errauit in notando die mar-*

tyrij, ſeu obitus Areopagitæ. 403
OBS. VI. *Dionyſium Areopagitam imperante Domitiano migraſſe, vt antiquior, ita & verior eſt opinio.* ibid.
OBS. VII. *Indicantur ea, ex quibus nocturnæ Beati Dionyſij Athenienſis vigiliæ rectè compenantur.* 405

DE LIBRIS DIONYSIO AREOPAGITÆ inſcriptis Iudicium. 407

Poſt Gregorij I. tempus recepta librorum Areopagiticorum auctoritas noſtro de illis iudicio non incommodat. 425

BEATI DIONYSII PARISIORVM APOSTOLI & Martyris vita & miracula ex optimæ fidei Scriptoribus collecta.

PRAEFATIO. 431
CAP. I. *Dionyſij Pariſienſis in Galliam aduentus & martyrium.* 433
CAP. II. *Referuntur tria Dionyſij miracula.* 436
CAP. III. *Ad illuſtre Dionyſij ſepulcrum ſacramenta præſtantur, & reis Dei ſcelerum vltoris timor incutitur.* 438
CAP. IV. *Quartum Beati Dionyſij miraculum recenſetur.* 441
CAP. V. *Quintum B. Dionyſij miraculum refertur.* 443
CAP. VI. *Nonnullæ in præcedentem Beati Dionyſij hiſtoriam Obſeruationes.* 446
OBS. I. *Pauca, ſed certa de Dionyſio Pariſienſi traduntur.* ibid.
OBS. II. *Narrantur Dionyſij miracula, quæ Hilduinus, Milletus, & Dubleatius prætermiſerunt.* 447
OBS. III. *Notatur verorum miraculorum vtilitas.* 448
OBS. IV. *Eadem vtilitas inculcatur.* ibid.
OBS. V. *Præſcribitur modus corrigendarum lectionum, quæ in Breuiario dicuntur de Dionyſio.* 449
OBS. VI. *Memorata apud Gregorium, & alios veteres Dionyſij Baſilica erat in ipſa vrbe.* 450
OBS. VII. *Ex teſtimonio vitæ Sancti Eligij colliguntur tria.* 454
OBS. VIII. *Aſſignatur cauſa, cur B. Eligius Dionyſij ſepulcrum adornarit.* ibid.
OBS. IX. *Acta Beatæ Genouefæ poſteriora ſunt Hilduino.* 459
OBS. X. *Quando & vnde Beati Dionyſij corpus tranſ-*

latum eſt Remos. 461
OBS. XI. *Ludicra & vmbratilis monachorum monaſterij Sancti Dionyſij in Francia, & mon[illegible] monaſterij S. Em[illegible] Ratiſponenſis circa corpus Areopagitæ exercitatio confingitur.* 463
OBS. XII. *Fabuloſæ Ratiſponenſium monachorum narrationi epocha certa præfigi non poteſt.* 477

DE VETERIBVS CHRISTIANORVM Pariſienſium Baſilicis Diſquiſitio.

PRAEFATIO. 483
CAP. I. *Chriſtianorum Pariſienſium Eccleſia prima ſita fuit eo in loco, qui pridem beato Marcello dedicatus eſt.* 487
CAP. II. *Beati Martini Oratorium ad portam Pariſiorum.* 492
CAP. III. *Eccleſia Sancti Petri, ſeu Apoſtolorum, quæ modò Sancta Genoueſa nuncupatur.* 494
CAP. IV. *Eccleſia Beati Dionyſij Martyris intra vrbem.* 501
CAP. V *Eccleſia Sancti Vincentij martyris in ſuburbio, quæ nunc Sancti Germani dicitur.* 512
CAP. VI. *Eccleſia Sanctæ Crucis in ſuburbio.* 518
CAP. VII. *Eccleſia Sanctorum Geruaſij & Protaſij.* 520
CAP. VIII. *Aſſeritur Eccleſia S. Laurentij in ſuburbio.* 521
CAP. IX. *Eccleſia Sancti Iuliani Martyris.* 522
CAP. X. *Eccleſia quædam Sancti Petri de Aſſyriis.* 523
CAP. XI. *Eccleſia Sanctæ Columbæ virginis.* 525
CAP. XII. *Sanctimonialium virginum monaſterium, quod poſtea dictum eſt Eccleſia Sancti Eligij.* 526
CAP. XIII. *Eccleſia Sancti Pauli.* 528
CAP. XIV. *Eccleſia Sancti Martialis.* 529
CAP. XV. *Cella Beati Petri, quæ nunc Sancti Mederici Eccleſia nuncupatur.* ibid.
CAP. XVI. *Eccleſia Sancti Stephani.* 532
CAP. XVII. *Eccleſia Sancti Germani cognomento Teretis, quæ nunc Autiſſiodorenſis dicitur.* 533
CAP. XVIII. *Eccleſia B. Mariæ, quæ nunc Cathedralis eſt.* 538
CAP. XIX. *Eccleſia Sancti Maglorij.* 562
CAP. XX. *Eccleſia Beati Seuerini.* ibid.
CAP. XXI. *Eccleſia Sancti Chriſtophori.* 564
CAP. XXII. *Eccleſia Sancti Benedicti.* 565

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google